DE PRAXI

INCOLENDÆ SOLITVDINIS

SIVE

RECOLLECTIONIS IN EA AD DIES ALIQVOT
Spiritualibus Exercitijs obeundæ,

DISQVISITIONES ASCETICAE,

SS. PATRVM PIORVMQVE SCRIPTORVM MONITIS,
Ac Religiosorum Ordinum sanctionibus explicatæ.

TOMVS ALTER.

AVCTORE

D. FRANCISCO MARIA MAGIO
Clerico Regulari Panormitano.

EDITIO SECVNDA
Auctior & Emendatior.




ROMÆ, Apud Ignatium de Lazeris M.DC.LVI.
Nunc iterum Neapoli apud Nouellum de Bonis M.DC.LXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Laudetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; & sit benedicta semper ab omnibus B. MARIÆ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.

A SANCTISSIMA DEIPARA DEI MATRE MARIA, MVNDI DOMINA, Hominum, & Angelorum Regina,

Operis Auctor, vilis ac infelix homuncio, & qui planè nominari est indignus, in vita sibi & in morte opem & patrocinium, ac animi salutem precatur.




IBI, ò Deipara, quæ omnium spiritualium Exercitiorum Patrona es & Magistra, qualemcunque Praxin & Institutionem hanc meam, ex aliorum vsu & authoritate depromptam, humillimè & omni corporis animique demissione, offero & dono: vt quicquid hìc rudi licèt calamo & illaboratum exscripsi, digessi, & edidi in lucem; tua intercessione & gratia obtineam, vt vita prorsus ac moribus exprimere queam. A factis, scripta hæc mea longissimè discrepant: porrò dissonant exempla consilijs: alios docere præsumo quod planè ipse non didici. Palam atque disertè fatear: aliter omnino vixi, quàm loquor: scilicet, ad sanctitatem instituo, qui peccatorum cœno collotenùs infixus sum. Sed quò me vertam, nisi ad te vnicum peccatorum asylum, quæ potes à me vitia sic expellere, & ita mihimetipsi cor & animum immutare, vt bonus Filij tui Minister, ac dignus habitu Religiosus, & adhæc ipsa, quæ scripsi conformatus, euadam. Age, sanctissima Dei Mater, quæ indignorum hominum preces tua pietate non dedignaris: hoc quotidie millies tua opera præstitisti, vt ex impijs ipsa redderes pios, ac è peccatoribus iustos: & cur hoc mihi impio & peccatori, non tua etiam gratia & intercessione, contingat? Porrò, si scleritas & impietas mea, omnium impietatem sceleritatemque superauit, tuam tamen in me gratiam ac misericordiam non extinxit. Hanc egò, tametsi non merear, reuerenter imploro: hanc humillimè postulo; hanc ex animo cupio, & ardentissimè concupisco. Speroque, per te Virginem, fore, vt in Domo Recessus tuis auspicijs à Venerabili Matre nostra D. Vrsula dedicata, in qua hodie versor, ita scriptas à me sanctorum Patrum, piorumque virorum, exercitationes obseruem, vt, si non aliorum, mei tamen ipsius quem primùm attendo, sub alterius cuiuscunque Directione, hoc opusculo, institutor efficiar. Eia me, sanctissima Dei Mater, inter eos clientes admitte, qui etsi vitijs omnibus irretiti & onusti sunt, salutis suæ desiderio tamen impulsi, ad te peccatorum Auxiliatricem accurrunt, vt grauem pec-

catorum sarcinam tua ope manuque adiuti dimittant; & virtutes arripiant, quibus ipsi facilè ad Cœlum eant. Excipe, & tuere me, Domina: effrænes meos sensus, & indomitam voluntatem coerce, vt nihil omnino ampliùs præter Deum & te amem, & tuo demum munere saluus fiam. Has meas preces, has voces, momentis singulis adeò ratas volo, vsque dum à te auditas, ac tua pietate etiam exauditas intelligam. Omnium sanctorum Patrum, & Religiosorum Hominum ac Ordinum merita, quorum hìc monita sequor, & instituta complexus sum, hanc à te mihi gratiam intercedant, vt scripta & facta concordent; & quicquid in libro edidi, in vita & in morte à me ipso actum & opere confirmatum ostendam. Scilicèt, totius vitæ meæ te Dominam & Patronam imploro: oróque, vt cùm animā exhalandi ac reddendi Deo tempus aduenerit, præsentissimam opē tuam, contra omnem inferni aciem, etiam in obitu, sentiam: æternùmque canam illud mihi suauissimum carmen:

Laudetur sanctum Sacramentum: & sine Labe
Quæ es concepta, Dei sis benedicta Parens.

ADM. R. P. D. FRANCISCO CARAFÆ Congregationis PP. Clericorum Regularium Præposito Generali felicitatem.



VM ad supremam Ordinis Præfecturam, tibi iampridem & debitam, & ab optimis quibusque viris, votis omnibus, exoptatam, omnium conscriptorum Patrum consensu (quod sine Diuini Numinis consilio & impulsu non accidit) Comitia te Generalia delegissent; ea ferè nostrorum hominum pietas ac hilaritas fuit, vt quilibet in te ipsum nostri Ordinis Conditorem ac Parentem Caietanum, tanquam è Cælo delapsum, cuius ne dum sanctitatem, sed & corporis habitudinem ac faciem exprimebas, summa animi religione venerari ac suspicere videretur. Scilicèt, in te omnes vno ore deprædicabant, inclytæ Familiæ decus, & inter Carafæorum Prosapiam, Stiliani Principum, ac Laurini Ducum, Patrum, Germanorum, atque Nepotum tuorum, insignem ramum, alterius Conditoris atque Parentis Maximi, sanctissimi Pauli Papæ Quarti lineæ propiorem; & indolem ingentem, & integerrimam vitam, à pueritia ipsa ad ætatem istam cum omnium virtutum odore ac laude peractam; & cuncta Religiosi Moderatoris officia, quotquot in nostro Ordine longa serie numerantur, quæ cum insigni prudentia pluries obijsti, & ad summam te dignitatem, promeritum-

que fastigium, tanta omnium acclamatione ac gratulatione prouexerant: dum nonnulli interim duorum germanorum tuorum fratrum merita & virtutem extollerent; quorum alter, P. D. Iacobus Carafa, alterius cuiusdam Domus nostræ Præpositus, Messanæ, cum tanta omnium opinione decessit, vt si literis eius temporis ac Messanensium Patrum fides habenda, splendidissimum quoddam lumen super ædem nostram in ipso eius obitu obortum sit, quod felicem emigrantis animi sortem (vt pium est credere) designarit: alter, P.D.Io. Antonius Carafa, Neapoli, in Domo sanctis Apostolis sacra, Laurini Ducatu dimisso, qui illi ob primogenita in seculo contingebat, cùm in perpetuo vitæ cursu, Confessariorum iudicio, Virginitatem ac animi integritatem illibatam seruasset, eo præluxit omnium splendore virtutum, vt nostri vita functum, seorsim in arca, cum insigni vitæ ac virtutum elogio in plumbea lamina, tumularint. Neque hìc prætermittam, multos gentiles tuos; qui, veluti Cœlum astra, hodie superstites nostram Congregationem illustrant: quorum quatuor, qui, nominis celebritate ac sapientia insigniores, eidem Generali Capitulo interfuerunt; nunc aut istam S. Siluestri Domum, aut S.Pauli ac S. Mariæ Angelorum Reginæ Neapolitanas, aut cunctam Neapolitanam Prouinciam, cum insigni prudentia, moderantur; vt de ijs planè taceam, qui ex eadem nostra Congregatione delecti, aut Messanensem, aut Tricaricensem, aut Cassanensem Diæcesin, Pontificijs infulis, administrant. Ego uerò, cùm me etiam puerum ac nouitium, Panormi olim, amaueris, & mira semper humanitate ac beneuolentia faueris rebus meis: & quòd in te grata semper animi demissione suspexi sanctissimi Pauli Papæ IV. gentilitium nomen & admiranda facinora, quæ copiosa narratione Italicè ac Latinè complexus sum, ut (Deo cùm libeat) euulgarem; inter hos plausus communemque lætitiam, omnium sanè gaudium excedebam; præsagienti animo fore omninò confidens, ut grandia illa Venerabilis Matris, quæ neminem hodie de Eremo, uel nostro de Recessu, latent Oracula, tua præsertim opera, adimplerentur. Macte animo, præstantissime Pater: tertia & ultima iam Tiara, Venerabili illi Catharinæ Palmeriæ diuinitùs ostensa, præterijt: instant tempora, & feruere omnia toto penè Orbe conspiciuntur; iamque Romanus Pontifex, Excellentiss. D.D. Didaci Aragonij, Terrenouæ Ducis, Catholici Hispaniarum Regis Oratoris, opera incensus, benigna & prospera de se omnia pollicetur. Tu uerò, quòd primùm noueris, seria morum emendatione opus esse, ut, ad excipienda cœlitùs dona, sanctiùs animi disponantur; qua prudentia ac sapientia polles, usum exercitiorum spiritualium sic planè urges atque commendas, ut etiam obeundæ solitudinis formulam exhibueris: quam ego, vt tibi ex animo morem gererem, sanctorum Patrum, piorumque Scriptorum monitis explicare conatus sum. Enimuerò, videtur Deus annuere cœptis tuis: quippè quam Domum, nostrorum Patrum re-

cessui,

cessui, Mater nostra Vrsula, iacto olim tertiùm lapide, destinauerat, & vbi oraturum esse continuò Sacerdotem prædixit; præter omnium existimationem ac fidem, nuper, ea conditione recepimus, vt recessui nostrorum Patrum duodecim addicatur. Quod vt tua ipse authoritate firmares, ac statim exequi videreris, post Neapolitanorum omnium Magistratuum, & Eminentissimi Cardinalis Francisci Angeli Rapaccioli, ac Excellentissimi Terranouæ, quem dixi, Ducis instantiam, maturamque rei, cum tuis Consultoribus, sapientissimis ac celeberrimis Patribus, D. Antonino Diana, D. Augustino Bozomo, D.Carolo de Palma, & D.Caietano Pagano, discussionem, mihi Ordinarij eius Loci prouinciam demendasti, nec excusationem admittis, qua imbecillitatis meæ conscius institi, vt ea humeris alterius cuiusdam viri aptioris ac robustioris imponeretur. Quando ergo sic iubes, adeò ipse in tua prorsus authoritate ac virtute confido, vt nihil de mea ampliùs vilitate ac tenuitate solicitus, tam graue onus subire, & profectionem meam adornare, & Neapolim ingressum flagitare, non dubitem: sperans omnino fore, vt qui mihi onus iniunxit, sua apud Deum oratione sic iuuet, vt pares oneri ab eo vires adijciantur. Vale optime ac vigilantissime Pater, & me obsequentem nutibus tuis, ac Neapolim, vt spero, mox abeuntem, tuâ Benedictione prosequere. Deus Opt. Max. totius nostri Ordinis bono, vitam tibi diu incolumen seruet. Romæ, è nostris ædibus S. Andreæ, die 17. Mensis Nouembris, Anno post Christum natum M.DC.LVI.

P.T. Adm. R.

Humillimus & addictissimus in Christo seruus,

D. Franciscus Maria Magius Cler. Reg.

OPERIS APPROBATIO

D. FRANCISCVS CARAFA

Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

OPus inscriptum, De Praxi Exercitiorũ Spiritualium &c. à P.D. Francisco Maria Magio, nostræ Congregationis Theologo, compositum; & iuxta adiectam assertionem Patrum Theologorum, quibus id commisimus, approbatum, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. Dat. Romæ in nostra Domo S. Siluestri Montis Quirinalis die 28. Septembris 1656.

D. Franciscus Carafa Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

D. Iacobus Sottani Secret.

THEO-

THEOLOGORUM CENSURA.

PRaxin Exercitiorum Spiritualium, Auctore D. Francisco Maria Magio Clerico Regulari, studiosè lustrauimus, ex mandato Adm. R.P.D. Francisci Carafæ, nostri Ordinis Præpositi Generalis. Quam, vtpote ardenti studio elaboratam, summaque spiritualium rerum atque SS. Patrum eruditione refertam, & alijs eiusdem Auctoris operibus omnino correspondentem, luce dignam censemus, in veræ salutis amatorum commodum atque profectum. Romæ, in ædibus S. Andreæ de Valle, die 28. Septembris 1656.

D. Io. Baptista Arata C.R.S.T.P. *D. Thomas Spinola C.R.S.T.P.*

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost. *M. A. Oddus Vicesg.* *Imprimatur*, Fr. Georgius Rainoldi P. Mag. S. Pal. Apost. Ordinis Præd. Socius.

AUCTORIS ADMONITIO.

ECce tibi, Lector, rude hoc Opusculum meum, quod mihi met ipsi, iuniores atque tyrones nostros in recessu instruendi gratia, lucubraueram, publici iuris fieri passus sum; vt multi à me importunis prope adhortationibus ac precibus impetrarunt. Planè, si tot illustrium Auctorum libros, hac de re sapientissimè scriptos, & editos in lucem conspicias; meum hunc laborem, ceu inanem, ac futilem, aspernaberis: si verò vel ipse Spiritualia hac Exercitia obire velis, vel aliorum directioni, etiam secularium, atque præsertim (vt dixi) iuuenum ac tyronum incumbas, & multorum Patrum ac Ordinum ritus desideras intueri, vt cuique opportuniorem suadeas ac præscribas; quicquid hoc libello studiosè complexus sum, pro tua (vt spero) benignitate ac humanitate, quàmmaximè commendabis. Hunc enim scopum mihi præfixeram, vt ne dum Canonem nostri Ordinis explicarem; sed vt etiam, hac in re, omnium Religionum statuta, consuetudines, ac leges ostenderem: quippè qui in recessu versantur, non ijsdem omnes rationibus ac institutionibus vti debent: nam varia hominum ingenia varia methodo gubernari expedit; & hoc periti Directoris est munus, vt benè cognitis ritibus, qui in hac recollectione ab alijs adhiberi solent, ea cuicunque proponat, quæ aptiora eius feruori ac ingenio iudicauerit. Cæterùm, si hæc collegi, & digessi, vt qui Professis iunioribus ac Nouitijs instituendis multos annos incubui, Præfecti atque Magistri partes implere, ac meo ipse oneri satisfacere potuissem: & si ea typis imprimi & euulgari permisi, vt alios vtcunque iuuarem; hoc à te, mi Lector, exorem: vt æquibonique faciens consilium meum, & condonatis erroribus, qui, ob typographi & correctoris incuriam, in operis impressione irrepserunt, meorum à Deo peccatorum veniam & morum emendationem impetres. Vale.

ADM. R. P. D. FRANCISCI CARAFÆ

Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ordinatio,


AB ADM. R. P. D. CAROLO PIGNATELLO
Generali hodiè Præposito confirmata.



XERCITIORVM spiritualium Solitudinem, quam singulis etiam Sacerdotibus Generalia sæpius Comitia pro libito præscripserunt, mãdamus omninò tamen suscipi, & à Nouitijs, & à Iunioribus Clericis, antequàm ad Habitum, & Professionem, aut ad Ordines sacros promoueantur. In ijs autem peragendis, ne otio se dedant, sed vt, liberi ab omni occupatione, sedulò secum agant, quod ad vitam bene instituendam, ac Dei ministro dignam conducit, hoc ritu omnes vtentur. Quilibet sibi quenquam ex senioribus Instructorem, Directorem, Magistrum, ac Præfectum eligat; à quo, quæ opus sunt, monitis & instructionibus imbuatur. Nam, sine alterius ductu, nemo, quantumuis doctus aut senex, hæc Exercitia obire debet: vt eorum vtilitatem persentiat: & ne feruentiori impetu ac spiritu abreptus, aut corpus lædat, aut à dæmone ipso decipiatur. Quoniam, fidere aliquem sibi ipsi, & sanctarum Scripturarum Oracula, & prisci Patres, & spirituales Magistri, modis omnibus execrantur. Delecto sic ab omnibus Instructore, cui cunctam vitæ & conscientiæ suæ rationem expandant, cum magno animi feruore, ac bene præparati, in solitudinem eant. Tum qualia cuiusque ingenium, ac necessitas exigit, quotidiè ab eo Exercitijs ac Meditationibus instruantur: ea promptitudine, ac humilitate, eius institutionibus obsequentes, vt, veluti Christi causa denuò pueri, religiosæ perfectionis elementa non tam ediscant, quàm moribus exprimere videantur. Ille verò quotidianorum primò actuum seriem ijs, statis horis, ac temporibus, ordinabit: tempus diuinæ commentationi tribuendum præscribet: corporis afflictationes adhibendas signabit: spirituales libros, ipsorum profectui aptiores, eliget: & de quotidianis propositis, quæ subindè è meditationibus elicient, vt scripto notari debeant, admonebit. Choro autem, diuinis Sacrificijs, & communi mensæ, an vnà cum alijs aliquando interesse, vel abesse expediat, id Directoris ac Superioris arbitrio derelinquimus. Aliorum tamen colloquio, & consortio, semper abstineant: & diligenter hoc curent, vt, totius anteactæ vitæ Confessione, contractæ animi sordes, veris lacrymis, ac seueriùs sanctiusque deinceps instituendæ vitæ propositis, eluantur. Præcipua, ergo, ac singularis cura Solitariorum hæc erit, vt vitæ suæ facta, dicta, & cogitata discutiant, bis saltem quotidie Generale ac Particulare Examen instituentes: vt possint ipsi acriùs cum vitijs certamen inire, & temporum collatione expensa, proficere. Meditationum puncta & materiæ, iuxta nostrorum Patrum veterum morem, ex sacris Euangelijs, ac D. N. Iesu Christi Vita, frequentiùs hauriantur: eo tamen ordine, quem Director, iuxta cuiusque exigentiam, indicauerit; quæ etiam ex probatis Auctoribus peti possunt. Sed Præfecti & Directores, in iunioribus præsertim exercendis, hoc curent, vt probè omnes, in orandi modo, exercitioque Virtutum, iuxta ritum nostri Ordinis, & libellum Pugnæ spiritualis, à nostro P. D. Laurentio Scupolo editũ, instruantur. In singulis autem meditationibus, Fructum semper Exercitiorum initio propositum quærant: qui præsertim, in emendatione morum, & in vitæ sanctioris ordinatione, consistit; ac speciatim in medijs prudenter excogitandis, quibus, Proposita omninò ad praxin reduci queant.

LIBER VII.

De Necessitate petendæ Solitudinis, & Instructoris subindè ab omnibus audiendi.



XERCITIORVM spiritualium solitudinem, quam singulis etiam Sacerdotibus Generalia sæpius Comitia pro libito præscripserunt, mandamus omninò tamen suscipi, & à Nouitijs, & à Iunioribus Clericis, antequam ad habitum, & professionem, aut ad ordines sacros promoueantur. In eis autem peragendis, ne otio se dedant, sed vt liberi ab omni occupatione, sedulò secum agant, quod ad vitam bene instituendam, & Dei ministro dignam conducit, hoc ritu omnes vtentur. Quilibet sibi quenquam ex Senioribus Instructorem, Directorem, Magistrum, ac Præfectum eligat; à quo, quæ opus sunt, monitis, & instructionibus, imbuatur. Nam sine alterius ductu nemo, quantumuis doctus, aut senex, hæc Exercitia obire debet, vt eorum vtilitatem persentiat, & ne vel feruentiori impetu, ac spiritu abreptus, aut corpus lædat, aut à Dæmone ipso decipiatur. Quoniam fidere aliquem sibi ipsi, & sanctarum Scripturarum Oracula, & prisci Patres, & spirituales Magistri omnes, modis omnibus execrantur.

DISQVISITIO PRIMA.

Cur Exercitia spiritualia Solitudo appellata, ac tantoperè necessaria videantur?

256 EXERCIT. SPIR. SOLITVDINEM. Exercitiorum spiritualium nomen satis à nobis alibi declaratum. Bene tamen vsus inualuit apud nos, vt spiritualia hæc Exercitia *Solitudinem* nominemus: ritèque noster Aloysius Nouarinus, vir planè sapientissimus, suas exercitiorum Meditationes, *Decem Solitudines* appellauit. Lego enim Sancium, Generalem Fuliensium, Meditationes suas pro recessu spiritualium exercitiorum exhibitas, *Sacram Solitudinem*, inscripsisse. Eremitæque S. Augistini Discalceati spiritualia passim exercitia, *Solitudinem*; meditantes verò, in M.S. Instructione, quam vidi, & R.P. Bened. S. Theologiæ Professor ostendit, *Solitarios* vocant. Porrò, ego *Solitariorum Regulam*, ex SS. Patribus, ac præsertim Diuo Benedicto decerptam, ac LXVII.

Vide primũ Volumen lib. 3. disq. 8. fol. 208.

Capitibus explicatam, apud Haefrenum obseruo; & pro ijs, qui Reclusionem subibunt, cùm de Eremitica, & arctiori domo, in singulis Prouincijs extruenda, disseram, illustrabo. Idem passim, & solitarij, & solitudinis nomen, in sensu, & significatione, quam dixi, & à Cassiano, & ab alijs priscis Patribus vsurpatur. Vt enim S. Ioannes Damascenus disertissimè ait, *Solitudinem nonnihil complecti oportet, vt animo minimè turbido, & inquinato, Deum alloquamur, ac mentem à rebus vagis aliquantisper reducamus*. Perspicuè verò Solitudinis nomine, quo vtimur, Religiosorum secessum innuit Ioannes Trithemius: *Non enim*, inquit, *omnibus conuenit sedere in Eremo, quibus in medio Fratrum magis conuenit Domino militare. Nam & Monasteria nostra solitudinem habent suam, vt qui voluerit esse solitarius, possit in medio Fratrum, dum cellæ, in qua moratur, continuauerit secretum*.

S. Dam. l. 1. paral. c. 37.

Trith. hom. 6. de am. quiet. & solit.

257 Eandem hanc solitudinem ad aliquot dies, pro vita benè instituenda susceptam, approbat in cunctis Religiosis Ordinibus S. Thomas: qui cùm primò dixisset, solitudinem congruentem non esse Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ, sic addidit: *Nisi fortè ad tempus, exemplo Christi, qui* (vt dicitur Luc. 6.) *exijt in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. De quo etiam loqui videtur Ioannes cap. 18. cùm ait: *Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia, frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*. Vt autem notat Suarius: *De alia diuturniori separatione per aliquot dies habemus in Christo Domino exemplum, in separatione quadraginta dierum in desertum*. Quod tamen alibi ex multis Patribus explicaui. Quàm verò hæc sacra Solitudo Religioso sit homini necessaria, præter ea, quæ prolixè alibi diximus, hìc obiter ex eo conijce, quòd Frãciscus Petrarcha de homine studioso arbitratur. *Vix de homine studioso bene existimo*, inquit, *qui non (si absque intermissione honesti officij datum sit) cupidè interdum à procellis curarum ciuilium in solitudinem, velut in portum, fugiat*. Si vix putat, posse quenquam satis proficere in literis, ni subindè ad tempus in solitudinem se recipiat; an qui es Religiosus, & seriò mores corrigere, beneque vitam instituere optas, spiritu vnquam ambulabis, & ad perfectionem contendes, nisi ad hæc Exercitia, hoc est, ad te bene discutiendum, longè à seculi strepitu, & hominum conuictu, secesseris? Planè, tot Sanctorum exempla, quæ in primo meo Volumine retuli, si pro cuiusque hominis gradu, & statu, non faciunt, disce vel ab Ethnicis hunc laudabilem morem. Ait enim de se Tullius: *Quantum licet, & sæpe, soli sumus*. Et Scipio Africanus Senior à M. Tullio, à Plutarcho, & à S. Ambrosio commendatus, dicere solitus erat: *Nunquam se minùs otiosum esse*,

S. Th. 2. 2. q. 188. ar. 8.

Soar. t. 4. de rel. l. 9. c. 7. n. 9.

Vide 1. Vol. disqu. 8. fol. 61.

Petrar. l. 4. inuect. c. 1.

Cic. l. 3. offic. Plut. in Scip. Afric. Maiore. S. Amb. l. 3. offic. c. 1.

 quam

quàm cùm otiosus, nec minùs solus, quàm cùm solus esset. In hac enim solitudine, dum nobiscum sedulò agimus, & nostro profectui opportuna ac vtilia meditamur, soli non sumus. Fuisse autem hanc solitudinem Africani, nostræ persimilem, & vt Petrarcha in studioso præsertim homine requirit, narrat Cicero his verbis: *Ille enim, requiescens à pulcherrimis Reipublicæ muneribus, otium sibi sumebat aliquando, & à cœtu hominum interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat*. Otium dixit? Sed quale hoc à nostris in solitudine, ac recessu, sit admittendum, ex sanctorum Patrum ritu, ac institutione, discutiamus.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quo quietis desiderio, ac libertate animi, disponendus, qui est abiturus in solitudinem?

258 NE OTIO SE DEDANT. Sanctus Ambrosius; *Alij*, inquit, *requiescendi causa, abducere animum à negotijs solent, & à conuentu, cœtuque hominum, subtrahere se se: & aut ruris petere secretum, captare agrorum solitudines, aut intra Vrbem vacare animo, indulgere quieti, & tranquillitati*. At nostris hominibus hoc fermè non expedit; nam non desidiæ, sed cogitationis est otium, quod admittimus, vt Deo soli vacemus. Huc nos ipse vocat, cùm ait: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*. Quibus verbis, vt exponit S. Augustinus; *Agite otium*, inquit, *& agnoscetis, quia ego sum Dominus, non otium desidiæ, sed otium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis*. Hæc igitur quies à nostris in secessu captanda est, non vt torpeant, sed ad diuinum obsequium vt acriùs excitentur. Sit nostris exemplo S. Gerardus Comes; de quo S. Odo, Cluniacensis Abbas, hæc scripsit: *Expleto sanctæ suæ deuotionis itinere, iam secretiora loca frequentare delectabat, quasi vocem illam Psalmistæ secutus, qua dicit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine; ibi enim à secularium frequentia, vel causarum strepitu, quiescere volebat*. Sed quænam erat hæc quies? *Vt liberiùs diuinæ seruituti vacaret*. Hoc est, vt ea omnia sine arbitro peragere posset, quæ de S. Francisco Diuus Bonauentura sic scripsit: *Vir autem Dei solitarius remanens & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca adspergebat lacrymis, pectora manu tundebat: &, quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat Iudici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur Amico. Ibique quoque, Fra-*

S. Ambr. lib. 3. off. c. 1.

Ps. 45. 11.

S. Aug. l. de vera Relig. c. 35.

S. Odo l. 2. vit. S. Gerar. c. 26.

Ps. 54. 8.

S. Bonau. in vita S. Fran. c. 10.

ribus ipsũ piè obseruantibus, aliquoties auditus est, clamosis gemitibus apud Diuinam pro peccatoribus interpellare Clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam, Dominicam Passionem. Ibi visus est noctẽ orans, manibus ad modum Crucis protensis, toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus, vt illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indicijs, incerta sibi & occulta Diuinæ *Sapientiæ pandebantur; quamuis illa non vulgaret exteriùs, nisi quantùm Christi vrgebat charitas, & proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim, leui mercede, rem impretiabilem contingit amitti; & illum, qui dedit, ad non dandum facilè prouocari.* Hæc S.Francisco Assisiati in solitudine quies, & otium fuit. Eosdem hos clamores, & eadem hæc colloquia è Ludouici Granatensis ore audiuisses, dum in antri solitudine ageret, de quo Fr.Hieronymus Ioanninus hæc ait: *In eam speluncam abditus, ut à neminẽ audiri posset, ueluti alius Thebaidis Eremita, quinque aut sex horas quotidie uersabatur, clara uoce, Psalmis & Hymnis* Deum *laudans: modò cum æterna Maiestate audiebatur loqui, modò cum Cælitibus: nonnunquam deplorabat ingratitudinem peccatorum; interdum pro ipsis ueniam postulabat: & his exercitijs assiduus & intentus, quasi in Paradiso, quem altè uersabat, sibi ipsi degere uidebatur. Et ita nunc genuflexus, nunc brachijs in Crucis modum extensis, nunc pedibus innixus, nunc sedens, magna ex partẽ diem trasigebat.* Hæc sanctorum hominum quies, hoc nostrorum solitariorum est otium; quod tamen verè otium non appellem. Disertè enim D.Bernardus: *Otiosum*, inquit, *non est uacare Deo*, *imò omnium negotiorum negotium; quoniam ex hoc otio uires proueniunt ad negotium; & qui scit prudenter ad tempus quiescere, sciet postea strenuè, & utiliter laborare.*

Ioann. in vita F.Ludou. Gran.

S.Bernar. ad Fr. de monte Dei.

259 SED LIBERI. Porrò L.Seneca, quòd aliqua saltem occupatione distineretur; *Moror*, ait, *in Tusculano meo semiliber*. Erat in hac sententia Magnus ille Orator L. Crassus; qui, vt refert M. Tullius, sic aiebat: *Mihi liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.* Imò, Quintilianus etiam *Liberum arbitris locum, & quàm altissimum silentium* Discipulis præcipere solitus erat. Nobis verò sat erit, si S.Carolum imitemur, qui hanc secessus, ac solitudinis palæstram ingressus, *Ab omni alia occupatione liber, superioris temporis errata dolebat.* Roget tamen hìc quispiam, num Sacerdotibus in secessu versantibus aliorum Confessiones auscultare permissum? Minimè, inquam; & septima Societatis Iesu Congregatio sic præscripsit: *Exactè* (exercitia) *ab omnibus fiant, omni omnino excusatione, & occupatione seposita, ac superata sita vt neque negotijs, neque confessionibus, eo tempore distineantur.*

L.Sen. l.de breu. vitæ.

Cic.2.de Orat.

Quint. l. 10. c. 3.

Carol. Ep. in vita S.Car.l. 7. c. 14.

Congr.7.Decr. 21. §. 4. can. 4.

tur. Addo etiam Conciones nominatim hoc Decreto prohibitas: *In annua recollectione, quæ ab omnibus fieri debet, ab omni occupationum genere abstineant: caueantque Superiores, ne vel ipsi, vel alij, eo tempore, vllis negotijs, ac ne confessionibus quidem excipiendis, aut habendis Concionibus, occupentur*. Cur, rogas? Audi Bernardum: *Si ergo septem diebus, vel non paucis mensibus, operatus es, & salutem aliorum quæsiuisti; iam Sabbatum, idest, tempus aliquod quieti destinatum libenter excipe, in quo dum ab externo opere cessas, virtutes restaures, & spiritum præ onere deficientem reficias*.

Ead. Congr. can. 4.

D.Bernar.ad Fr.de monte Dei.

260 SEDVLO SECVM AGANT. O vtinam, quisquis hæc legis, aliquando in recessu seriò tecum agas. Hoc planè illud ipsum est, quod monuit Seneca: *Recede in te ipsum, quantùm potes*; ac celebre illud, apud LXX. *Attende tibi*; quod S.Basilius, ac S.Ephræmus, dissertationibus illustrarunt. Planè idem, ac S. Ambrosij dictum: *Aßuesce tecum esse*; vel Boetij: *Quid ipse sis, nosse*; vel Diui Bernardi: *Vtere tu quoque te*. Nam si omnibus omnia fieri cupis, hoc certè non fies, nisi & te interdum vtaris; quod disertè ille sic explicat: *Si totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodò autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo vt integra, & plena sit humanitas, colligat & te intra te sinus, qui omnes recipit. Et cùm omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus*. Hæc scitè ac perbellè S.Bernardus.

L. Sen. ep.7.

Boet.l.1.de consid. pros. 6.

S.Ber. lib.de cõsid. cap.5.

DISQVISITIO TERTIA.

Quomodò qui alijs Exercitia spiritualia tradunt, vel ex sanctis Patribus, vel à Religiosis Ordinibus, appellentur.

261 ALIQVEM EX SENIORIBVS, &c. Qui ad spiritualia exercitia de more secedunt, aliquo ipsi duce, ac præceptore opus habent; quem à B. Petro Damiani, & à S. Fructuoso apud Smaragdum, imò ab ipso P.S.Benedicto, è cuius illi Ordine prodierunt, spiritualem Seniorem appellatum obseruo; cùm inter multa virtutum, & bonorum operum instrumenta, ponit in Regula: *Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere*. Porrò, eodem hoc nomine vsi sunt, Cassianus, Esaias Abbas, & alij: quòd nonnisi ætate prouectiorem, diu exercitatum, & religiosæ vitæ bene peritum, aliorum directioni præficerent. Sic Antistes Monasterij Lauræ, in Tyroci-

Petrus Dam. op. 17. c.15. Smar. in c. 25. Reg. S. Ben.

S. Ben. in Reg. cap. 4. instr.

Caß.l.4.cap. 37. Esaias Abb. c.1. 4.

nium, S.Ioannem Damascenum excipiens, vni ex Senioribus tradidit; vt sine errore ad perfectionem, per viam virtutum, eius ductu, ac magisterio, graderetur. Vox tamen hæc *Senior*, vt Abbas D.Ioannes Caramuel, vir planè eruditissimus, notat in Nomenclatore Regulæ Benedictinæ, est prudens aliquis Senex: & quia ad *iuniorem* refertur, sonat *antiquiorem*. Sed alij *Instructorem* hunc nominant, vt S.Augustini Discalceati, & Clerici Regulares Minores; qui in Directorio Orationis mentalis, inter instructiones ad tres exercitationes recessus spectantes, Solitarium monent: *Instructorem habeat, vt Magistrum, & Ducem huius itineris; & quanuis prudens sit ipse & doctus, nihil eum celet, nihil inconsulto eo faciat*. Quod nomen fortassis, ex S.Vincentio in lib. de Vita spirituali, & ex D.Bonauentura in disciplinæ Speculo, didicerunt: vt scilicet eius munus ostenderent instruendi, quos curæ suæ commendatos haberet, sanctioris vitæ monitis, præceptis, & institutis. Alij verò *Directorem* appellant; vt Claudius Aquiuiuus Societatis Iesu Præpositus Generalis; qui *Directorium* spiritualium exercitiorum insigne descripsit, & edidit: Sancius à S.Catharina, Generalis Fuliensium; qui in sacra Religiosorum solitudine, post Directorium primò editum, de *Directoris Officio*, sermonem instituit: & Religiosi S.Pauli primi Eremitæ; qui inter Constitutiones in Regulis Exercitiorum spiritualium, *Spiritualem Ducem*, vel *Instructorem spiritualem*, vel *spiritualem Directorem* hunc vocant; cùm in via Domini, quos suscepit, & instruat, & ducat, & dirigat. S.Bernardus, ac S.Bonauentura, *Medici* appellatione sunt vsi; quoniam pars maxima eius laboris, in solitudine, ad curandos animi morbos, impenditur. S.Ephræmus *Correctoris* nomen vsurpat; à quo forsan suorum præpositorum nomen Minimi desumpserunt; quòd sua directione, & institutione, corrigat se exercentium vitia, & mores. B.Petrus Damiani, *Angelum* dixit. Scribit enim ad Leonem Eremitam, se illum constituisse Angelum suum, quem in rebus dubijs hæsitans omnino consuleret, & consilium ex eius ore procedens, ita protinus indubitanter acciperet, ac si vox cœlestis Oraculi angelitùs intonaret. Similiter, *Angelos sanctos à Diuino Nomine delegatos*, B. P.N.Caietanum, ac P.D. Ioannem, venerabilis Maria Laurentia Longa, Monialium Capuccinarum Fundatrix, quæ se eorundem omnino institutioni, & curæ commiserat, appellauit: vt sanctissimus Paulus IV. nostri Ordinis Confundator, in epistola ad eandem affirmat. Carmelitæ Discalceati in spiritualium Exercitiorum instructione aut Directorem hunc nominant, aut *Patrem, qui exercitijs præest*. Et *Patris spiritualis* vocem tum S.Benedictus in Regula, tum

Ioann. Ierosolym. vita S.Io. Dam.

Instr. nu.11. fol.51.

S.Vinc. tr. de Vita sp. c.4. S.Bon. p.1. c. 3.4.

Rel. S. P. Const. p.1. c. 9. n.1.5.6.8.

S. Bern. de vita solit. S.Bon. l. de sex al. Seraph. c.1. S.Ephr. to.2. in recta vit. ra. c. 34. Petrus Dam. opusc.11. Praf.

Caracciol. in Collect. fol. 228.

Carmel. instr. c.3. n.15. & c.7. nu.3. 7. & c.5. n.2. S. Bon. Reg. c. 49.

S.Bernardus in tractatu ad Cartusianos de Monte Dei, tum D.Laurentius Iustinianus in lib.de Obedientia, admittunt. Sic lego apud Georgium Patriarcham Alexandrinum in vita S.Ioannis Chrysostomi, ad eum Monachum, nec dum Sacerdotio initiatum, consueuisse tanquam ad Patrem spiritualem reliquos Religiosos accedere, consilij ac remedij gratia; quod credibile est, ex maiorum imperio factitatum. *Ipsum*, inquit Georgius, *omnes illi suum Patrem vocitantes, eidem narrantes, quas sibi inimicus clam suggessisset improbas cogitationes, & accepta per eum spirituum discretione, ad propria secedebant loca*. Vt spiritualibus nimirùm exercitijs in recessu ac solitudine incumberent. Sanctus tamen Franciscus Assisias Exercitiorum hunc Directorem, *Matrem* vocauit. Nam, inter eius collationes hæc habeo: *Illi, qui religiosè volunt stare in Eremitorijs, sint tres, aut quatuor ad plus. Duo ex ipsis sint matres, habeant duos filios, vel vnum ad minus*. In quem locum Lucas VVadingus; *Franciscus*, inquit, *eremiticam culturis vitam socios dedit, signauit & matres: voluit eos habere, à quibus materna solicitudine fouerentur, alerentur, custodirentur, & assidua protectione confirmarentur*. Sed generaliùs, vt obseruo, Magistri spiritualis nomen probatur. Nam, præter L.Senecam, qui scripsit, *sine Magistro vitia* disci, non virtutes, & S.Cyprianum, qui *sine Magistro* doctrinam, qua mali efficimur, nos doceri; S.Ioannes Climacus *Magistrum virtutum* dixit: & Magistri nomine passim vtuntur S.Ephræmus in tractatu de vita spirituali, S. Bernardus ser.3. de Circumcisione, B.Laurentius in libro de Obedientia, Vmbertus, & alij, quorum verba inferiùs exscribentur. Quod planè dulcissimum est nomen, ac nescio quam pietatem sonat; vt sermonis de Natiuitate Domini inter opera S. Bernardi Auctor obseruat; qui in illud Saluatoris: *Vos me vocatis Magister, & Domine*, hæc ait: *Dominus, est nomen maiestatis, Magister pietatis*. Magistri enim veniunt in parentum vicem, & tanquam alteri parentes, naturalibus nobiliores, nomine ipso, spirant ac redolent pietatem paternam: Vnde S. Ennodius: *Genuisse libidinis testimonium est; erudijsse pietatis*. Et Nicolaus Orlandinus, Ioannem Texedam, Ordinis Minorum, quem sibi spiritualem Ducem ac Patrem B. Franciscus Borgia delegerat, *pietatis Magistrum*, in Societatis historia, nuncupauit.

D.Laur.cap. 20.

Fr. Luc.in opusc.S.Frãc. t.1. coll.3.f. 291.

L. Sen. l. 3. nat. quæst.c. 30.

S. Cl. l. de past. c. 3.

S. Ephr. t.2. c. 34.

B.Lau.c.20.

Vmb. de instru. off. c.6.

S.Ennod.paræn. didascal.

Orl.l. 8. nu. 56.

262 Verùm nos, quia plerunque iuuenum directio & cura, cui subsunt, à Præfecto ipso suscipitur, hunc spiritualem Patrem atque Magistrum, *Præfectum* in nostro ordine nominamus; vt Clerici Regulares S. Pauli, & fratres hodie Minores Hiberni maioris obseruantiæ in Vrbe, & Collegio S. Isidori, ad nostrum morem ap-

pellant: qui scilicet apud eos, indicto cunctis fratribus à Superiore secessu, ipse vnus omnium directioni præficitur. Et eius est munus, per chartam publico parieti affixam, cùm libet, initium Exercitiorũ denunciare; & omnem temporis distributionẽ, ac quotidianorum operum seriem ad secedentium instructionem ostendere. Quippè, cùm omnes vnà simul fratres, paucis aliquot exceptis, vt dixi, in eo Collegio exerceantur, æquum est, vno omnes tempore de ijs, quibus opus habeant, admoneri: quod & silenter, & commodè, & facili negotio absolui, ac perfici potest. Idemque Nouitiorum Magistris, ac Præfectis iuniorum professorum propono, vt nonnumquam obseruent: scilicet cùm per nouem dies ante festum B.Patris N.Caietani, vel sanctiori hebdomada, vel per dies decem ante aduentum Spiritus sancti, exercitia non vicissim, sed toti simul *T*ertiæ Classi, vel *T*yrocinio, præscribuntur. Quod similiter obseruari posse arbitror à nostris Sacerdotibus in Recessu, & à Theatinis Virginibus, vel Congregationis, vel Eremitis, circiter festum Immaculatæ Conceptionis, ex Regula venerabilis Matris, duplici octiduano secessu concelebrandum. Sed hæc obiter è re nata delibasse sit satis; fusiùs enim, & opportuniùs, alibi excutientur.

DSQVISITIO QVARTA.

A subditis ne, an à Superiore, qui alios dirigit in recessu, sit deligendus.

263 ELIGAT. Vt nostri sanctiùs suas exonerent conscientias, & vitæ sordes abstergant, Magistri aut Directoris huius electionem, cuiusque propensioni & arbitrio, Generalia Comitia remisisse videntur. Sic enim inter Ordinationes habetur: *Ad maiorem ipsorum consolationem, qui secedunt, eligant sibi Confessarium, quem malint, ex approbatis in domo, cui facultas conceditur, quoad exercitiorum spatium durat, ab ijs casibus absoluendi, à quibus ipse Superior absoluere posset.* Sed hoc, exceptis Tertiæ Classis Professis ac Nouitijs, intelligimus; qui, si quem velint, à suo ipsorum Magistro ac Præfecto petere debent, cautè ac prudenter, nec facilè omnibus & singulis pro libito concedendum. Verùm, etiamsi Magistri, vel Præfecti permissu, Confessarius à Professis iunioribus ac Nouitijs eligatur, Directoris, & Instructoris munus raròac vix vnquam alteri committendum. Ipsi enim & Magister, & Præfectus, suos om-

Ord. Capit. Gen. fol. 20. num. 4.

ninò instruere, ac dirigere debent. Imò apud alios Religiosos obseruo, vnum aut plures pro sodalium numero à Patre Generali, vel Prouinciali, vel saltem loci Superiore, qualibet in domo constitui, doctrina, morum exemplo, & experientia, animis ad omnem perfectionem ducendis & incitandis, idoneos; qui & sibi inuicem, & spiritualibus omnibus exercitia tradant. Sic Gregorius Areylza in Prædicatorum Ordine, artis eiusmodi peritissimus: *Vnus*, inquit, *vel plures è grauioribus Patribus Conuentus destinandi sunt pro eorum directione*. Sed Religiosi S. Pauli Primi Eremitæ, inter Constitutiones, ita decernunt: *Superior Ducem spiritualem vnum ex Patribus prudentiorem meditantibus assignabit*. Et hic etiam Clericorum Regularium S. Pauli vulgò Barnabitarum est ritus; qui tamen totius domus, vt ita dicam, vniuersalis Instructor, cum Nouitijs, aut iunioribus Clericis, nihil agit.

P. Areyl. in lit. relatis in 1. to.

Const. p. 1. c. 11. fol. 18.

DISQVISITIO QVINTA.

Cur, sine Directoris industria & disciplina, non bene à quoquam spiritualia Exercitia instituantur.

264 NAM SINE ALTERIVS DVCTV. Primam huius rationem affert S. Hieronymus, qui Rusticum Monachum erudiens, vt vitam spiritualem in Monasterio instituat, *Sub vnius disciplina patris*, hoc axiomate est vsus: *Nulla ars absque Magistro discitur*. Quod duo illustres Viri, Ioannes Cassianus, & B. Isidorus Pelusiota, in schola S. Ioannis Chrysostomi condiscipuli, eodem titulo clariùs explicarunt. Ille, sub persona Serapionis, cùm ait: *Etenim, cùm omnes artes ac disciplinæ, humano ingenio repertæ, & quæ nihil ampliùs, quàm vitæ huius commodis prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; quàm ineptum est credere, hanc solam non egere Doctore?* Hic verò, cùm Lucæ Monacho vitam suo ipsius arbitrio ducere dissuadet: *Ridiculum*, inquit, *planè est, cùm, vt vilium, ac mechanicarum artium Magistros nanciscamur, huc atque illuc oberremus; diuinam tamen Philosophiam* (religiosè viuendi doctrinam, ac disciplinam intelligit) *tanquam vile aliquid, ac despicandum, nobis ipsis committamus*. Et hoc ex Plutarcho hauserit, qui sic ait: *Ridiculus est, qui artium reliquarum reliquit disciplinam, tollit virtutis*. Ergo, qui sine Duce, vel Directore, hæc exercitia, seu vitam instituere arri-

S. Hier. ep. 4. ad Rust.

Cass. coll. 2. c. 11.

c. Isid. l. 1. ep. 260.

Plut. l. de Virt. docēda.

piat, ridiculus ab his, & ab illo ineptus, ac stultus existimatur. S. Gregorius Nyssenus idem ostendit, eius primùm exemplo, qui vt peregrinam linguam addiscat, & ipse indiget Instructore: *Vt qui alicuius nationis*, inquit, *sermonem discere instituit, minimè per se satis est, vt à se ipso erudiatur, sed ab ijs, qui illius sermonis periti sunt, instituitur: atque hoc pacto breui, ex audiendi consuetudine progressus, peregrini sermonis particeps efficitur; sic opinor, si hæc vita non naturæ via progreditur, sed nouo quodam instituto aberrat, eam perfectè à nemine posse percipi, nisi optimo Viro Duce vtatur, atque alia quæcunque huic vitæ studia proposita sunt, rectiùs ab eo perficerentur, qui illis deditus est, si à Doctoribus, Magistrisque, scientiam illarum rerum perciperet, quorum studio tenetur, quàm si per se ad rem aggrederetur.* Deindè hoc ipsum medicinæ exemplo declarat: quam qui ignorant, non facilè discernere queunt, sit ne aliquid sibi remedium, an venenum. Facit huc sancti Bernardi dictum: *Si ergo ad sanitatem festinas, vide, vt nihil vel modicum de temetipso agere præsumas, Medico inconsulto.* Forténe inquis, Medicus sum, multisque alijs exercitia spiritualia tradidi? Audi Aristotelem in Politicis: *Aegrotantes Medici alios ad se Medicos vocant: & Magistri palæstræ alios Magistros, quasi nequeant verum discernere, qui de proprijs iudicant, & in affectu constituti sunt.* Huius rei rationem affert S. Basilius, cùm sic ait: *Illud firmissimum tenendum est, rem omnium difficillimam esse, se ipsum cognoscere & curare; propterea quòd naturaliter se ipsum quisque amat: & quilibet propterea quòd in se ipsos propensi sunt, in veritatis iudicio fallantur.* Imò spiritualiter ægroti interdum, ex Theodoreto, *Non solùm morbi grauitatem miseri non persentiunt; uerùm etiam sic ægrotantes opinantur, optimo se in statu, ac conditione versari.* Vt ergo ad initio propositum redeam, concludam cum L. Seneca: *Citò nequitia subrepit; virtus difficilis inuentu est; Rectorem, Ducemque desiderat.*

S. Gregor. Nyss. l. de Virg. c. 23. — *S. Bern. l. de Vita sol.* — *Ari. l. 3. pol. c. 11.* — *S. Bas. cost. Mon. c. 23.* — *Theod. l. 1. de Græc. affect. cur.* — *L. Sen. l. 2. nat. quæst. c. 30.*

DISQVISITIO SESTA.

An verè omnes in spiritualibus Exercitijs egeant Instructore?

265 NEMO. Cùm inter B. Gregorium, & Petrum Diaconum, de virtutibus, ac miraculis Honorati Abbatis, sermo recurreret, ait Petrus: *Putamus, hic tam egregius Vir, vt post Magister discipulorum fieret, priùs habuit Magistrum?* Respondet

S. Greg. l. 1. Dial. c. 1.

Gregorius: *Nequaquam hunc fuisse cuiusquam discipulum audiui: sed lege non constringitur Spiritus sancti donum*. Sic tradunt Cassiodorus in Historia tripartita, & Nicephorus in Ecclesiastica, Paulum Simplicem ab Antonio Magistro iudicatum, Præceptore iam non egere; cuiusmodi complures in sanctorum Patrum Vitis inuenies; qui Ducem, ac Directorem, in Eremi solitudine non habebant. Vnde S. Bonauentura in Libello de sex alis Seraphim caput inscripsit: *Qui sunt, qui Magistro non indigent*; ratus esse aliquos, quibus Magistris, ac Directoribus non sit opus. Quid ego hac de re dicam, ac censeam? At in promptu responsio est, paucos admodùm sanctos, seu perfectos viros enumerari, qui arduum virtutis, ac perfectionis cacumen, sine viæ Duce, ac Directore, conscenderint. *Quia verò tales* (inquit S. Bonauentura) *difficilè est reperiri, ideò paucis conuenit viuere absque obedientiæ iugo. Ideò, & qui alijs præsunt, vt meliùs, & cautiùs agant, necesse alijs subesse, à quibus regantur, vsque ad summum omnium Pontificem; qui, vice Christi, caput est totius Ecclesiæ militantis*. S. Vincentius huic sententiæ adstipulatur; qui probans, citiùs ad perfectionem perueniri per viam obedientiæ regiam, ita subiungit: *Hanc viam tenuere omnes sancti Patres in Eremo, & breuiter omnes, qui ad perfectionem attigerunt, per hanc semitam processerunt: nisi fortè Deus aliquos per se ipsum instruxerit ex priuilegio gratiæ singularis, deficientibus eis, & non inuentis, qui eos foras instruerent*. Si qui autem in Eremo Directore non indigebant, at priùs sub Magistro diu multùmque fuerunt. Sic Paulus ille Simplex, cuius exemplum ex Cassiodoro, & Nicephoro allatum est, antequam ab Antonio dimitteretur in solitudinem, durissimis ab eodem experimentis est eruditus, quæ Palladius in Historia Lausiaca narrat. Tum de illa peculiari Spiritus sancti vnctione, & speciali priuilegio, iura sic clamant: *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum*. Quamobrem longè ante Cassianus, cùm ab illius Monachi imitatione caueret, qui velut sororem apud se vxorem habebat: *Quod factum*, inquit, *Abbas Ioannes, licèt summa admiratione pertulerit, tamen neminem Monachorum, vt experiretur, hortatus est: sciens multa rectè ab alijs gesta, magnam alijs imitantibus intulisse perniciem, nec vsurpari ab omnibus posse, quod paucis Dominus speciali munere contulisset*. Et S. Gregorius post Honorati Abbatis exemplum, quod initio obieceram, cùm de Ioanne Baptista, & Moyse dixisset, quorum ille, *Magistrum habuisse non legitur; neque ipsa Veritas, quæ corporali præsentia Apostolos docuit, eum corporaliter inter discipulos aggregauit: sed quem intrinsecùs docebat, extrinsecùs quasi in sua libertate reliquerat*. Hic verò, *In Eremo edoctus, mandatum*

Cassiod. l. 1. c. 11.
Nic. l. 8. c. 40.
S. Bon. c. 2.
Idem ibid.
S. Vinc. l. de Vita sp. c. 4.
Pallad. c. 28.
c. quod alicui de reg. iur. l. 6.
Cass. coll. 14 cap. 7.

latum ab Angelo didicit, quod per hominem non cognouit. Post hæc, inquam, S.Gregorius sic adiecit: *Quorum tamen libertas vita ab infirmis in exemplum non est trahenda; ne dum se quisque similiter sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & Magister erroris fiat.* Itaque, vt finiam, ad propositam quæstionem cum B. Laurentio Iustiniano omnino respondeo: *Cuncti indigent Præceptore, quamuis non æquali. Quemadmodùm verò alia sunt infantium ioca, alia iuuenum exercitia, alia senum instituta; ita etiam spiritualiter. Non enim incipientium, proficientium, & perfectorum similia sunt, licèt finis dissimilis non sit. Primi circa exteriora, secundi circa interiora, circa diuina tertij exercentur.*

B. Laur. l. de Casto cōnub. c. 3.

DISQVISITIO SEPTIMA.

Cur Directore præsertim Iuniores indigeant, quibuscunque sint literis, ac scientiarum facultatibus eruditi?

266 QVANTVNVIS DOCTVS. Ad iuniores doctos, ac Theologos loquor; quales à me plerunque hodiè instituuntur, in Romano hoc Tertiæ Classis Asceterio, iuuenes, qui cum claritate sanguinis laudabilem morum honestatem, & insignem eruditionem cum ingenij acumine coniunxerunt. Habeant hi Directorem ex senioribus: & omnem ei reuerentiam semper exhibeant; nec prætermittere quicquam eius consilia & monita videantur. Ita Ioannes Gerson tom. 3. lib. de vita spir. lect. 4. coroll. 8. *Quin etiam iuniores, quanquam Theologicis literis imbuti, talem debent reuerentiam senioribus ijs, quibus vita cum scientia concordat, vt vix propter aliquas nouas suasiones, quantumcunque apparentes, pertinax vnquam feratur citò contra determinationes eorundem assertio. Virtus quippè, qualem habeant genitam ex multis experientijs, longè certiùs arte iudicat, & operatur.* Et addit, quod ab ijs est valde notandum, ac metuendum; maximè cùm leuiter Theologica facultate sunt tincti: *Per paucam instructionem intellectus, in scientijs præsertim diuinis, causantur nonnunquam errores in ijs, qui se totos deuotioni tradiderunt, dum voluerunt plus sapere, quàm sibi satis erat.* Sed vt causas enumeremus, quæ iuniores quoslibet ad Directorem audiendum, ac sequendum impellunt; prima est inscitia & inexperientia rerum, de qua S. Gregorius Nyssenus hæc ait: *Quoniam adolescentes &*

Nyss. l. de Virg. c. 23.

mente infirma plerique se ad Virginitatis studium conferunt; illud in primis eis est studiosè curandum, vt optimum huius viæ Ducem, ac Magistrum quærant; nequando propter rerum ignorationem, quæ in illis est, transuersas quasdam sibi vias, atque recta aberrantes, muniant. In studio Virginitatis seu Castitatis, studium reliquarum Virtutum ac totius religiosæ Perfectionis intelligendum: quod S.Bonauentura sic explicat: *Incipientes indigent Magistro, vt doceantur, quæ ignorant, scilicet saluti suæ, ac profectui necessaria & vtilia; quid vitare debeant, quid facere, quid timere, & inter minùs & magis bona vel mala discernere, dicente Paulo: Indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.* B. Laurentius hoc ipsum non vna similitudine ostendit: *Nam quemadmodùm in itinere quis pergens ignoto, ne erret à recto calle, eget ductore: ægroto, ne diuturno languore fatigatus à vita deficiat, opus est medico: adolescenti idiotæ, ne in sua perseueret ignorantia, accommodandus est pædagogus: ita & in via Dei nouiter imbuendo, ne fallacijs Satanæ seducatur & pereat, spiritualis ei adhibedus est Pater.* S. Cyrillus Alexandrinus disputans de necessitate medici spiritualis ijs, qui nondum bene valent, ponit in eorum numero iuniores, ac tenellis arbusculis comparat, quæ non habent fixas radices & adiumenta, quibus optimè fulciantur. S. Bernardus scribens ad Fratres Cartusianos de monte Dei, expendit sensu morali verba Domini ad Euam: *Et sub Viri potestate eris*; ac bonam incipientis voluntatem facit vxorem; virum, magistrum spiritualem. B. Petrus Damiani ad Marinum patruelem adolescentem hæc scribit: *Rudis tyro facilè in prima belli congressione prosternitur, nisi adhibito priùs campidoctoris officio, diligentiùs informetur.* Sed ex philosophis hac de re L.Seneca est audiendus: *Imbecillioribus ingenijs, inquit, necessariũ est aliquẽ præire: Hoc vitabis, hoc facies. Præterea, si expectat tempus, quo per se sciat, quid optimum factu sit; interim errabit, & errando impedietur, quo minùs ad illud perueniat, quo possit se esse contentus. Regi ergo debet, dum incipit posse regere. Pueri ad præscriptum discunt: digiti illorum tenentur, & aliena manu per literarum simulacra ducuntur: deinde imitari iubentur proposita, & ad illa reformare chirographum: sic animus noster, dum eruditur ad præscriptum iuuatur.*

S.Bon. l. de sex alis ser. c.1.

Hebr. 5. 12.

B. Laur. l. de Obed. c. 20.

S.Cyr. hom. 9. Pasch.

S.Bern. l. de vita sol.

Gen. 3. 16.

B.Pet. Dam. ep. 114.

L.Sen. ep. 94

267 Altera causa est, procliuitas adolescentiæ ad malum. Nam ex iunioribus, vt inquit Ioannes Gerson, *Aliquibus inest feruor nouitius, & Zelus vehemens, sed non secundùm scientiam; qui si dimittantur suo cursui, ruunt tandem in aliquod præcipitium.* Propterea, insigne est apophtegma illud, quod refert S. Ephræmus: *Dixit quidam sanctorum senum: Si conspexeris adolescentem propria voluntate in cælum ascendentem, tene*

Gers. l. 3. tr. de per. relig. consid. 12.

S. Ephr. t. 2. paræn. 15.

ipsum: expedit enim ipsi. *Id verò de illo quoque intellige, qui cùm ætate sit senex, mente tamen est iunior.* Sed cur adeò iunioribus est timendum? Respondet S.Chrysostomus: *Iuuenum animi non admodùm magno præsidio prudentia muniuntur, nec magnum virtutis studium, & curam gerunt: verùm & perturbationum tempestas atrocior est; & ratio, quæ eas gubernat, ac moderatur, infirmior.* Et cur etiam est timendum eorundem sanctitati ac feruori, si Ductorem non habeant? S. Gregorius Nyssenus ita respondet: *Periculosa est plerunque vel in omni negotio* (audin?) *consiliorum moderatrix adolescentia: neque facilè quispiam aliquid earum rerum, quæ studio digna sunt, rectè ab eo factum comperit, à quo non est senectus in consilij societatem adhibita.* Ideò Directorem eis destinamus ex senioribus; *per quos* (vt inquit S. Bonauentura) *à periculis retrahantur: sicut paruuli à matre comminante, ab aqua mersione, & luporum morsibus, defenduntur.* Et cur etiam ætate prouectis, si nouiter viam spiritualem incipiant sine Directoribus, est timendum? B.Laurentius lib.de casto connubio sic respondet: *Incipientes namque, tanquam nouellæ plantationes, ex Ægypti diuulsæ nemore, quoniam proni sunt redire ad illa, quæ reliquerunt in seculo, velut delicati, debiles, & minus capaces, per hominem dirigendi sunt.* Proinde S.Basilius, magnus nomine ac sapientia, cùm suam conuersionem ad meliorem vitæ rationem narraret: *Deplorata*, inquit, *in miserabili vita mea, Ductorem mihi dari optabam, qui me ad pietatis dogmata introduceret.* Et præfectus Monasterij S.Sabæ in Laura, cùm S.Ioannis Damasceni omnes eruditionem suspicerent, & eius instituendi curam suscipere non auderent, necessarium tamen existimauit, vni eum è magnis senibus omninò submitti, vt eius *ductu ac magisterio* (Ioannis Ierosolymitani sunt verba) *per Dei viam sine vllo errore incederet.* Ergo, vt iterum ad vos, quos initio compellaui, ò iuuenes, orationem conuertam, etiam in recessu quem, quotannis, aut ante suscipiendos Ordines instituitis, vt cum S.Bernardo dicam:

Obsecro vos, nouellæ plantationes Dei; vos, qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali: nolite sequi cordis vestri iudicium, nolite abundare in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat.



S. Chrys. ep. 3. ad Olymp.

S. Gregor. Nys. loc. cit. c. 23.

S. Bon. l. de sex al. ser. c. 1.

B. Laur. c. 3.

S. Basil. ep. 79. ad Eust. Episc.

Io. Ier. in eius vita c. 15. & seq.

D. Ber. serm 3. in ps. 90.

DISQVISITIO OCTAVA.

Cur ipsi docti & experti senes Magistro, ac Directore, prorsùs indigeant?

268 AVT SENEX. Proponit ac resoluit hanc quæstionem L.Seneca: *Quæritur*, inquit, *an deliberaturus sit sapiens, an in consilium aliquem aduocaturus, quod facere illi necessarium est, cùm adhæc ciuilia & domestica utnitur, & (ut ita dicam) mortalia. In illis sic illi opus est alieno consilio, quomodo medico, quomodo gubernatori, quomodo aduocato, & litis ordinatori.* Et subdit hanc rationem: *Aiunt homines plus in alieno negotio uidere, quàm in suo*. Et rursus: *Quædam sunt*, inquit, *quæ etiam sapientes in alio, quàm in se, diligentiùs uident*. His affine est illud, quod ait Cobares Medus apud Q. Curtium, in consilio Bessi Regis: *Natura mortalium hoc quoque nomine praua, & sinistra dici potest, quòd in suo quisque negotio hebetior est, quàm in alieno.* Sed cur eandem hanc quæstionem pro sequendis in recessu Directorum consilijs instituerim, author mihi S. Gregorius fuit: *Quidam enim*, vt ipse ait, *Prælatorum sanctæ Ecclesiæ magisterio subaliti rudes obediunt; sed cùm paulò altiùs per conuersationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt. Quos benè Agar Saræ ancilla spiritualiter designat; quæ cùm de Abraham uiro eius concepisse se uidit, dominam despexit*. De hac autem in senibus perfectisque viris Directoris habendi necessitate ita S.Chrysostomus: *Licèt mirummodum sapiens sis, & perspicias ea quæ oportet, attamen homo es, & consiliario tibi opus est*. Et rursus: *Si discere uis, quòd etiam si alios ingenij acrimonia antecellas, sisque valde perfectus, perueneris que ad summum ipsum virtutis fastigium, opus tibi sit consiliario, & aliquo qui te corrigat, & arguat, audi &c.* Et demum: *Consiliarijs omnes opus habent, etiam si Moysi conferri possint*. Et *idcirco* (inquit eius discipulus Cassianus) *nullus sibi, quanuis scientia præditus, inani tumore persuadeat, quòd possit collatione alterius non egere*. Quod in his, quæ ad prudentiam pertinent, satis ostendit S.Thomas 2.2.qu.49.ar.3. in cor.& ad 3.

L.Sen.ep. 109.

Q.Curt.l.7.

S. Greg. l.2. in 1.reg.c.4.

S.Ioan. Chr. ho.de ser.reprehe.ho.22. in ep.Rom. 12.

Caff.coll.16. c.12.

269 Verùm vt rem ex similitudine clariùs explicemus, præter eas ab L.Seneca allatas, alias apud sanctos Patres, atque pios scriptores, iuenio. S.Ioannes Climacus, iter agentis similitudine vsus, hæc ait: *Sicut qui sine Duce est, etiamsi prudentissimus sit, facilè in via errabundus incedit; ita & qui suo arbitrio monasticam vitam peragit, etiamsi in omni mundana sapientia fuerit instructus, facillimè perit*. Ideóque

alibi iubet, Religiosum *Nunquam sibi vsque ad consummationem vitæ credere*. B. Ignatius, Societatis Iesu Author, intellectus instruendi necessitatem à voluntate sic arguit: *Sicut, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur, sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est*. Sed quod ille de intelligentia Superioris, tu de Directoris intellige. Clariùs, planiúsque Hieronymus Platus hoc, nauis similitudine, exposuit: *Ne quis*, inquit, *existimet, rudibus tantùm, & imperfectis, aut tepidis in Dei amore, necessariam esse huiusmodi disciplinam. Aequè enim necessaria est etiam feruentibus, & perfectis, nisi quis fortè existimet nauim, quæ in alto feratur, tum egere tantùm moderatore, cùm aduersa tempestate iactatur; ventis autem propitijs non egere. Imò verò hi ipsi propitij uenti, quò vehementiores sunt, eò maius est periculum*. Demùm, mittit nos Salomon ad formicam, ferè bestiolarum minimam, vt ex ea discamus sapientiam. Et, ex eius exemplo, Iulius Nigronus mittit Seniores Viros, doctrinis magnos, ad maximam bestiarum, vt Ducis spiritualis necessitatem intelligant: Ad Balenam, inquit, vastissimam Oceani, atque Orbis totius belluam, Gigantis, ac Leuiathan nomine significatam ab Iob, cùm diuinam potentiam in maximis rebus procreatis celebraret, vt Ioannes Pineda philosophatur. Huic belluæ caligant oculi, ac visus hebescit; vel ob nimiam pinguedinem, vt tradit Aelianus, vel quia illi pondere superciliorum obruantur oculi, ex Plinio. Sed ipsi diuina prouidentia pisciculum dedit, oculorum vice fungentem; quem ex eo Ducem appellat Oppianus, Plinius musculum, Aristoteli notum; sic à Plutarcho descriptum: *Ille, qui Dux dicitur, gobij magnitudine, ac specie pisciculus, in summo auem inhorrescentem, ob squamarum scabritiem, referre dicitur. Hic cum uno è magnis cetis semper uersatur. Prænatat, cursumque dirigit, ne in breuia, uel uadum impingat, uel in fretum conijciat se strictum: sequitur eum cetus, uelut gubernaculum nauis, paretque Duci*. Hactenùs Plutarchus. Et ex hoc pisciculi ductu, quem naturæ instinctu sequitur omnium piscium maximus, benè ille sic infert: *Vir magnus sapientia, ratione magistra, non sequetur directionem, ac ducatum alterius sapientis in uia spirituali, tametsi Ductor sapientiæ magnitudine non illum æquaret?* Proindè clamat Sapiens: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et addit: *Ne sis sapiens apud temetipsum*. Quod etiam Paulus Apostolus monet: *Nolite esse prudentes apud vos metipsos*. Hoc est, vt Theodoretus exponit. *Ne uestra uobis consilia sufficiant; sed aliorum consilia accipite*. Et Chrysostomus: *Ne putetis uos sufficere uobis ipsis. Nam & alibi dicit Scriptura: Væ prudentibus apud semetipsos, & in oculis suis sapientibus*. Et post: *Nihil ita à reliquis auellit, &*

S. Ign. ep. de Obed. §. 11.
Plat. l. 1. de bon. statu Rel. c. 24.
Nigr. 10. tr. 1. nu. 33.
Pin. in c. 26. & 40. Iob.
Ael. 10. de animal. c. 6.
Pl. l. 9. c. 62. & l. 11. c. 37
Opp. l. 5. pisc.
Ar. l. 3. de animal. c. 12
Plut. l. de animal. industr.
Prou. 3. 5. & 7.
Rom. 11. & 16.
Theod. Rom. 12.
S. Chrys. ho. 22. in Rom. 12.

abscindit, quemadmodùm si quis se sufficere sibi ipsi putauerit. Vnde & ita nos Deus constituit, vt alter alterius opera indigeat. Vt enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quod si te nullius opera indigere putaueris, omnibus factus es stultior, & imbecillior.

270 Restat, vt, ad hoc suadendum, aliquot illustrium Heroum exempla subijciamus. Et primò Moysen propono, qui soceri sui Iethro consilium est amplexus. De eo sic S.Basilius: *Quantum emolumenti obueniat ex accepto consilio, declarat vel maximè Moyses, qui omni sapientia Aegyptiorum eruditus; qui familiari colloquio cum Deo congrediebatur, perinde atque si quis amicus cum suo loquatur amico. Hic tantus consilium sibi redditum à Iethro socero suo accepit.* Quid? *Ne vnquam* (ait sanctus Chrysostomus) *de nobis ipsis sublimè sentiamus, etiamsi omnibus sapientiores simus: neque Patrum consilia contemnamus, etiamsi omnibus viliores habeantur.* Hæc illud os aureum, postquam Moysis præstantiam, & soceri Iethro barbariem, rusticitatem, & insipientiam demonstrauit. Quod è Moyse documentum, & sanctus Augustinus, & S. Isidorus Episcopus Hispalensis eliciunt. Sed in nouo Testamento est Paulus Apostolus, magnus ille Vas electionis, raptus vsque ad tertium cœlum; qui ascendit iterum Ierosolymam, vt scribit ad Galatas; vbi: *Et contuli*, inquit, *cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Hoc est eò perrexit, vt notat Tertullianus, & ex eo Pamelius, ad consulendos Apostolos. Quod cum admiratione Ioannes Cassianus expendens, & eos damnans, qui nolunt seniorum consilijs erudiri, sic ait: *Quam præsumptionem ipse Apostolus non solùm literis, sed etiam opere, atque exemplo docet omnimodis detestandam: ob hoc solummodò se asserens Ierosolymam conscendisse, vt Euangelium, quod comitante gratia Spiritus sancti cum potestate signorum, & prodigiorum, Gentibus prædicabat, cum suis Coapostolis, & antecessoribus, priuata quodammodò, ac domestica examinatione conferret.* Et post Pauli verba, ad omnium instructionem, hæc addit: *Quis tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio, ac discretioni committere, cùm vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum collatione testetur?* Quod tamen prudenti est interpretatione sumendum, vt Theodoretus, Ambrosius, & omnes recentiores exponunt. Sed si omnium Sanctorum vitas, & historias euoluamus, quotus, obsecro, ille erit, qui suæ virtuti, ac directioni confidens, non aliorum consilio se subiecerit? S.Bernardus Malachiæ exemplum cum Pauli exemplo coniunxit, vt omnes consilij indigos demonstraret. Benedictus Abbas ad B.Alchuuinum, *Gratia consilij salutis suæ, & suorum*

S.Bas.in c.1. Isa.ad fin.15 1.26.

S.Chry.hom. de ser. repreb.

S.Aug. in prol. l. de Doct.Chr.

S. Isid. cõm. in Exo.c.26.

Gal.2.2.

Tert. l.4. adu.Mar. c. 2.

Pamel. ibid. nu. 15.

Cass. coll.2. cap. 15.

S.Ber. in vita S.Malach. §.2.

Anonym. in vita B. Alchuu.

accipiendi, *sæpiùs de Gothiæ partibus properabat*. De S. Francisco S.Bonauentura sic scripsit: *Non erubescebat à minoribus parua quærere verus minor; qui magna didicerat à Magistro supremo. Studio nanque præcipuo, solitus erat exquirere, quali via, qualiue modo, Deo posset secundùm eius beneplacitum perfectiùs deseruire. Hæc summa eius philosophia, hoc summum eius desiderium extitit, quoad vixit, vt quæreret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, paruulis & grandæuis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosiùs peruenire valeret*. Idipsum de Beato nostri Ordinis Conditore Caietano narrant, & Caracciolus, & Castaldus, & Silos; qui quanquam omnium Institutor, vt ducem ac directorem suæ tamen voluntati contrarium sortiretur, ad omnium genua procumbebat. Porrò, Petrus Glussianus in vita S.Caroli Cardinalis, cùm de spiritualibus exercitijs loqueretur, quæ in recessu Vir Dei quotannis instituebat, de Directore sic ait: *Vt fugeret errandi in re tam graui tantique momenti periculum, elegit sibi Ducem suæ vitæ spiritualis*. Quem S.Caroli morem, scio, multos hodie S.R.E.Cardinales, ac è nostro Ordine Episcopos, imitatos fuisse; memores illius fortasse Decreti Clementis Papæ, quod est à Gratiano relatum: *Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, à paruulis, vel minimis eruditis, si quid fortè est vtilitatis, aut salutis, inquirere negligat*. Vnde legimus, ipsum Ecclesiæ lumen Augustinum, ad Auxilium (quem in re sibi dubia consulebat) tametsi iuuenem, ac recens creatum Episcopum, hæc scripsisse: *Nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum, senex à iuuene Coëpiscopo; & Episcopus tot annorum, à Collega, nec dum anniculo, paratus sum discere*.

S.Bon. in vita S.Fr. cap. 12.

Petr. Gluss. l. 1. c. 5.

c. fin. d. 38.

S. Aug. ep. 75. ad Aux.

DISQVISITIO NONA.

Quænam vtilitates ac lucra, ex sequendis Directoribus, hauriantur.

271 VT EORVM VTILITATEM &c. Prima huius in recessu Directoris vtilitas, est feruoris continuatio, & excitatio ad cursum & adeptionem perfectionis. Si quis enim sine Duce, quamuis flagrantissimo studio abreptus, in solitudinem eat, planè eueniet, quod S.Dorotheus ait: *Principio quidem feruorem quendam habet ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad silentium, ad obedientiam, & cætera huiuscemodi bona. Deinde verò, & feruore illo sen-*

sim extincto, si nullum habuerit, qui & moderetur eum, & feruorem illum iam extinctum excitet, accendat, foueat, & nutriat, is proculdubio, ceu arefactus, ac desiccatus, cadit, atque in multos errores, & peccata perfacilè labitur. Hæc S.Dorotheus in sermone, quo vetat, ne se quispiam propria sapientia instruat. Sed fortasse inquies: Quid ab eo, nisi quæ iam sciuerim, ac nouerim, audiam? Rerum quæ iam scio, quid, Instructoris ac Directoris huius admonitione, proficiam? Audi L.Senecam: *Quid prodest, aperta monstrare? Plurimùm. Interdum enim scimus, nec attendimus. Non docet admonitio, sed aduertit, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraque, ante oculos posita, transimus: admonere, genus adhortandi est: sæpe animus etiam aperta dissimulat; ingerenda est itaque illi notitia rerum notissimarum.* Et subdit: *Ipsa monentis auctoritas prodest.* Tum ait: *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter quàm scintilla, flatu leni adiuta, ignem suum explicat. Erigitur virtus, cùm tacta est, & impulsa.* Et in alia Epistola; *Adiuuat etiam,* inquit, *qui currentem hortatur.* L.Sen.ep.94 Id. ep. 109.

272 Altera vtilitas & insigne quoddam lucrum est celeritas consequendæ perfectionis. Docet enim S. Vincentius, faciliùs ac breuiùs perueniri ad perfectionis statum per Instructorem, quàm per ingenij perspicaciam, & per codices, qui doctrinam virtutum omnium complectantur. *Sciendum,* inquit, *quòd homo faciliùs, & in breuiore tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet Instructorem, cuius regimine duceretur, cuius obedientiam in omnibus actibus, paruis, & magnis, totaliter sequeretur, quàm aliquis posset se ipsum perficere, quantumcunque vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam.* Idem sentit S.Ioannes Climacus, qui cùm in magno errore eum versari dixisset, qui se putet idoneum ad sui directionem, hæc ait: *Quem qui effugerit* (Instructorem) *ad ea, quæ honesta & spiritualia sunt, ac diuinæ Maiestatis oculis gratissima, ferè ante veniet, quàm ire cœperit.* Liber ergo quicunque aureus ac salutaris mutus est magister, sed spiritualis pater, quem audis ac consulis, liber est loquens, & viuæ vocis præceptor, monita, & documenta in animum penitùs imprimentis: vnde, S. Basilius eius linguam *clauem* appellat; quæ nimirùm nobis pectus aperiens, ingentem spiritualis thesauri copiam elargitur. Ipsa enim talium conuersatio, vt loquar cum L. Seneca, *Paulatim descendit in pectora; & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus mehercule ipse sapientum iuuat; est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Quamobrem, author sum omnibus, qui in re- S.Vinc.tr.de vita spir.c.4 S.Io.Cl.gr.4. S. Basil. ser. de abd. rer. L.Sen.ep.94

cessu versantur, præsertim Clericis iunioribus, ac Nouitijs, vt absente etiam Instructore, sæpe eius faciem, ac præsentiam cogitent. Habeo enim ex S. Ioanne Climaco, & mirabilis illius Monasterij

S. Cl. gr. 4.

Monachis, hanc industriam: *Quoties*, inquit, *absente patre, eius nobis faciem fingimus, ipsumque nobis astare putamus, congressumque omnem, aut sermonem, aut cibum, aut somnum, aut aliud quodlibet eiusmodi, quod sibi ingratum fore putamus, fugimus, & auersamur; tunc re vera obedientiam liberam, & minimè adulteram nos arripuisse, sciamus*. S. Bernar-

S. Bern. l. de vita solit.

dus etiam in solitudine hoc monet: *Elige tibi tu ipse hominem, consilio meo, cuius vita exemplar sic cordi tuo insederit, reuerentia inhæserit, vt quotiens eius recordatus fueris, ad reuerentiam cogitati assurgas, & temetipsum ordines, & componas; qui cogitatus, ac si præsens sit, in affectum mutuæ charitatis emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit, quandocunque volueris; occurrat sæpe, & cùm nolueris. Increpationes eius describe, tibi co-*

L. Sen. ep. 11.

gita. Vis etiam ab Ethnico, & L. Seneca hoc documentum? *Aliquis vir bonus*, inquit, *nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur; cuius auctoritate etiam secretum suum sanctiùs faciet*. Sed & regulam vis à me, qualem tibi, si tuo arbitratu viuas, ex senioribus, statuere debeas eiusmodi Directorem? Porrò sit is, cuius ne dum aspectum ac faciem, sed & memoriam verearis. Hìc exclamem cum Seneca: *O felicem illum, qui non aspectus tantùm, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit uerendus*. At si talis ille non sit, vtilitatem, quam dixi, in hoc recessu non consequeris. Sit itaque, qualem Thimo-

S. Is. l. 3. ep. 91. ad Theoph.

teum quendam fuisse describit S. Isidorus Pelusiota, cùm ait: *Tantam à sua uirtute ijs, à quibus cernebatur, utilitatem afferebat, ut etiam sola recordatione, eos, qui ipsius meminerunt, in officio contineat. Poterat enim uel solùm in animis uersans pudorem ipsis immittere; atque eos, quibus ipse in mentem uenisset, à turpibus & absurdis affectionibus puros & immunes efficere*.

S. Vinc. l. de vita spir. cap. 13.

273 Tertia vtilitas, est mentis illuminatio, in distinguendis admirandis ab imitandis. Nam, vt docet S. Vincentius: *Aliqui sancti fecere aliqua opera, quæ non debemus imitari, quanuis bona essent in eis: sed debemus ea habere in admiratione, & reuerentia*. Similiter, cùm

Ger. tit. 1. ep. de ora. spir. nupt.

veterum gesta & vitas sanctorum Patrum euoluimus, *inter tales scripturas*, inquit Ioannes Gerson, *narrantur aliquæ narrationes, aut regulæ,*

uel doctrinæ particulares, quæ magis ad miranda, quàm imitanda dicuntur. Eiusmodi sunt, corporis afflictationes, quas describit S. Ioannes Climacus, & multa alia, quæ, vt prædiximus ex S. Gregorio, *infirmis ueneranda sunt, non imitanda.* Directoris ergo est, nobis imitanda, aut solùm admiranda, præscribere. Vnde, quarta etiam vtilitas orietur, quæ est nostræ mentis & conscientiæ quies. Nam, ex S. Dorotheo; *Quicunque se se tradiderit obedientiæ suorum Patrum, & illorum arbitrio regendum se dederit, is hac profectò quiete, & animi tranquillitate fouetur.* Vos ergo, cum eodem S. Dorotheo, nunc ò iuuenes alloquor: *Satagite & uos fratres, atque operam date, ut crebrò seniores uestros ac Patres interrogetis, interpellatisque, nec uos ipsos instituere, aut instruere omnino uelitis. Cognoscite, quæso, quantam, & qualem animi quietem & tranquillitatem habeat hoc consilium.*

S. Greg. l. 1. dial. c. 1. §. 2.

S. Dor. ser. 5.

DISQVISITIO DECIMA.

Quomodò sui ipsius directio tum animo tum corpori noceat.

274 NE VEL SE IPSVM LÆDAT. *Illud firmissimum tenendum est*, ex S. Basilio, *omnium difficillimum esse, se ipsum cognoscere, & curare: propterea quòd naturaliter se ipsum quisque amat, & quia in se ipsum quisque propensus est, ideò ueritatis iudicio fallatur. Porrò, ab alio cognosci & curari facile est, cùm ijs, qui cæteros curant, ad discernendum ueritatem nequaquam obest amor sui ipsorum.* Quod etiam Plato docuit dial. 5. de legibus. Sed vt ad spiritualem, de qua agimus, exercitationem deueniamus, periculosum est, ex eodem S. Basilio, in palæstra tam ardua, gnauo & experto Directore carere: *Ne igitur*, inquit, *primo mox aditu, oculis in sublime porrectis, uelis inscendere superciliosum apicem religiosæ exercitationis; maximè omnium caue, ne tuo unius consilio imprudenter innixus, tibi uni permittas plus æquo fiduciæ, ne quando, per rudem rerum inexperientiam, è sublimi fastigio religionis, quam ex professo percolendam accepisti, deturbere.* Ità Smaragdus Abbas: *Periculosum*, inquit, *est Monacho suo proprio viuere arbitrio.* Timendumque addit, ne *Dum se putat per rectam videns currere viam, in damnosam cæcus incidat foueam.* Clamat S. Bernardus, vt periculosissimum sine Duce hoc iter ostendat: *Audiant hoc, qui sine Duce, & Præceptore, vias vitæ ingredi non formidant.* Et subdit: *Quàm multi ex hoc à recto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt. Nimirum ignorantes astutias Satanæ, & cogitationes ipsius, factum est, vt*

S. Basil. ep. ad Chilon.

Smar. in c. 5. reg. S. Ben.

S. Bern. ser. 77. in Cant.

qui spiritu cœperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proinde, qui eiusmodi sunt, quomodo cautè ambulent, & de Sponsa exemplum sumant, quæ non priùs ad eum, quem desiderabat, vllo modo voluit peruenire, quàm sibi occurrerent, quorum magisterio vteretur ad cognoscendum de dilecto, certè ad discendum timorem Domini. Idcircò, cum S.Dorotheo dicam: *Nihil est miserabilius, nihilque quod faciliùs decipi, & expugnari queat, his, qui nullum habent Ducem, nullumque in via* Dei *Moderatorem, & Institutorem quærunt*. Abbas Trithemius hoc declarat, equi effrænis similitudine vsus: *Sicut equus*, inquit, *si suæ voluntati permittitur, per deuia currit; ita & Monachus si suo arbitrio regatur, per abrupta pergit vitiorum*. Et quod non minùs est deplorandum, quotquot in recessu meditationes, orationes, ieiunia, cilicia, vigilias, aut alias corporis afflictationes assumis, omnia hæc velut inania, si Directore non vteris, vt plurimùm abiecisti. Audi Marcum Eremitam: *Qui priuatum sequitur genium, & absque cognitione, ac directione Euangelica graditur, impingit in multa*. Tum addit: *Plerique siquidem non modicos labores, & exercitationes decurrerunt; afflictiones, & ærumnas multas, tanquam Dei nomine, pertulerunt*. Sed *priuata dispositio*, inquit, *& indiscretio, item arbitrari se non egere auxilio proximi, ipsorum tam graues labores, fatigationes, & vexationes, infructuosas effecerunt*. Iterum aio: videat, qui in recessu versatur, vllas afflictationes, aut exercitia, sine Directoris consilio, ne sibi omnino præscribat. Sic B. Theodorus Studites, cùm B.Platonem Magistrum suum, funebri oratione laudaret; *Continentia*, inquit, *vigiliæ, & vnaquæque earum rerum, quæ supra diximus* (multarum virtutum actiones, & afflictationum genera enumerauerat) *ipsa quidem per se laudabilia esse concedat aliquis: sed tamen nihil expedire; imò verò, & ruinæ causam illi esse, affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis vtitur; nisi eius qui præest, ductu, & regula, dirigatur*. Vis clariùs de solitudine audire? Hem B. Laurentium: *Hinc facilè colligitur, quàm periculosus, quamue præcipitio propinquus sit status eorum, qui sine Duce, sine experientia, & absque alterius consilio, arduum solitariæ professionis, solùm proprio dirigente arbitrio, aggrediuntur iter*. Vis audire, de ipsa in cellis inclusione? Ioannes Zonaras, interpretans Canonem XLI. Trullanæ Synodi præcipientis, vt Anachoresis cupidi diu probarentur in Monasterio; *Qui se*, inquit, *ex communi vitæ consuetudine, ad Anachoreticum Institutum, subitò transferunt, cellulæque angustijs inclusi, ipsi sibi facti viuendi Duces, ac Magistri, nullo Rectore degunt, periculoso se negotio, haud dubiè committere, diuini Patres existimauere*. Sed causas periculi excutiamus.

S.Dor. ser. 5.

Trith. in c. 5. Reg. S. Bened.

Marc. Er. in præcept. salutar.

B.Laur. l. de obed. c.28.

275 Primum, ac præcipuum errandi periculum est in vitiorum natura, quæ sub virtutis specie, ac pallio, nos plerunque decipiunt. *Vitia nobis*, inquit L.Seneca, *sub virtutum nomine obrepunt; temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur: in his magno periculo erratur*. Quod copiosiùs explicat in 120. Epistola. Idenque ex S.Hieronymo habemus: *Vitia vicina sunt virtutibus*. Et ad Lætam: *Vitia non decipiunt, nisi sub specie, vmbraque virtutum*. Tum lib.3. aduersus Pelagianos: *Quantùm enim*, inquit, *inter se distant pertinacia, & perseuerantia; parsimonia, & frugalitas; liberalitas, & profusio; prudentia, & calliditas; fortitudo, & temeritas; cautela, & timiditas?* Similiter S.Chrysostomus dixit *Vitia cognata virtutibus*. Nam, *iuxta dicendi libertatem pullulat temeritas, & iuxta æquitatem mollities*. Ad hæc: *Quàm multi* (inquit Author epistolæ ad Demetriadem) *superbiam libertatis loco ducunt; adulationem pro humilitate suscipiunt; malitiam, prudentiæ amplectuntur vice, & stultitiæ simplicitatis nomen imponunt; atque fallaci, ac pessima decepti similitudine, vitijs pro virtutibus gloriantur*. Sic ex S.Gregorio; *Sæpe immoderata ira iustitia; & sæpe dissoluta remissio, misericordia vult videri. Sæpe incautus timor humilitas; sæpe effrænata superbia appetit libertas apparere*. Quocunque ergo te vertas, eiusmodi laruas, ac deceptiones inuenies. *Multi sunt*, ex S.Basilio, *qui pro bonis prauas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem, vrbanum ac lepidum; turpiloquum verò, politicum; amarulentum, & iracundum, neutiquam contemnendum prædicant. Parcum verò ac minimè liberalem, vt sobrium dispensatorem commendant: prodigum quoque, ut liberalem: libidinosum, & lasciuum, ut uoluptarium, & animi solutioris uirum. Vtque semel omnia, uitium omne palliant, adumbrata nomenclatura è uicino subiectæ uirtutis*. Et hoc est malum, ac damnum, quod sine Directore primùm incurris: ea enim vitiorum fallacia Religiosi viri animus interimitur. Ecce Diuum Bernardum: *Parcitas*, inquit, *putatur auaritia; sobrietas austeritas creditur; silentium, tristitia reputatur: è contra, remissio discretio dicitur; effusio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, iucunditas; mollities uestimentorum, & equorum fastus, honestas; lectorum superfluus cultus, munditia. Cùmque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur*. Tum ipse vocem, & clamorem attollit: *Ista charitas destruit charitatem; hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua uidelicet, ita corpori seruitur, ut anima iuguletur*. Vide ergo, quo nam tibi ductu, ac directione opus sit: *Ne fortaße*, vt inquit S. Basilius, *errore seductus, in aliquam ex uitiorum portis deuoluaris, sed me-*

L.Sen.ep.45
S. Hier. in Ps.140.
Id. ep. 7. ad Lætam.
S. Chrys. hom. 48. in acta.
S.Greg. l. 3. Moral.c.19. & 24.
S.Bas. in Ps. 62.
S.Ber. apol. ad Gul. Abb.
S.Bas. l. de Virginit.

diam, & regiam incedas uirtutis uiam. Vbique ergo, *diligenter intuens, quomodò cautè ambules, non ut insipiens, sed ut sapiens: quoniam in medio laqueorum ambulas, & super pinnas Vrbium transis: cautiùs prouide, ne fortè, dum negligis, iniycias in laqueum pedem tuum; nec ruens à muro Ciuitatis nostræ, malè pereas*.

276 At non animo solùm, corpori etiam nocet Directoris, Instructoris, ac Magistri spiritualis absentia. Multos enim legimus, neglecto consilio Directoris, ita se afflictasse vigilijs, ac ieiunijs, vt in capitis imbecillitatem, insanabiles morbos, ac mortem ipsam inciderint. Plerunque enim Religioso homini suggerit hoc tentator, vt *Fractum uiribus*, ex S. Bernardo, *cæteris regularibus exercitijs inualidum reddat*. Vnde Ioannes Gerson, cùm mulierem deprehendisset, quæ cum admiratione multorum quatuor nonnunquam, & ampliùs dies sine cibo transigebat, voracitate tamen post ieiunium inexplebili, ac pertinaci superbia, aliorum consilia contemnentem; *Monui eam*, inquit, *bona fide, & sub attestatione maximi discriminis sui in anima & corpore, vt fatuam desereret hanc ieiunandi obstinationem, & absque peritorum consilio nihil singulare, & ab alijs inobseruatum sequeretur*. Sic Monachi illi, quos narrat sanctus Ephræmus, dehortantibus Fratribus, in Eremum infructuosam, & inaquosam se contulisse, multis fame, siti, æstu, ac frigore extinctis, qui salui euasere, *Longo*, inquit, *tempore infirmi remanserunt; indeque experimento cognouerunt, nihil absque consilio faciendum*. Nec prætermittendum, hoc loco, insigne huius deceptionis exemplum Ioannis Abbatis Lici (apud Cassianum) qui *Cùm, exhausto corpore, atque defecto, perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accedente ei ad refectionem die postero, veniens diabolus in figura Aethiopis tetri, atque ad genua eius prouolutus: Indulge*, inquit, *mihi Abba, quia ego tibi hunc laborem indixi*. Sed de hoc iterum, ac prolixiùs est dicendum. Age ergo Frater, quicunque in recessu es, ac spiritualibus exercitijs occuparis; audi S. Chrysostomum: *Licèt mirum in modum sapiens sis, & perspicias ea, quæ oportet; attamen homo es, & consiliario tibi opus est. Solius enim Dei est nullius indigere, & nullo opus habere consiliario. Et propterea, de eo solo dicitur: Quis cognouit sensum Domini, vel quis eius consiliarius fuit?*

S.Ber. ser. 33 in Cant.

Gers. t. 1. tr. de distinct. ver. vision. §. secundum signum.

S. Ephr. t. 2. ep. ad Io. mon.

Cass. coll. 1. c. 21.

S. Chry. ho. de ser. repr. t. 3.



DISQVISITIO VNDECIMA.

Quàm facilè Dæmonis illusione, succumbat, qui Directoris consilio non innititur.

277 VEL A DÆMONE IPSO DECIPIATVR. B.Laurentius, post explicatam Dei prouidentiam, in præficiendo Moyse Duce Iudæis, cùm per desertum ad terram promissionis iter haberent, de periculo sine Directore, in spiritualis vitæ cursu ad Deum instituendo, sic addit: *Quis enim in hac præsentis vitæ positus peregrinatione, & in huius spiritualis Eremi constitutus vastitate, vbi errores innumeri, inimicorum sæua genera, & prædonum discurrens insidiatur exercitus, incedere securus absque Directore audeat, cùm vix euadere valeat, qui præceptorem habet, & qui spiritualis expertique Ducis munitur prudentia?* Eos autem maximè omnium tentator aggreditur, qui sanctioris vitæ desiderio illecti, à secularium ac mundanorum conuictu, & consortio, segregantur. Ioannes Episcopus Carpathiorum in spiritualibus documentis hæc ait: *Sæui dæmones aduersum eos, qui statum monasticum, quieti & silentio deditum, delegerùnt, per omnem eorum vitam, tentationum gladios acuere, Religionique, & Diuinæ pietati addictiores furiosiùs oppugnare consueuerunt.* Vnde S.Gregorius, explicans illa libri Iob verba, de Behemoth, *Fænum sicut bos comedet*, ita addidit in rem nostram: *Quid est ergo, quòd boui, qui mundo pabulo pascitur, Behemoth iste comparatur, nisi hoc, quod de isto antiquo hoste per Prophetam alium dicitur, Esca eius electa? Neque enim se eos gaudét rapere, quos prauis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntariè iacere. Fænum ergo comedere sicut bos appetit, qui suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritualium quærit.* Ergo, vt eos atterat, & rapiat, hoc procurat, vt spiritualis Magistri directionem ac seniorum consilia paruipendant. Sic Cassianus illud Prouerbiorum, *Odit autem sonum tutelæ*, de diabolo explanat; qui odit, *Discretionis vim, quæ de seniorum verbis ac monitione procedit.* Et alibi, ad mortem trahi Monachum præcipitem à dæmone affirmat: *Cùm eum neglectis consilijs seniorum, suo iudicio persuaserit definitionique confidere.* Eandem expositionem in S. Dorotheo habemus, qui etiam de diabolo hæc addit: *Et his potissimùm aggaudet, qui Moderatore, Gubernatoreque carent. Et istiusmodi profectò homines amat diabolus, qui Duce & Gubernatore carents his maximè delectatur, qui sua non exponunt, nec se submittunt eis, qui adiuuare eos, secundo loco post*

B.Laur. l. de casto cōnub. c. 3.

Carp. in doc. 61.

S.Greg. l. 32. mor. cap. 10. Iob. 40. 10.

Cassian. coll. 1. cap. 20. Prou. 11. iux. 70. interp. Cassian. coll. 2. c. 11.

S. Doroth. ser. 5.

Deum, poterunt & manus porrigere. Vnde, non immeritò B. Alchuinus excandet, & clamat: *Si consilijs, iuxta Salomonem, tractanda sunt bella, quali audacia, sine consilio Ecclesiasticorum Ducum, pugnare nos aduersus diabolum confidimus?*

B. Alch. ep. 71.

278 Porrò Heron Monachus, apud Cassianum, post quinquaginta commorationem annorum in Eremo, singulari districtione rigoris, miroque feruore productam, ab insidiatore delusus, grauissimè corruit, cùm *suis definitionibus regi, quàm consilijs, vel collationibus Fratrum atque institutis Maiorum, maluit obedire.* Nam deceptus à satana, intempesta nocte in puteum, cuius profunditatem non attingebat intuitus, se præcipitem dedit. Et alium dæmon, vt idem refert, in Angelum lucis transfiguratus, eò deceptione perduxit, vt filium suum, quem educabat in Monasterio, offerre Deo in sacrificium constitueret, quò Abrahæ meritis æquaretur. Atque id scelus opere perfecisset, nisi puer cultrum acui videns, & expediri vincula, quibus constringeretur, perterritus aufugisset. Alterum Eronem obseruo, in historia Lausiaca apud Palladium, qui, arrogantia abreptus, Macarium presbyterum hac contumelia affecit: *Qui tuæ doctrinæ parent, decipiuntur. Non oportet enim alios Magistros attendere, præter Christum.* Sed post Magistrorum ac seniorum contemptum, etiam sacramenta, & cellam deseruit. Tum ad theatra & ad cauponas accedens, morbum venereum adeò fœtidum & exitialem contraxit, vt virilia illi computrefacta etiam sua sponte deciderent. Refertur in eadem historia Ptolomæus, qui post quindecim annos austerioris vitæ, in asperrima parte Scetis, quæ, dicitur Climax, *Abalienatus à doctrina, & congressione Virorum sanctorum, & vtilitate & continua Sacramentorum communione, à recta via vsque adeò recessit, vt, quod nonnulli dicunt impij, casu omnia fieri, is quoque infelix id fateretur.* Tum repetit Palladius negatæ pertinaciter diuinæ Prouidentiæ causam: *Cùm nullum vnquam conuenisset, ex sanctis Patribus, qui sapienter gubernauerant; nec eorum fuerit fundatus spirituali doctrina, sed iuuentus absque gubernatore, in extremum mortis profundum cecidit.* Petrus Damiani de Siluestro iuuene scribit, qui eius scripturas è tabulis in schedulas transferebat. Hic tam facilè lacrymis fluere videbatur, vt illusus à dæmone verum à Deo lacrymarum donum habere putaret. Lacrymis vini abstinentiam, magnamque cibi ac somni moderationem adiecit. Et petit post hæc remotioris Eremi secessum: negant spirituales Magistri, & inclusionem in cella offerunt: at ille in sententia petendæ solitudinis perstans, & confisus lacrymis, *æquis consilijs* (vt inquit B. Petrus) *nullatenus acquiescebat præ-*

Cassian. coll. 2. c. 5.

Ibid. c. 7.

Pallad. c. 32.

Ibid. c. 24.

Pet. Damia. op. 13. de perf. c. 14.

bere consensum: nec se aliquatenus decipi posse credebat, quem quotidiana compunctio crebris lacrymarum profluuijs inundabat. Quid tum? Quatuor quaterniones ex libro, qui Viro Dei carissimus erat, abscidit furtim: & conscientia territus, *Ne compedibus vinciretur, præ foribus cellæ stans, cultello vulnus infligere, vel sibi, vel alijs, si quis eum contingeret, minabatur. Tunc liquidò patuit, huiusmodi lacrymas non de cælesti rore descendere, sed ex Tartari sentina sine dubio scaturire.* Narrat Simeon Metaphrastes, in Cœnobio S. Pachomij fuisse Monachũ, qui magna cupiditate obeundi Martyrij incensus, Magistrum continenter vrgebat, vt ire ad Martyrium permisisset. Negabat Pachomius; & incutiens terrorem, aiebat: *Caue, ne quando venerit hora, pro eo, quòd te oporteret ferre testimonium, inueniaris negare Christum.* At ille tenacior sententiæ suæ, quàm consilij alieni, perrexit: & cùm casu in Barbaros, mortem illi minitantes gladijs incidisset; metu victus, eorum simulacris libauit, & edit de carnibus immolatis. Sed mox reuersus in Monasterium, procubuit ad Magistri pedes, & flens atque eiulans dixit: *Peccaui Deo & tibi, ò Pater, quòd tuum non audiens consilium, & admonitionem, hic non restiterim.* Plura alia ex ijsdem Authoribus hìc addere possem. Sed relata hactenùs exempla sint satis, vt cuilibet Instructoris necessitatem, ad cauendam astutissimi dæmonis illusionem, ostendant.

Metaph. in Pach. c. 77.

DISQVISITIO DVODECIMA.

Quomodò sacrarum Scripturarum Oracula, & Patrum monita, ad audiendum, & sequendum, in spiritualis vitæ Institutione, Ducem, ac Directorem impellant.

279 FIDERE ALIQVEM SIBI IPSI, SCRIPTVRARVM, ETC. Multa sunt in vtroque testamento sacrarum Scripturarum loca, quæ consulendi spiritualis Magistri necessitatem, aut planè significant, aut declarant. Et primò eius figuram habes ex libro Numerorũ in XXVII. mansione populi Israëlitici, de qua legimus: *Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.* Illæ enim duæ & quadraginta mansiones, in quibus ad terram Promissionis pergens populus constitit, Christianorum passus ad cœlestem Patriam, & Religiosorum ascensiones ad perfectionem significant. Hesmona enim SS. Patres *accelerationem*, aut *festinationem* interpretantur; Moseroth, *disciplinas*. Sed quò celeriter eundum, ac pro-

Nu. 33. 30.

S. Ambr. l. de 42. mans. S. 26. 27. S. Hier. ep. 127. ad Fabiol.

properandum, si ad perfectionis metam proficisci, & progressiones in hac via facere optamus? *Festino gradu pergamus ad Magistros*, inquit S. Hieronymus, & ex eo S. Isidorus Episcopus Hispalensis. Sed Salomon nos apertè in Prouerbijs ad idem hortatur, cùm ait: *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia.* Vel vt LXX. Interpretum editio habet: *Quibus non est gubernatio, cadunt vt folia: salus autem est in multo consilio.* Quæ in eadem sententia Cassianus expendit. Sapiens quippè, etiam ex S. Dorotheo, *Monet, ac cauere nos docet, ne nosmetipsos instituere, & informare velimus: ne sciolos nos, prudentes, atque cordatos existimemus; neue omninò credamus, posse nos ipsos regere, aut gubernare.* Tamen & Patres, ac spirituales Magistri, ad hanc necessitatem firmandam, eo passim Ecclesiastis testimonio vtuntur: *Væ soli, qui cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Quod S. Gregorius Nyssenus, & D. Bernardus, Ludouicus Pontanus, & Michael Muscus è nostris, satis exponunt.

S. Isid. in Num. 16. — Prou. 17. 14. — Cass. coll. 2. c. 4. — S. Dor. ser. 5. — Eccl. 4. 9. — S. Greg. l. de Virg. cap. 33 — S. Bern. ser. 33. in Cant. — Pont. p. 2. duc. spir. tr. 4. c. 2. §. 1.

286 SANCTI PATRES. S. Basilius agmen ducat, qui seculo renunciantem, in tractatu de rerum abdicatione, sic monet: *Acerrima in omnes partes, animi circumspectione, operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delecta tibi vita studijs certissimum Ducem sequare, eiusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sciat commonstrare.* Grauiter tamen à S. Climaco, qui in hoc paululum, aut quicquam deficiant, obiurgantur: *Si Dei munere, talem quempiam Virum inueneris, Magistrum bonorum operum, hoc apud te constanter teneto, & nihil omninò quicquam præter illius sententiam facias. Quicquid enim, eo insciente, facis, id furtum, ac sacrilegium est; tibique exitium, non autem vtilitatem vllam apportat.* Et in libro de Pastore mirificè laudat multorum Monachorum Abbatem, qui hac de re sentiebat; *Præstare subiectos è Cœnobio pellere, quàm committere, vt suo iudicio, suoque sensu, & arbitratu, viuere permittantur.* Hinc senex ille, cui in Monasterio S. Ioannis Damasceni cura commissa est (Ioannis Ierosolymitani Patriarchæ sunt verba) *In cellam suam vnà cum eo abscedit; ac præclarum istud fundamentum primò ipsi subijcit, nempe: Ne quid suo arbitratu faceret.* Et iterum: *Ne in animum vnquam induceret, sibi ipsi confidere, aut in ea opinione versari, vt se eruditionem omni errore, ac lapsus periculo vacuam, tenere existimaret, quoadusque ex corporis vinculis eximeretur.* Cuilibet ergo Religioso homini, cum S. Isidoro Pelusiota dicendum: *Si probus Monachus fieri studes, ne eam rationem ineas, vt tuo ipsius arbitrio viuas, ac mores tuos tibi vni probatos esse velis: quin potiùs ijs mentem tuam, & consilium submitte; qui, & vita, & tempore, & labore, diuinam vineam iam ante*

S. Clim. gr. 4. — Id. l. de Past. c. 14. — Vita S. Damasc. c. 17. — S. Isid. l. 1. ep. 2

foderunt, & coluerunt, à quibus munus istud facilè perdisces. Vis optimam rationem, quam in Prato spirituali Diaconus accepit ab Angelis? *Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.* Hoc sanè probant in nouo testamento Saulus Christi voce prostratus, & amandatus ad Ananiam, vt notant D. Bernardus, atque Petrus Blesensis; Cornelius Centurio Petri opere edoctus, vt notat S. Augustinus; Æthiops Eunuchus, cui, per Philippum Diaconum adiunctum iter agenti iussu diuino, Deus est Isaiam Prophetam interpretatus, vt idem notat. Et in veteri testamento, vt de alijs taceam, puer Samuel ad Heli Sacerdotem institutionis gratia sæpe recurrens; quod notat præsertim Cassianus, his verbis: *Denique in tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, vt etiam scripturis sanctis hanc eandem institutionem non otiosè reperiamus insertam, ita vt puerum Samuelem iudicio prælectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire; sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, eumque, quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius, qui offenderat Deum, dummodò senioris, doctrina vellet instituti: & quem sua vocatione dignissimum indicarat, senioris mallet institutione formari: vt scilicet & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas; & iunioribus forma subiectionis huius proponerentur exempla.* Finio hanc statuendi Directoris instructionem; qualemque nobis deligere debeamus, propono ex L. Seneca, qui in Epistola quinquagesima secunda sic habet: *Ex ijs autem, qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur: sed eos, qui vita docent, qui, cùm dixerint, quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec vnquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris.* Qualem Lactantius Firmianus de vero cultu, propositaque doctrina philosophorum de duabus vijs, ac de litera Pythagoræ disputans, docet ab illis in dexteriore via ducem requiri ac poni: *Qui dirigat ad meliora titubantem; & Doctor frugalitatis* ab eodem Lactantio nuncupatur.

(✠)

Io. Emir. c. 199.
D. Ber. ser. de Conuers. S. Pauli Bles. tr. de conu. S. P.
S. Aug prol. l. doctr. Chri.
Cassian. coll. 2. c. 14.
Lact. l. 6. c. 3

LIBER VIII.

De ijs, quæ Solitarius, & Instructor, sibi inuicem alter alteri præstare debeant.



Electo sit Instructore, cui omnem vitæ, & conscientiæ suæ rationem expandant, cum magno animi feruore, ac benè præparati in solitudinem eant: tum qualia cuiusque ingenium, ac necessitas exigit, quotidie ab eo exercitijs, ac meditationibus instruantur; ea promptitudine ac humilitate eius institutionibus obsequentes, vt veluti Christi causa denuò pueri Religiosæ Perfectionis elementa non tam ediscant, quàm moribus exprimere videantur.

DISQVISITIO PRIMA.

281 DELECTO INSTRVCTORE, CVI. Primò omnium ad Ducem, ac Directorem, veluti ad nutricem, ipsa infantis fiducia, est accurrendum. Docet hoc B. Laurentius: *Accurrant frequenter, veluti ad nutricem infans: vt ab illo doctrinæ & consolationis suscipiant nutrimenta, atque spirituali lacte pascantur*. Quod tamen P. Claudius Aquiuiuus fusiùs in Directorio Societatis sic explicat: *Erga eum verò, qui daturus est Exercitia, ita* (solitarius) *se gerere debet, vt eum accipiat, vt Magistrum, ac Ducem huius itineris dubij, & periculosi: & ideò etiamsi alioqui prudens sit, vel doctus, & in rebus agendis exercitatus; tamen pro hoc tempore non confidat suæ prudentiæ, vel doctrinæ; sed totum se se committat huic suo Duci: ac, quemadmodùm ait Apostolus, stultus fiat, vt sit sapiens, illudque B. Petri monitum exequatur; sicut modò geniti infantes, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Itaque Instructorem suum ita intueatur, tanquam Dei instrumentum, ad hoc sibi missum, vt eum dirigat, & perducat per eam viam, quæ ad vitam ducit. Quam ob causam, cum omni reuerentia, & alacritate, & confidentia, excipere debebit, quæ ei proponit*. Neque tantùm velim, vt solitarij ad Directorem vt ad Nutricem, sed etiam vt ad Patrem cum magno amore recurrant. Sic S. Isidorus Pelusiota: *Discipuli*, inquit, *veros Magistros, & vt Patres amare debent*. Et olim Quinctilianus discipulos etiam admonuerat, *Vt Præceptores suos non minùs ament, quàm ipsa studia; parentesque esse non quidem corpo-*

B. Laur. l. de Obed. c. 20.

Tr. 6. nu. 16. Direct. exercit. c. 2. nu. 6.

S. Isid. l. 1. ep. 26. ad Orion.

Quin. l. 2. c. 9.

rum, sed animorum credant. Imò S.Bernardus in ordine charitatis spirituales Magistros parentibus præfert speciali nomine dicens, ordinata charitate in Deum tendere illum, qui diligat *Parentes carnis suæ germaniùs propter naturam; spirituales verò Eruditores suos profusiùs propter gratiam.* Adde, quòd, vt notat P.Claudius Aquiuiuus, *Rectori* (siue Aedium Præposito) *expedit, Præfectum amari, & in honore haberi: sic enim adiumento, ac leuamento multis in rebus ipsi erit.* Et in Societate Iesu Præfectum spiritualem Directorem intelligunt, singulis in domibus assignatum. Nec, si aliquàndo seueriùs tecum agat, quicquam de fiducia in eum, aut charitate diminuas: *Turpe est enim* (vt inquit S.Basilius) *eos, qui corporibus ægrotant, tantùm medicis confidere, vt siue secent, siue vrant, siue amaris medicamentis medeantur, benefactores reputent. Nos autem erga curatores animarum nostrarum, cùm per ærumnosæ vitæ ductum salutem nobis efficiunt, non eundem affectum habere.* Sed quia iuuat fiduciam, & amorem, bona de doctrina, & experientia, & prudentia, & charitate, & alijs eius donis existimatio; solitarij, vt B. Laurentij est monitum, *De ipso* (Instructore) *sentiant magna, iudicent recta, sanctaque cogitent; ne callida diaboli suggestione opinio deuotionis, & fides concepta dilectionis ad Patrem, intereat.*

S.Ber.ser.50 in Cant.

S.Bas. q. 52. fusiùs disp.

B.Laur. l. de Casto con. c. 3.

282 Post amorem, & confidentiam bona hac opinione obfirmatam, debet solitarius quicquid Instructor dixerit, gratanter excipere. Nam ex S. Benedicto, *Loqui & docere Magistrum condecet; tacere, & audire, discipulo conuenit.* Putet itaque solitarius sibi à Deo in persona Instructoris illud Ecclesiastici dictum: *Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaueris animum tuum, sapiens eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam, & si dilexeris audire, sapiens eris.* Sic ex S.Dorotheo, *Sua omnia ad Deum referat, seque ad illius pedes proijciat, atque prosternat; & eos audiat, atque obseruet, qui post Deum instruere illum, ac dirigere, moderarique poterunt.* Dicatque subinde illud, quod Puer Samuel ab Heli Magistro didicerat: *Loquere, Domine, quia audit seruus tuus.* Verùm, audire, & excipere, parùm refert, si omnia Directoris verba non credas. Lege Ioannem Gersonem, qui in tractatu de Meditatione decimam sextam considerationem, siue institutionem inscribit, his verbis: *Nouus meditans, debet credere suo Directori.* Porrò, Ioannes Climacus eligi optimum Directorem suadet: sed electum iam, seuerissimè vetat, *In aliquo penitùs dijudicari, etiamsi in illo (homo enim est) modica aliqua delicta animaduertimus.* Et iterum: *Necesse, inquit, omnino est, ut qui fidem certam & immobilem ad Magistros suos habere cupiunt, eorum rectè facta pro*

S. Ben. Reg. c. 6.

Eccl.6. 33.

S.Dor. ser.5.

1.Reg.3. 10.

Cl. gr.4.

fundo corde hauriant, eaque indelebiliter memoriæ commendent. Cùm ergo solitarius suas Instructori cogitationes omnimodè patefaciet, hoc curet ex institutione veterum Patrum à Cassiano relata; *Ne super earum iudicio quicquam suæ discretioni* committat; *sed illud* credat *malum esse, uel bonum, quod discusserit, ac pronunciauerit Senioris examen.* Bene enim illud scripturæ dictum, *salus autem in multo consilio*, S. Dorotheus sic illustrat: *Non dicit in multo consilio, quasi uelit, ut unumquemque quis consulat, sed ut in omnibus eum consulat, cui plenissimam adhibere debet fidem*: Et rectè S. Ephræmus: *Sin uerò & tibi bona res uideatur, quæ à tuo Præfecto in Domino non bona iudicetur; crede illi in Domino. Nam contentiosum esse ac pertinacem, proprioque consilio duci, subuersionis signum existit.* Sed præstat hac de re maximè omnium audire S. Basilium; qui huic interrogationi, *Quid si quis dixerit; conscientia me non reprehendit?* ita respondet: *Hoc accidit, etiam in morbis corporis, quos non sentiunt, qui in illis sunt. Verumtamen ij maiorem habent fidem medicorum peritiæ, quàm suo ipsorum stupori. Similiter etiam in morbis animi, peccatis uidelicet, licèt quis se ipsum non reprehendat, quòd peccatum suum non sentiat; nihilominùs tamen adhibere ijs fidem debet, qui res eius peruidere meliùs possunt, quàm ipse.* Itaque, facit huc celebre illud Aristotelis axioma: *Oportet addiscentem credere.* Quod Mercurius Trismegistus procem. c. 10. & Philo Iudæus de præmio & pœna etiam approbarunt; indéque Pythagoras discipulis silentium in quinquennium imperabat; quo tempore, quia præceptori fidem habebant, non aliud pro ratione respondere soliti erant, quàm, *ipse dixit.* Vide hæc apud Theodoretum l. 1. de cur. affect. Græc. qui hoc in Grãmatica, Geometria, Astronomia, in arte sutoria, lignaria, nauali, & in Medicina, huic spirituali disciplinæ simillima, disertissimè ostendit.

Cass. l. 4. c. 9.

S. Dor. ser. 5.

S. Ephr. t. 2. paran. 5.

S. Basil. in qq. breu. nu. 301.

Ar. l. 1. elench. c. 2.

DISQVISITIO SECVNDA.

De reddenda uitæ & conscientiæ ratione Instructoribus, aut Præpositis.

283 VITÆ SVÆ RATIONEM EXPANDANT: Vbi recessurus in solitudinem Directorem acceperit; quem & fide, quam dixi, & amore, & existimatione, ac omni prorsus reuerentia prosequatur; ipsum primò conueniat, vt narret ei finem, quem sibi in solitudine instituenda proposuit, & vitæ suæ ac

totius conſcientiæ rationes aperiat, quò ille apta & opportuna exercitia præparet, & iſte in Domino ſalubriùs inſtruatur. Porrò, ex Iacobo Aluaro de Vita religioſè inſtituenda *lib.5.cap.8.§.1.* de hac manifeſtatione ſic ſtatuam. Qui ægrotus cupit à medico ab ægritudine liberari, ſuam ei ægritudinem, & cauſas, & radices, & remedia adhibita, & quare ſuo iudicio non conualeſcat, exponit. Qui litigans vult in lite ab Aduocato iuuari, omnia, quæ ſibi prodeſſe poſſunt, vt ea prouehat, & omnia, quæ obeſſe, vt ea auertat, aut ſupprimat, libenter detegit. Qui iter ſuſcepturus deſiderat non errare, ei, qui iter benè nouit, ſe ducendum committit, & ſi quid impedimenti habeat ad progrediendum, vt ab illo Duce ſuo dirigatur, pandere non erubeſcit. *T*u autem, frater, viam ſpiritus ingreſſus es, aut ingredi cupis, tibi ſatis incognitam, & non paucis nec paruis periculis circumſeptam. Sine Duce, cui impedimenta progrediendi manifeſtes, per eam ſecurè tranſire non poteris. Animi morbos habes, eoſque depellere concupiſcis, aut ſaltem ambiguitatibus quateris, nec quid in multis rebus facto opus ſit, per te ipſum intelligere vales, quære induſtrium Virum, à quo erudiaris & ſaneris; aut ſi iam accepiſti à Superiore delectum & aſſignatum, accurre ad illum tanquam ad patrem, qui te benignè excipiet, tanquam ad præceptorem, qui te docebit; tanquam ad medicum, qui te curabit; & tanquam ad conſiliarium, qui ſanctis conſilijs & monitionibus te eriget. Dices illi ſimpliciter, & apertè, quod tu ipſe de te cognoueris, certa vt certa, dubia vt dubia, & breuiter omnia, vt in ſenſu ac iudicio tuo ſunt. Hæc conſcientiæ manifeſtatio ad id ordinatur, vt in via ſpiritus dirigamur, & in interiori homine gubernemur, quare veriſſima ſit oportet: ita ſcilicet, vt nec vitia noſtra celemus, nec Dei dona, aut virtutes nobis datas abſcondamus; ſed omnia, prout ſunt, maneant oculis nos gubernantis aperta. Neque enim ex hac manifeſtatione noſtrorum occultorum quærimus, vt boni & ſancti habeamur, quod inſignis eſſet hypocriſis; neque vt condemnemur, ac viles putemur, quod in hoc propoſito magna eſſet ignorantia, ſicut ſi quis accerſens Medicum, vulnus, aut dolorem, quem non habet, habere ſe fingeret; ſed tantùm intendimus, vt ei, qui nos regit, ſimus omninò perſpecti. *I*lle autem haudquaquam noſtrum ſtatum agnoſcet, ſi propter ineptam humilitatem bona celantes, aut mala fingentes, vel propter ſuperbiam mala occultantes, aut bona, quæ non habemus, oſtentantes, mentiti fuerimus. Hactenùs ex Aluaro, qui elicuit hanc doctrinam ex S. Baſilio, vbi ſic habet: *Debet autem uiciſſim unuſquiſque eorum, qui inferiores ſunt, ſi-* S.Baſil.Re 26.fuſ. diſ

quidem memorabilem ullam facere progressionem studet, & ad perfectionem uitæ illius, quæ præceptis D.N.Iesu Christi est consentanea, peruenire, tùm nullum animi sui motum apud se ipsum celatum tenere, tum in sermone nihil non diligenti ante cura consideratum proferre; sed mentis suæ arcana aperire fratribus his, quibus datum illud negotium sit, ut adhibitis facilitate & misericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, ut quod laude dignum sit in nobis, confirmetur, & quod minùs probandum, congruo remedio sanetur; atque ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine per modicas accessiones ad perfectionem perueniamus.

284 Res autem aperiendæ Instructori, ad hæc capita reducuntur. An in tua vocatione stabilis firmusque persistas. An tria vota substantialia Religionis perfectè custodias. An alias virtutes exerceas, & cuius præcipuè studio delecteris. An aliquas tentationes perferas, & an eas superes, & quibus medijs, an verò illarum importunitate supereris. An in modo viuendi, quem elegisti, vel in aliquo eorum, quæ Prælati statuunt, aliquam difficultatem habeas, vt dubitationibus eximaris. An suis temporibus, & quomodò vocaliter, & mentaliter ores, & an consolationibus cælestibus afficiaris, vel potiùs mentis ariditate proberis. An cum fructu, magno, vel mediocri, vel nullo, Sacramenta Confessionis & Communionis suscipias, & quotidiano examini, spirituali lectioni, & alijs similibus exercitijs inhæreas. An spiritu proficias, vel semper quasi in eodem statu te inuenias. An Constitutiones serues, & quibus asperitatibus corpus domes, & quem animum ad aliquid pro Domino patiendum experiaris. An cum aliquo ex socijs nimiam familiaritatem spiritui noxiam, vel ex aduerso animi auersionem habeas. His & similibus clarè & dilucidè, sed breuiter explicatis, à Directore humiliter postulabis, vt si quid aliud scire velit, quod vtile futurum sit ad tuam animam instruendam, liberè interroget. Sicut enim sæpe non satis est, quod ægrotus dicit, vt corporalis medicus de qualitate ægritudinis informetur, vnde & ipse, quod opportunum videtur, interrogat; ita non sufficit aliquando quòd se quispiam aperuit, vt omninò à spirituali medico cognoscatur.

Alu. loc. cit. §.9.

285 Ad hæc, vt bene Director suum hoc munus obire possit, & opportuna ad hominis profectum interroget; iuuat has Societatis regulas intueri, ac perlegere, vt congruas petitiones & interrogationes addiscat. 1. *Præfectus rerum spiritualium cognitionem instituti Societatis, & Zelum boni progressus ipsius habeat, & in obedientia & humilitate exemplum alijs præbeat, & amabilem se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, & ab eo consolatio-*

Reg. Soc. Iesu in reg. præf. rer. spir. fol. 143.

 nem,

rem, & auxilium sperent in Domino. 2. Instruat nostros priuatim, secundùm uniuscuiusque captum, quomodò interiùs, & exteriùs se habere debeant, & ad id exhortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat, præsertim ut puram habeant intentionem diuini seruitij, & familiaritatem cum Deo *in spiritualibus deuotionis exercitijs, & Zelum sincerum animarum. 3. Petat, quem procedendi modum in oratione, & examine habeant, & si contra aliquem defectum, examen particulare faciant, & si contra inordinatos affectus, propria remedia adhibeant, & in solidis uirtutibus acquirendis, præsertim in obedientia quid obseruent, & de pœnitentijs & alijs deuotionibus. 4. Sicubi in his à rectitudine deflexerint, eos diriget, iuxta modum Societatis; erga cuius institutum, curet, ut omnes bene affecti sint: uideatque, ne dum nostri deuotionem habere procurant, caput lædant, aut uires corporis nimis debilitent. 5. Versatum ipsum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, & unicuique decernat tempus, & modum cum fructu eos legendi, qui sint faciliores, & nostro instituto magis conuenientes. 6. Peculiarem habeat curam consolandi afflictos, & tepidos exhortandi; remedia pro cuiusque infirmitate, uel necessitate, adhibendo: qualia sunt, frequentiùs communicare, plus temporis orationi impendere, exercitia spiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ aßumere, libros aliquos spirituales legere, & similia. Quæ autem ex his ipse concedere possit, & in quibus ad Superiorem recurrendum sit, ab eo intelligat. 7. Parem quoque adhibeat diligentiam, ut Coadiutores temporales quieti sint, & sorte Marthæ contenti: & pro eorum captu illos instruat, mysteriaque Rosarij doceat, ut maiore deuotione illud recitare possint. 8. Doceat omnes, ut præmissa oratione, & cum magna reuerentia ad Sacramentum Altaris accedant, & post eius perceptionem, per aliquod temporis spatium orent, & gratias agant. 9. Præter eos, quos satis instructos Superior iudicauerit, cum unoquoque agere de his ultra mensem ne differat; sæpe uerò consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in* Domino *proficiant. 10. In his autem omnibus uideat, ne ordo unicuique præscriptus impediatur, ac præsertim studia illorum, qui literis dant operam, nisi cùm Superior aliter iudicauerit.*

286 Verùm à nostris (vt Patrum Societatis est mos, cùm triduum spiritualis innouationis instituunt) præter Exercitiorum hoc tempus, præsertim in missionibus, & in domo Recessus, non Præfecto vel Directori, sed ipsi in primis Superiori Conscientiæ ratio reddi debet. Quod maximi momenti duxit S. Teresia, ad vitanda tentationum discrimina, ad conciliandam sibi maiorem Superioris industriam, diligentiam, amorem, solicitudinem, denique ad vberiorem feliciorémque in spiritu, & virtute prouentum. Quamobrem,

Instruct. P. Discalc. Congr. S. Eliæ Ordin. Carmel. fol. 6 n. 1.

post sanctissimum eius obitum, quendam alumnorum suorum sic per visum affata est: *Ad obseruantiæ regularis perfectionem summoperè pertinet, vt interioris hominis ratio Superiori exactè reddatur, Constitutioque seruetur, quæ præcipit, vt id faciant quoquo mense Religiosi, nihil Superiorem celantes. Cùm hac in re cœperit defectus obrepere, veri spiritus & Religionis nostræ feruor minuetur pariter, ac deficiet.* Tota verò aperiendæ conscientiæ ratio (vt iterum ex ipsorum institutione hunc ritum exponam) in subiecta fermè capita distribuitur; ex quibus, cùm ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem dicenda esse intellexerint, exactiùs à Superiore postulent explorari; si quid ille arbitretur, ad maiorem Dei Gloriam, & sui cordis omnimodam propalationem, debere vlteriùs aperiri. Hæc ergo, ex Carmelitarum instructione venient in examen? 1. An sua vnusquisque vocatione contentus viuat? 2. Quem exerceat obedientiæ cultum, illius maximè, quæ iudicium, rationemque captiuat. Insuper Castitatis, Abdicationis, aliarumque Virtutum, aut quam præ cæteris vltrò diligat, & consectetur? 3. An sentiat vllas animi perturbationes, vel se acriùs aliqua tentatione pulsari; quis ei modus, quæ difficultas, quæue facilitas reluctandi; in quos affectus, aut vitia sit propensior, atque incitatior? 4. Num contra Regulam, vel Constitutionem aliquam disseruerit; obfirmatéque iudicium, aut sententiam tulerit? 5. De Instituto nostro, eiusque medijs, quæ vsurpamus, ad Congregationis nostræ finem vtiliùs assequendum, quid sentiat? 6. Quémadmodùm sit affectus erga spiritualia: quamdiu orare consueuerit; & an prolixiùs, vtiliúsque mentaliter, an vocaliter; & quem teneat modum orandi? 7. An vsu rerum spiritualium mentis deuotio, oblectatioque augeatur: an verò tædium, ariditatem, animi diuagationem perpetiatur: in ijsque omnibus vt se gerat? 8. Quem fructum, ex frequentatione Sacramentorum, examine Conscientiæ, cæterisque spiritualibus Exercitijs capiat? 9. Vtrum, post redditam Conscientiæ rationem, plùs minúsue profecerit, & quem animum experiatur ad capessendam perfectionem? 10. Quàm seriò illa custodiat, quæ ex Constitutionibus, Regulisque non solùm communibus, verùm etiam proprijs sui officij ad se cognouerit pertinere? 11. Num frequentet mortificationes, pœnitentias, exercitationes alias, spirituali profectui conducibiles; peculiariter verò, qua sit præparatione animi ad Christi Crucem, vel contumelias eius amore perferendas, & horumne desiderio aliquo teneatur? 12. Quantum ex Religiosorum conuersatione secundùm Deum proficiat, & an alicui singulariùs sit familiaritate coniunctus? 13. Num fratrem aliquem,

Ibid. num. 2.

Ibid. num. 3.

quanuis leuiter auerſetur, & quemadmodùm erga Superiores afficiatur? 14. Quàm magno interdiu extra Dei præſentiam eſſe ſoleat interuallo, quámque in Orationibus iaculatorijs, aſpirationibuſque ſit frequens? 15. An vtatur actuum directionibus, & oblationibus, maximè primo mane, & ad vniuſcuiuſque actionis initium, ac in ipſa etiam actione (ſi longior fuerit) vt in Nouitiorum Inſtructione præſcribitur? 16. Certumne numerum quotidie exercere meminerit paruarum mortificationum, & an interdiu ex obliuione prætermiſſas noctu ſuppleat, antequam cubitum ſe recipiat? 17. An ſemel in anno ad ſpiritualia Exercitia ſeceſſerit? Et ſimilia.

DISQVISITIO TERTIA.

Quomodò Superior ſubditos adhortari debeat, vt magno adipiſcendæ perfectionis deſiderio impulſi, in ſolitudinem ſe recipiant.

287 MAGNO ANIMI FERV. AC PRÆPAR. Primò ad Superiorem præſertim intereſt, Religioſos ſeriò, & grauiter admonere, de ſpiritualium Exercitiorum neceſſitate. Si enim plerunque vſus inualuit, vt ſemel aut bis in ſingulos annos, domi ac cubiculo incluſi, potu & pharmaco aliquo, è corpore prauos humores eijciamus; cur pigeat, bis aut ſemel ſaltem, in annos ſingulos, animi vitia, quæ grauiores morbos inducunt, & mortem inferunt, expurgare? An procurandæ bonæ corporis valetudini, animi ſalus, incolumitas, & perfectio, poſthabenda? Hanc repetendæ ſolitudinis neceſſitatem cunctis ſodalibus expendere, & explicare, in Congregatione Miſſionis in Gallia, & in noſtro Receſſu, ipſius Superioris eſt munus. Pridie enim eius diei, quo Patres, vt ſolent, ſpiritualia omnes exercitia obibunt, veſperi poſt generale examen, vt vocant, Superior ea de re ſermonem inſtituit, aut ſaltem librum, aut ſcriptum aliquod legi mandat, quò de neceſſitate receſſus, & de eo bene, ritéque inſtituendo, diſſeritur: ac lectionem paulatim ipſe viciſſim explanat; vt rei momenta omnium animis altiùs imprimantur. Publica ergo hæc Superioris exhortatio fieri debet, tum ſi ſodales vnà ſecedant; cùm ſi bini, terni, aut quaterni viciſſim, poſt aliquod ſtatutum tempus, recollectionem incipiant. Tunc enim eſt ſatis, ſi de receſſu omnes inſtituendo commonefaciat, & ad eam ſolitudinem ſodales vehementer inflammet. Nam alijs tempo-

ribus sufficit, vt, cùm quis à Superiore secedendi facultatem exposcit, is, si annuat, subditum in Domino cohortetur, vt tam salubre negotium, magno animi feruore, & cum debita preparatione, suscipiat. Ioannes Suffrenus in Circo perfectionis, vt seriò hanc recollectionem ineamus, suadet, vt, minimùm, vnius diei præparatio præmittatur. Et subdit: Noui personas tam religiosas, quàm seculares, quæ ad huius actionis grauitatem attendentes, & memores, quòd Deus præmia sua nostris conatibus admensuret, quódque profiteamur nos maximi facere ea dona, quibus recipiendis debitá præparationem adhibemus, per dies omninò tres se se disponebant. Et his animi studijs, primò sæpe excitabant in se inflammatum huius secessionis desiderium, eóque votis omnibus anhelabant. Secundò recitabant Officium de sancto Spiritu, aut Hymnum *Veni Creator*, aliasue preces sæpius iteratas, eius opem ad tanti momenti negotium implorantes. Tertiò adhibebant quotidie, per eos dies, aliquam corporis afflictationem ex consilio Directoris: & offerebant hos tres dies diuisim tribus Personis Diuinis, & Beatissimæ Virgini, ob affinitatem, quam habet cum singulis illarum; vt tres animæ facultates, Memoria, Intellectus, & Voluntas; quibus in hoc secessu vtendum est, ritè disponerentur.

Suffr. §. 2.

Paul. de Barry. in Triduo Hagioph. Mon. Gen. fol. 7. 8. 9.

288 M. Maria Peronia de Chatel, quæ Visitationis sanctæ Mariæ quinta Ordinem inijt, solita erat dicere, quoties aut ipsa in solitudinem se abdebat, aut inducebat alias; afferre oportere maximum deuotionis affectum: Christum Dominum instar esse Regis opulenti, qui ex singulari propensione puellam inopem in sponsam delegerit. Hinc illa quidem palatium eius incolit, liberè adit ad sui Sponsi conclaue, fruitur gratia crebrioris alloquij, & mutuæ confabulationis: Verùm ista Principi non satisfaciunt, minùs adhuc diligi se credit, nisi ipsa se abdicet omni aliorum conuersatione, vsuque: solus cum sola esse desiderat, illique recludere secretiora sua conclauia, & singulatim suæ pretiosæ supellectilis gazas fidenter cómonstrare. Ille, qui vos in Sponsas suas assumpsit, ò caræ Sorores, aiebat ipsa, tam opulentus est, vt tametsi toto Anno versemur in consideratione opum illius admirandarum, velit nihilominùs tempus aliquod sibi vni dedicari, quo possit maiore otio nobis patefacere suos reconditiores thesauros: adeò vt si quæpiam solitudinem iniens interrogetur: Quò illam pedes? Meritò respondere debeat: Ire se ad perscrutandam inopiam suam, & rimandas Regis, & Domini opulentias. Sensus est, vt ab hac sui notitia, & detestatione inconstantiæ, ac miseriarum suarum, gradum faciat ad ingens desi-

derium excolendæ, expoliendæquè animæ ſuæ, vt dignam ſe Deo Sponſam exhibeat. Audi alios eiuſdem Religioſæ Matris ſtimulos, quibus ſorores ſuas in ſimili negotio incitabat. Paucis ante diebus, quàm extremus morbus illam lecto affigeret, vnde valere æternùm cœpit, interrogata, quale formaret de ſororibus cellulæ incluſis iudicium, benignè reſpondit: ſe ſe ab annis omninò tribus, aut quatuor ſupra decem, quando legerat in Eſtheris Hiſtoria, ſeceſſiſſe illam ad dies aliquot, vt vacaret ornando corpori, priuſquàm Regi Aſſuero ſiſteretur; ſorores ſuas intuitam, velut alteras Eſtheres, glorioſis nuptijs ſupremi cœlorum, terræque Domini deſtinatas. Dilectæ illæ ſorores, aiebat, ſecedunt in ſolitudinem, vt reddant ſe Sponſo ſuo, & Domino acceptas; & ego tanquam ancillula ſubindè electis illis Regis mei me offero paratam ad exhibendum aliquod officium, ſaltem, vt aliquam pij propoſiti aciculam infigam altiùs, aut amicæ reprehenſionis, monitioniſque admota ſcopula puluerem excutiam, qui poſſit illarum veſtibus adhæreſcere: Vt vt eſt, illas adeo ea mente, vt reddam elegantiores, & iſtud euincam, ne quid intus in animo, neque exteriùs in moribus reſideat, quod oculis Ieſu, amabiliſſimi illarum Sponſi, diſplicere queat. Hæc ex Paulo de Barry in monitis generalibus triduani ſeceſſus. Quæ omnia dicta volumus, vt officij ſui Superiorem, ac Directorem admoneant; & vt ſecedentium mentibus ac animis imprimantur.

DISQVISITIO QVARTA.

Quomodò Præfectus, qui quempiam inſtruendum, ac dirigendum ſuſcepit, ad ſolitudinem ducet.

289 IN SOLITVDIN. EANT. Curet ergo Director, vt in receſſum iturus, niſi Superioris Benedictione primùm accepta, & ſepoſitis curis omnium rerum, ac ſuis ritè muneribus alijs Fratribus, ex Superioris arbitrio, commiſſis, & conſignatis, Ianitore & Æditυo opportunè præmonitis, exercitia ſpiritualia in ſolitudine non incipiat. Cubiculum receſſus inſpiciat, ſi rebus neceſſarijs, ne deſint, an verò ſuperfluis, quæ tolli debeant, ſit inſtructum. Curet, vt Crucifixi Saluatoris imago, & Deiparæ effigies, vt Venerabilis Mater noſtra in ſua Regula inſtituit, habeantur. Porrò, ex Clericis Minoribus, *locus ipſe exercitiorum remotus ſit, & quoad fieri poteſt, à communi cæterorum habitatione ſeorſum poſitus, in quo nihil* Plum. in Director. Or. Ment. inſtr. n. 9. fol. 51.

Lib. 8. Diſq. 75. ſit

sit ab his Exercitijs altenum: & ideò Crucibus, deuotis Sanctorum imaginibus, vel pijs sententijs, & elogijs ornetur. Libri tantùm inferiùs describendi asseruentur. Instrumenta ad carnis macerationem spectantia, vt disciplina, cilicium, laneum aut ferreum cinctorium, in promptu habeantur. Pius quidam Scriptor, è nostris, in Recessus loco suadet, vt morientis hominis imago conspiciatur cum Sacerdote, qui salutis monita eius auribus insusurret: hinc verò tentator ipsum affligere, illinc Deipara, & Tutelaris Angelus fouere, vsque ad exitum, fidelem procurent. Quæ omnia, cùm nonnihil iuuent, si in promptu habeantur, non improbamus.

Io. Bapt. Decius in Arm. Spir. 3. p. c. 1. fol. 143.

290 Palæstra igitur exornata, in eam, veluti Christi pugilem, Ascetam inducat, pridie vesperi eius diei, quo vel præparationem, vel saltem exercitia est obiturus. Instruat, vt tria huic recollectioni scopum præfigat; Animi puritatem, reformationem, ac pulchritudinem: quæ nimirùm, annua vel totius ante actæ vitæ confessione, extirpatione omnium vitiorum, atque defectuum, & virtutum adeptione, acquiruntur. Porrò, vbi ad cubiculi conspectum accessit, his B. Petri Damiani aut verbis similibus vti posset, quibus Franciscus Garcias, Euangelicos Concionatores adhortatus ad secessum, exclamat: *Salue amica Solitudo; suscipe, alme Recessus, in amplitudine sinus tui prodigum, & peregrinum seculi transfugam. O Desertum Christi vernans floribus! O Solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi* (ait Hieronymus) *Ciuitas Magni Regis construitur! O Eremus familiariùs Deo gaudens. Age, Homo* Dei, *iam portum tenes salutis; iam solitudinem sociam accepisti vitæ administram, Diuinæque Ascensionis matrem, ac* Deum *ex homine efficientem, totiusque vitæ ducem, & moderatricem: en in prospectu est Cælestis Curia te expectans, dum in schola sanctitatis pura sit voluntatis, morumque mutatio; dum, sicut ad peccandum proiectus fuisti, sis ad pœnitendum paratus.*

Fr. Gar. Euãg. l. Concion to. 1. instit. 15. fol. 387.

291 Mox, inspecta Deiparæ Imagine, moneat Instructor, vt qui secessit, se illi deuotissimè, ac studiosissimè sistat, eius præsertim auxilium, ac protectionem imploraturus. Antonius Daza è Minoribus Obseruantiæ, in spiritualibus exercitijs Eremorum, quas S. Franciscus instituit, hæc suadet: *Antequam Religiosi ad Eremum eant, à Superiore locali Benedictionem accipiant: & illuc ingressi, ante imaginem Conceptionis sanctissimæ Virginis Mariæ flectant genua, & deuotè admodùm Antiphonam dicant, Tota pulchra es, &c. cum suo versu & oratione, addentes etiam illam S. P. Francisci, & Actiones nostras quæsumus Domine.* Nostri, post Dei Matrem, S. Patrem Nostrum Caietanum, & alij suum quique Fundatorem, ac omnes Tutelarem etiam Ange-

Daza in Exor. S. Frãc. fol. 25.

lum implorabunt. Sed Paulus de Barry, inter monita generalia, pro bene instituendo secessu hoc præsertim inculcat: *Præcipuo affectu Virgini Deiparæ, & S. Iosepho animæ tuæ miserias commenda.* Ego tres illos Apostolos Christo cariores adijcerem; quos, cùm pluries Dominus secessisset ad orationem, secum adduxit. Illud tamen, ex Clericis Minoribus, aduertendum, vt *Qui se exercere voluerit, recessum, & exercitia arripiat non coactè, sed spontaneè, & animo volenti, benè dispositus, & paratus in omnibus exequi Diuinam voluntatem, ac Spiritus sancti influxus.* Externas verò occupationes, negotia, seculi curiositates, imò familiares, & domesticos, omni diligentia, & seriò euitabit. *Sed Solitarius in se collectus, & ad superna eleuatus ita se gerat, resque animæ suæ ita tractet, ac si in hoc mundo ipse solus, & Deus, ac nullus alius esset: vel ac si in extremo vitæ termino positus esset*: Hæc illi. Et demum iuuat, si Suffreni seruet præcipuè monitum, qui sic ait: *Imaginare te, ab Angelo tuo Tutelari, qui peculiari quadam ratione tibi nunc adest, inductum in hanc solitudinem, tanquam in Montem Sinai, vbi Moyses quadraginta diebus, & quadraginta noctibus cùm Deo versatus est, tectus nube, ne videret, aut videretur ab vllo.*

Dom. Plumara in Direct. Or. Ment. instruc. nu. 1.

Ibid. num. 2.

Suffr. in Cir. per. s. 1. die 1. med. 1. præl.

DISQVISITIO QVINTA.

De explorando à Directore hominis in recessu versantis ingenio.

292 QVALIA CVIVSQVE INGENIVM EXIGIT. Planè qui exercentur, aut nostrates sunt, aut homines seculares, qui à nostris instituuntur; & de his primò, ex Carmelitarum instructione, dicendum. Quemadmodùm ergo ijs, qui ad conualescendum, vel ad sanitatem tuendam, instruuntur à medicis, pro diuersa corporis habitudine, exercitia quoque diuersa, vel certè, si generis eiusdem sint, diuersè tamen temperata præscribi solent; ita & ijs, qui à peccati morbo liberari, vel acceptæ gratiæ sanitatem perficere cupiunt, exercitia diuersa pro spirituali cuiusque temperamento percipienda sunt. Manifestius est quippe, quàm vt rationibus exponendum sit, alios vitijs inæqualibus obnoxios, alios ad virtutem inæqualiter propensos, alios amore, alios timore agi solitos, æqualibus eiusdemque formæ exercitijs iuuari non posse. Primùm ergo, qui exercendorum curam gerit, eum, qui se exercere parat exploret, in quem scopum exerci-

Car. instr. ad ex. spir. cap. 1. n. 1. 2.

Ibid. nu. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

tia dirigat, & qua ſpirituali habitudine ſit affectus, exquirat. Si enim ad hoc exerceri velit, vt à peccatis ſacra Confeſſione generali expietur, & pacata conſcientia in poſterum viuat; nulla ei opportuniora exercitia præſcribi poſſunt, quàm ſi rectam breuemque faciendi examinis rationem modumque veræ contritionis concipiendæ doceatur. Et quidem quod ad examen attinet, Decalogi capita, quaſi totidem loci communes ſunt, in quos cogitationes, verba, opera, & omiſſiones, quæ ad vnumquodque præceptum ſpectant, conferenda ſunt: quemadmodùm in pleriſque pijs opuſculis, quæ paſſim lectitantur, ſatis aptè traditur. Quod verò ad contritionem pertinet, quod minus tutum, & magis eſt neceſſarium, quæri debet, quale ſit cuiuſcunque ingenium. Etſi enim vniuerſis, qui de pœnitentia cogitant, communes rationes ex ſe quidem efficaces, quas vulgo Authores tradunt, ſalutares ſint; quia tamen ex varijs hominum affectibus frequenter accidit, vt ijs rationibus acriùs excitentur, quę non tam ad rem pertinere, quàm extrinſecùs afficere videntur; nihil, niſi expenſo hominis cuiuſque ingenio, prudenter decerni poteſt, vt ſubiecto liquet exemplo. Sunt plerique adeò metu mortis exagitati, vt, ſiue conſcientia per confeſſionem ſacram purganda, ſiue conceptus Dei timor alendus, ſiue virtus acquirenda, ſiue denique quidpiam aliud boni tentandum, maliue vitandum ſit, ſola mortis meditatione moueantur. Alios è contrario cœleſtis patriæ recordatio, ad peccatorum deteſtationem, & aliorum bonorum operum executionem fortiùs, quàm quælibet neruoſa ratio, vel pia meditatio mouet. Atque in hunc modum de alijs diuersè affectis cenſendum eſt. Explorato igitur hominis ingenio, ea meditatio ad concipiendum dolorem iniungenda eſt, quam efficaciorem experitur; vt per ſtatas orationis horas eam exerceat, donec Confeſſionis opus abſoluat. Quod ſi proprij ingenij rationem reddere neſciat (multi enim ſeculi rebus intentiſſimi, à ſe ipſis ex incuria, vel alijs modis alieniſſimi, rogati, qua meditatione potiſſimùm afficiantur, rem diſcernere neſciunt) rogandi ſunt an ſaltem inter pura ſpiritualia, puta Dei bonitatem, miſericordiam &c. & ſenſibilia, puta infernum, mortem, &c. aliquod in ſe ipſis affectus diſcrimen deprehendant. Alios enim Dei bonitas, miſericordia, &c. ad quæuis pia opera flectunt: alios nihil ſpirituale cogitare valentes, ea tamen permouent, quæ imaginatione figurantur, pro quorum diſcrimine præcepta tradenda ſunt, vt ſcilicet & meditentur, vnde ſe fructum elicere poſſe prudenter conijciunt. Si verò neque diſcrimen hoc rerum ſpiritualium, corporaliumque percipiant, ſed bono dumtaxat

Ibid. num. 9. 10. 11. 12. 13.

animo sint, iuxta communia Virorum spiritualium præcepta erudiendi sunt, vt scilicet communes rationes ad pœnitudinem concipiendam opportunas expendant, & ex animo peccata execrari conentur. Oratio ergo, piaque lectio, alijque actus, dum generalis Confessio fit, ad culparum detestationem dirigantur.

293 Pro ijs verò, qui ad maiorem profectum exercentur, eadem præcepta, quoad animum & propensionem cuiusque scrutandam, obseruanda sunt. Constat enim & horum mores diuersos esse, alios ad omne pium opus amore, alios timore præsertim moueri: quapropter, primùm de affectu proprio, ac exercitiorum fine, rogandi sunt. Si enim proficere se velle dicant, & è quibus meditationibus fructum vberiorem percipiant, Patri, à quo sunt regendi, compertum sit; & locum, & tempus, & pios libros, actusque cæteros ad profectum opportunos prudenter seligere, difficile non erit. Si verò de statu Religionis deliberare velint (qui vberior profectus est) cùm iam eo ipso, quod de re tanta consultent rationibus, quæ religiosi status perfectionem ostendant, proculdubio indigeant, & oratio, & pia lectio ea sit oportet, quæ ad tanti boni cognitionem, & amorem animum excitare valeat. Qua in re cauendum est, ne quid violentum fiat: etsi enim eos, qui spiritualem profectum exquirunt, quin & vniuersè quosuis idoneos ad Religionis statum hortari decere è SS. Patrum exemplis, ac doctrina pateat; quia tamen affectatum in hoc genere artificium humanum quid præfefert, salubrius est, eos, qui exerceri cupiunt, suauiter ducere. Suauitas autem in hoc ita esse videtur, vt qui eos regit, non instet nimis acriter, non oneret animum importunis, aut multiplicibus consilijs, nullum eius consensum vel dissensum extorqueat, asperitatem verborum & actuum vitet, pœnitentiæ opera, puta ieiunia, vigilias, ex viribus attemperet, idque potissimùm curet, vt quicquid ab ijs, qui exercentur, præstandum est, spontè nascatur. Iuxta ergo hanc doctrinam, qui de Religione non agunt, sed profectum aliquē exquirunt, nisi mutato consilio ex ijs, quæ cernunt, vt frequenter accidit, in Religionis statum aspirent, quod vel non rogati, vel suauiter admoniti significare solent, liberrimè agere sinantur, & insigni cum hilaritate sic instruantur, vt ad proprias ædes reuersi, quod didicerunt, conseruent. Si verò de aliqua Religione seligenda consultent, status noster ita eis sincerè proponatur, vt si in aliam Religionem reformatam propendeant, propositum commendetur ex all̄aturis: sic enim fiet, vt qui apud nos remanserint, non humanis consilijs, sed Spiritus sancti ductu agantur, & firmiùs perseuerent.

Ibid. cap. 2. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Lib. 8. Disq. 76.

Vide c.7.nu. 2.3.4.

294 Sed quod erga alios vniuersè præſcriptum eſt, à Fratribus noſtris, cùm de Superioris venia exercebuntur, obſeruari debebit; exceptis ijs, quæ ſtatum ſecularem concernunt. Quapropter, qui eos reget, perinde ingenium explorabit, meditationes congruas aſſignabit, & cætera omnia exhibeat, quæ dicemus. Præſertim tamen hoc teneat commune præceptum, vt longè vlteriorem à noſtris, quàm ab extraneis quærat profectum, non ex auſteritate corporis, quæ tam facilè amittitur, quàm paratur, ſed morum ſeria immutatione metiendum: vt conſtantiſſimè transferatur loquacitas in ſilentium, procacitas in modeſtiam, orandi languor in ardens meditandi ſtudium, vitia denique in virtutes. Quod certè monitum tanti faciendum eſt, vt non æſtimari aliud vel ſublimius vel compendioſius debeat: cuius neglectu, imperitiaue non paucis hæc exercitia parùm ſalubriter cedunt, nec rarò etiam inutiliter. Quare hoc monitum impenſiſſimè commendamus.

DISQVISITIO SEXTA.

Quomodò Instructor, in tradendis meditationibus, ſe gerere debeat.

295 AB EO EXERCIT. AC MEDITAT. Quomodò Solitarius in receſſu Directorem audire ac ſuſcipere debeat, vt ſuperiùs dictum, in prima Diſquiſitione huius libri, rurſus ab Diui Pauli primi Eremitæ Religioſis, hac Conſtitutione, docetur: *Inſtructorem ſpiritualem, tanquam inſtrumentum Dei reuerentia ac confidentia excipiat, tanquam paruulus (etiam ſi ſibi videatur doctus) lac ſpirituale appetens, ſincerèque edicat, quas conſolationes, illuminationes, deſideria, deſolationes, propoſita habuerit; quæ etiam in ſcriptis ſibi notabit pro futuris tentationibus: neque alias meditationes, aut pœnitentias aſſumat, præterquàm à Duce ſpirituali aſſignatas.*

Rel. S. P. conſt. p. 1. c. 1. n. 5.

296 Ipſe verò Director, monitis primùm æditüo ac ianitore, ne illum ampliùs accerſant, omnem ei quotidianorum operum ſeriem explicabit, & tempus diſtribuet, meditationi, horis Canonicis, conſcientiæ examini, ſacro vel celebrando vel audiendo, pijs precibus, aut aliter impendendum: quæ ne memoria excidant, ſcripto qui ſeceſſit excipiat; & hoc folium cum horologio arenario, ſuper ſcamnum aut menſam, veluti ſuæ nauigationis inſtrumenta, ob oculos habeat.

297 Quod attinet ad orandi materiam, Director meditationes apud ſe habeat, non in libellum compactas, ſed diuiſas alteram ab altera; & has Solitario debet tradere ſingulatim: ita vt cùm ſecundam exhibet, repetat primam. Sic Fuliensium praxis: & addit, vt *Directorium exercitator ſemper in cubiculo retineat apud ſe.* *Sanc. in off. Direct.*

298 Deinde, aduertit S.Ignatius, quòd ille, qui modum & ordinem meditandi ſiue contemplandi alteri tradit, fideliter narrare debet meditationis ſeu contemplationis hiſtoriam, percurſis obiter dumtaxat punctis illius præcipuis, & adiecta solùm breui declaratiuncula: vt is, qui meditaturus eſt, accepto veritatis hiſtoricæ primùm fundamento, diſcurrat poſtea, & ratiocinetur per ſe ipſum. Ita enim fiet, vt dum aliquid inuenerit, quod elucidationem vel apprehenſionem hiſtoriæ aliquanto maiorem præbeat (ſiue ex diſcurſu proprio, ſiue ex Diuina mentis illuſtratione, id contingat) guſtum delectabiliorem, & vberiorem fructum percipiat, quàm ſi res ipſa ei ab altero diffuſiùs narrata, & declarata eſſet. Non enim abundantia ſcientiæ, ſed ſenſus & guſtus rerum interior deſiderium animæ explere ſolet. *S. Ignat. exerc. ſpir. annot. 2.*

299 In agendo cum ipſo, vt P. Claudius Aquiuiuus in ſuo Directorio docet, *meminerit auctoritatem quandam ſemper retinere, ſeruata quadam maturitate, & grauitate, eòque etiam magis, quò is, qui in exercitijs verſatur, maior ipſo fuerit. Hoc enim valde expedit ad eius ſpiritualem profectum, vt locum & perſonam Magiſtri, vt verè eſt, tueatur.* *Cl. in Direct. c. 5. n. 3.* Temperata tamen hæc auctoritas eſſe debet cum humilitate religioſa, quæ eluceat in omnibus eius dictis & factis, ita vt ne veſtigium quidem vllius vanitatis conſpiciatur. Sed in hoc, vt monet, Chriſtum debet imitari, qui cùm forma eſſet omnis modeſtiæ, ſicut eſt ſcriptum, *Loquebatur tanquam poteſtatem habens.* *Ibidem.*

300 Nihil de ſuo apponat: ſed cùm eiuſmodi conſilia debant ex Diuina inſpiratione ſuſcipi, caueat, ne indiſcreto zelo conetur aliquid ei ſuadere; ſed ſinat Deum de ſua creatura diſponere, iuxta placitum bonitatis ſuæ. Quod vt meliùs & faciliùs in opere præſtet, ſeruet ſe in animo planè indifferenti, & in nihil aliud eius voluntas feratur, niſi vt ſanctiſſimum Dei beneplacitum in anima illa plenè & perfectè compleatur. *Idem ibid. nu. 5.*

301 Iuuabit, vt ſingula exercitia, antequam ea tradat, aliquantulum ipſe meditetur, ſi fieri poterit, vt meliùs imprimat alteri. *Ibid. num. 8.*

302 Moneat eum, vt Clerici Minores inſtituunt: *Inſtructionem & modum orandi aſſiduè legat & intelligat, vſumque illius, & praxin probè calleat.* Ruſus: *Sero antequam cubitum eat, legat meditationem ſe-* *Dom. Flum. in Direct. inſtr. n. 4. 5. 6. 7*

 quentis

quentis diei, & cum ea dormiat: & mane expergefactus eandem conſiderationem mente repetat. Item: *Non ſit curioſus ſcire, aut legere meditationes futuras aliorum dierum, & temporum, ſed eas ſolùm, quæ ſunt illius diei propriæ; ad quas etiam correſpondeat lectio librorum piorum.* Adhæc: *Otium eo loci quàm maximè euitabit. Libros ad rem, & quotidianam meditationem non facientes ne legat. Occupationes, & exercitia manualia, nimiùm diſtractiua, prorſus abijciat.*

Ignat. ex. ...ir. ann. 5. 303 Præſertim doceat, vt ex S. Ignatij monito, *Magno animo atque liberali accedens, totum ſtudium & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori; vt de ſe ſuiſque omnibus id ſtatuat, in quo ipſi potiſſimùm ſeruire poſſit, iuxta eiuſdem beneplacitum.* Qua de re Directorium Societatis hæc habet: *Qui ad exercitia agenda aggreditur, primò eniti debet, vt intelligat, quanta ſit res, quam aggreditur; nempe quæ non ſolùm ad animam pertineat, ſed ita pertineat, vt ſi modo ea quæ diligenter præſtet, quæ debet, iacturus ſit fundamenta ſpiritualis ſui profectus, quæ deinde tota eius vita vſui futura ſunt. Ex quo intelligat, quantam alacritatem & diligentiam, & fortitudinem etiam, ad tantum opus tantumque negotium afferre debeat. Itaque ſtatuat ipſe ſecum, viriliter agere, & omnia impedimenta diuinæ gratiæ reijcere; & omnes animi ſui vires intendere, vt huic gratiæ cooperetur; & ſe ad eam recipiendam, quàm poterit optimè, diſponat.*

...rect. cap. ...num. 1.

304 Non ergo, frater, in receſſu parui momenti opus aggrederis; ſed quod omni ſtudio ac conatu, cunctiſque animi neruis, ac ſumma contentione curandum eſt. Nec enim, vt P. Gaudier inquit, ſine vi aliqua & difficultate, ad ima vſque veteris vitæ fundamenta eruenda, & perdenda, diſſipandaque ea, quæ in te conſtruxit dæmon, mundus, caro, animus erit applicandus; vti & arx, & munitio (vt prorſus nihil remaneat) quatienda magnis motibus & crebris, imò continuis vtriuſque potentiæ, intellectus, & voluntatis ictibus. Deindè, non ſine tædio, & labore, ad intimos animæ receſſus penetrandum, & in profundas abyſſos deſcendendum ſæpe tibi erit. Eruenda, quæ ibi demerſa latent pondera, & rudera vitiorum, & procul magno conatu proijcienda; ſanctiſque deſiderijs, & firmis ac ſolidis propoſitis è Cælo aduectis, fundanda ſedes Deo digna. Verùm ſi generosè ferpenterque aggreſſus fueris; *corruet murus Hiericho*, facilè, fietque quod Deus promittit, de reædificatione ſanctæ Ciuitatis Ieruſalem: *In die illa ponam Duces Iuda, ſicut caminum ignis, & ſicut faciem ignis in fæno; & deuorabunt ad dexteram & ſiniſtram omnes populos in circuitu; & habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo.* Hæc & Gaudier, & Trinkellius *in prolog. cap. 6.* qui alterum

...ud. fol. ...7.

...ch. 12. 6.

adiumentum ex Directorio adiungit. Illud verò maximè neceſſariū; vt præter hoc deſiderium proficiendi in ſpiritu, ſit etiam bene reſignatus in beneplacito Dei, in ijs, in quibus adhuc liber eſt. Itaque animo paratus ſit, vt quicquid, à Deo cognouerit, faciendum eſſe, omninò exequi decreuerit. Quare non debet quiſquam deliberationem aliquam ſecum afferre, à qua dimoueri nolit. Deindè non debet etiam modum ac terminum ipſe ponere Dei donis; ita vt vſque ad quoſdam limites ſe illuminari, ac iuuari velit, non autem ampliùs. Nam præter quàm quòd valde indecens eſt, vt creatura hoc modo agat cum ſuo Creatore; valde etiam ſibi nocet: primùm, quia ſe ipſum priuat illis maioribus donis, quæ Deus fortaſſe daturus erat: deindè, quia illa ipſa illiberalitas, & reſtrictio, & ingratitudo in Deum, meretur, vt ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere. Quare debet potiùs animi ſinum dilatare, vt quàm maximè poſſit ſe ſe cum Deo coniungere, & quàm maximè ab eo ditari, & locupletari theſauris iſtis cæleſtibus deſideret. Inter cætera verò ita etiam animo conſtitutus eſſe debet, vt libenter & auidè hæc exercitia aggrediatur; non tam vt ſpirituali dulcedine fruatur, quàm vt Dei voluntatem de ſe intelligat; ſuumque affectum à terrenis omnibus auellat, & eum collocet in ſuo Creatore. Si verò Director ſolitarium videat deſolatione affici, ſeu tentatione, cauere debet, ne ſe durum vel auſterum ipſi exhibeat, ſed mitem potiùs ac ſuauem præſtet, confirmato eius animo ad agendum ſtrenuè in poſterum, detectiſque inimici noſtri verſutijs, eum ad conſolationem ſtudeat diſponere, tanquam breui ſubſecuturam. Sed cùm facile ſit & leue, affluente conſolatione, integram contemplationis horam traducere, difficillimum è contra; idcircò, aduerſus tentationem ac deſolationem ſemper pugnandum eſt, producto vltra præfinitam horam exercitio, vincendi gratia: ita enim non ſolùm diſcimus reſiſtere aduerſario, ſed eum etiam expugnare. Quod ſi vacans exercitijs cernatur conſolatione multa, & feruore magno ferri, obuiandum eſt, ne promiſſo aliquo, vel voto inconſultè ac præcipitanter facto, ſe obſtringat. Idque tantò fuerit diligentiùs præuertendum, quantò ille ingenij eſſe inſtabilioris perſpicitur.

S. Ign. l. cit.

Ibid. ann. 13.

Ibid. ann. 14.

305 Vt autem Creator ipſe & Dominus noſter in creatura ſua certiùs operetur, ſi accidat animam ad aliquod minùs rectum affici, atque inclinari; ſummoperè ac totis viribus nitendum eſt in contrarium. Tradens verò exercitia, inquirere ac ſcire nolens proprias alterius cogitationes, & peccata, ſupereſt, vt certior factus fideliter de cogitationibus à vario ſpiritu immiſſis, & ad maius aut minus *Ibid. ann. 16.* *Ibid. ann. 17.*

Ibidem ann. 18. bonum trahentibus, spiritualia nonnulla exercitia illi præscribat, præsenti animæ necessitati opportuna. Et planè iuxta eius, qui exercetur, habitudinem, puta pro ætate, doctrina, vel ingenio, accommodari debent exercitia: ne cui rudi aut imbecilli, seu debili, ea imponantur, quæ ferre non possit citra incommodum, nedum ad profectum suum assumere. Similiter, pro vt cuique in animo est se se disponere, impartiendum id demum est, quod eum potissimùm iuuare possit.

306 Demum illud est aduertẽdum, quòd multum à scopo aberrant, vt ait *T*rinkellius, qui inanes quasdam virtutum species, aut conceptus ex arbitrio confictos; aut Philosophica potiùs, quàm firma & certa, claraque fidei dogmata; aut denique malè fundatas in ingenij subtilitate scripturæ sacræ interpretationes, sibi pro meditationis materia desumunt: quorum omnium sterilitas mentem non potest replere; ac proindè inanem, ieiunam, ac frigidam relinquit. Qui igitur fructum solidum ex hac oratione desiderat, debet ex certo & infallibili fidei principio, per discursum, conclusiones practicas eruere, aptas ad excitandos in Deum pios animi motus. Ad quod, licet nonnullorum exemplo, subindè conducat aliquem sacræ scripturæ librum à capite ad calcem totum meditando percurrere, aut psalmos aliquos expendere, aduertendo ad verba, & affectus Authoris, absque alio ordine; nihilominùs multò magis præstat vitæ Christi (*quæ est lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum; via veritas & vita*) eiusque doctrinæ, in exemplùm nobis traditæ, sedula meditatione inhærere. In his enim mysterijs vitæ ipsius, sparsim, omnia continentur, quæ de vitæ purgatiuæ, illuminatiuæ, vnitiuæ, totiusque Christianæ perfectionis gradibus possunt à quoquam desiderari. Imò ea ipsa etiam Christi Domini mens fuit, ac propositum, vt & actiones suas nobis ad imitandum proponeret, & gratiam ad eas meditandas & imitandas necessariam, per easdem actiones suas, impetraret.

Trink. c.7.

Ioan. 1.9. Io.14.4.

DISQVISITIO SEPTIMA.

Quoties qui se exercet, & qua potissimùm diei hora, ab Instructore sit visitandus. Et quomodo se gerere debeat Director cum secularibus Viris.

307 QVOTIDIE INSTRVANTVR. Cœptis exercitijs, sit diligens Director in visitando suis tempo-

ribus eo, qui sic exercetur; de qua re Michael Muscus è nostris, in suo Regulari, suadet, vt *bis quotidie*, mane ac sub vesperam, ipsum adeat: Sancius Generalis Fuliensium, vt *bis aut ter* iterum in singulos dies. Sed S. Pauli Primi Eremitæ Religio inter Constitutiones hæc habet: *Porrò, meditantem primis tribus, aut quinque diebus, sufficiet semel in die visitare, nisi necessitas aliud suaserit.* Statuit P. Claudius Aquiuiuus, *Vt quotidie semel eum adeat, neque tamen sæpiùs, nisi aliqua occurrat necessitas, vt aliquando accidit prima hebdomada propter rei nouitatem, aut secunda propter difficultatem electionis.* Imò, cum hominibus grauibus, & bene introductis in spiritu, & deuotione, *Posset etiam*, ait, *aliquando esse vtilius, vt aliquis dies omitteretur.* Ego id puto, Directoris arbitrio, ac prudentiæ, relinquendum; qui, vel propensione, vel necessitate Solitariorum inspecta, se vtique sæpius, aut rariùs exhibebit, vt iudicauerit opportunius.

Musc. in Reg. lib. 6. c. 24. n. 9. fol. 317. Sanc. in Direct. off. Rel. S. P. Const. p. 1. c. 12. n. 8. Cl. in Direct. c. 6. n. 1. Id. ib. n. 2.

308 De tempore autem visitandi, viderit etiā Instructor, quid commodius, & aptius fuerit. Sancius putat, cùm meditatio tradi debet; sed quale expediat, non definit: monet tamen, vt ne id sæpiùs fiat. Verùm Claudio visum est opportunius *Matutinum*. Caussam assignat: *Quia tunc animus est magis dispositus ad res percipiendas, & penetrandas.* Quanquam subdit: *Sub vesperam, solet esse maior necessitas, quia tunc interdum magis crescunt tentationes, & desolationes; quia animus est minùs aptus ad contemplandum.*

Sanc. in Direct. Off. Aqu. in Direct. c. 6. n. 2.

309 Si verò seculares apud nos spiritualia hæc exercitia peragant, Carmelitarum instructio est audienda: *Pater ergo, qui exercitijs præerit, eos, qui exercentur, quotidie visitabit, & quomodò in oratione, pia lectione, mortificatione, alijsque peculiaribus exercitijs sibi iniunctis se gesserint, rationem exiget, ac de ijs culpis, quas admiserint, eos suauiter admonebit.* Tum demonstrabit per hæc capita proficiendi modum. Dabit operam, vt, bene perceptis ijs, de quibus interrogati responderint, exercitia omnia in maiorem spiritualis vitæ profectum dirigat; ita vt quæ tunc ediscunt, siue de Religione cogitent, siue non, quàm diutissimè seruent. Quoad orationem mentalem attinet, eos erudiet, eniteturque, vt si ad seculum redituri sint, firmiter statuant, diem nullum sine oratione, saltem modica, puta horæ dimidiæ vel circiter, præterire. Quoad piam lectionem spectat, modum sedatè legendi, & vbi mouetur animus subsistendi, ac propositum die nullo tam salutari pastu, qualis est sacra lectio, animam priuandi, persuadere curabit. Modum, opera, verba, & cogitationes summo mane in Dei, ac Beatissimæ Virginis gloriam dirigendi, eamque directionem aliquoties per diem repetendi docebit, & examen coscien-

Carm. Disc. instr. ad exerc. sp. c. 5. nn. 2. Ibid. n. 3. Ibid. num. 4. Ibid. num. 5. Ibid. num. 6.

Ibid. num.7. tiæ, antequam cubitum eant, commendabit, Modum actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis eliciendi docebit, & ad quotidianum eorum exercitium adhortabitur. Quæ autem ad virtutum actus producendos, & virtutes ipſas, mortificationemque paſſionum ſpe-
Ibid. num.8. ctant, ex Nouitiorum inſtructione, peti poterunt. Sed quoad mortificationem pertinet, hortabitur ſeriò, vt proprium iudicium, appetitumque ſubiugare, in rebus etiam minimis, aſſueſcant. Etſi enim Viri Illuſtres ſint, & pro ſeculari abuſu pretioſis veſtibus, & lauta menſa quotidie vtantur, in ipſis tamen conuiuijs, ſine vlla cæterorum nota, proprio appetitui multa delectabilia ſubtrahere, ac ſpirituali merito corporales dapes condire valebunt, & eodem proportionaliter modo, de honoris, & commoditatum mortificatione monendi; ac peculiaria munimenta aduerſum eam paſſionem, qua
Ibid. num.9. grauiùs infeſtantur, paranda ſunt. Conſilium autem hoc tanti profectò ponderis eſt, vt qui ex profeſſo illud arripuerit, inter medios ſeculi fluctus, Chriſtianam perfectionem feliciter comparare valeat, nullo prorſus ſeculari, etiam Principe quantùmuis negotijs intento, vel milite, vel mercatore excepto. Inter omnia verò exercitiorum
Ibid. nu. 10. lucra, Sacramentorum frequentia potiſſimùm colenda eſt: ſi enim hæc ſeriò decernatur, profectum ſpiritualem ex ſententia ſucceſſiſſe credendum eſt: omnia quippè vitia, puta iurandi, edendi, vagandi, ludendi licentia, & quiuis alij peccatorum præteritorum habitus extirpabuntur. Nam præter ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ vim, ad eam victoriam potiſſimùm ſubeſt familiaris ille ad Confeſſarios recurſus, vnde conſilia opportuna, & quotidiana remedia
Ibid. nu. 11. referuntur. Verùm, non hic ſubſiſtendum eſt, ſed pietatis opera, puta, eleemoſinæ, ſacræ Stationes, ſiue Indulgentiæ, Hoſpitalium viſitatio, & eius generis alia impensè commendanda ſunt; in quibus omnibus enitendum eſt, vt qui exercentur, proficere ſtatuant, & aliquem certum proficiendi modum, per totius vitæ curſum, te-
Ibid. nu. 12. nere decernant. Hìc autem de domeſtica gubernatione, de pace, de benignitate, de reddenda famulis mercede, alijſque ſimilibus agendum non eſt: hæc quippe neceſſaria cùm ſint, ab ijs, qui ad meliora proficere cupiunt, obſeruari ſupponimus; quæ, ſi & his monitis egeant, vnà cum alijs tradenda ſunt.

(✠)

DISQVISITIO OCTAVA.

Quomodò totius Perfectionis summa ex Abecedario addisci possit; qui solitario, Exercitiorum initio, tribuendus.

310 RELIG. PERF. ELEMENTA, ETC. Cùm renasci iterum in Domino oporteat, & puerorum naturam, vt PP. Generalium Ordinatione docemur, hoc est, insignem humilitatem, ac facilitatem, induere; perquirendæ perfectionis hunc modum sanctorum Patrum pietas adinuenit: vt puerorum in morem, spirituale aliquod Alphabetum addisceremus, hac tamen industria concinnatum, vt, singulis literis, singulæ aliquot insigniorum virtutum sententiæ ac regulæ exprimerentur: quo fieret, vt breui temporis spatio, in Alphabeti huius consideratione, ac exercitatione versatus, omnẽ ipse perfectionem altè animo possideret. Hinc etiam obseruabis, aliquot Dauidis Psalmos, & Ieremiæ Lamentationes, Alphabeti ordine, decurrere; scilicet, vt ex S. Hieronymo, *Hisce literis, & exordijs, in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens Viri iusti erudiretur infantia. Vt enim*, ex S. Ambrosio, *paruulorum ingenia primis literarum elementis, assuescunt addiscendi vsum aßumere*; ita nos etiam eiusmodi elementis vsum discamus bene viuendi. Ergo in recessu atque solitudine, vbi meliùs animo, quæ addiscimus, imprimuntur, tale aliquod Alphabetum, ab Instructore tamen acceptum, aut approbatum, semper ob oculos habeamus. Hoc paulatim addiscere, hoc exprimere moribus, omni animi contentione conemur. *In eo* enim, vt cum Ruperto Abbate loquar, *quòd singulæ sententiolæ singulis Alphabeti literis prænotantur, pulchrè nobis innuitur, vt humili conscientia paruulos nos esse inditemus, quatenus istorum declaratione sermonum illuminari digni habeamur. Scriptum nanque est:* Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Igitur ad istud Alphabetum tanquam pueri Abecedarij disponamur; sub istis vocibus contineri non dubitantes scientiam, quæ abscondita est sapientibus, & prudentibus, vt nec prima nouerint elementa.* Tale autem est Alphabetum, quod ex Thaulero superiùs in 1. *to. fol. 66.* vel quod à me traditum fuit *fol. 25.* vel quod *fol. 8.* ex pijssimo Thoma à Campis exhibui, & inter S. Bonauenturæ Opera *to. 7.* continetur, vbi etiam istud habes:

Hier. in Præf. in lib. Reg.

Ambr. in Psal. 118.

Rup. lib. 1. in Ier. c. 12.

311 A *Ma paupertatem, sis vilibus contentus,*
Bonis semper actibus iugiter intentus.

Caue multiloquium, studeas silere,
Deum omni tempore præ oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrænando,
Fratrumque conuiuia segniter sectando.
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare.
Humilibus consentiens maiores honorare.
In omnibus obediens, Prælatoque parebis.
Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos, Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore.
Nihil seruans proprium, nudum sequens Christum,
Onus leue sufferens, mundum vincens istum.
Passum Christum recole corde gemebundo,
Quærens Dei gloriam nil aliud in mundo.
Resistendo vitijs, orando feruenter.
Sacramentum sumere debes reuerenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando.
Vanaque colloquia solicitè vitando.
Xp̃o frui cupiens, cellam frequentabis.
Yesum super omnia sic dulciter amabis.
Zelo Dei feruens Charitatis igne,
Et in te peccantibus ignoscas benignè.

312 Simile est iambicis viginti quatuor versibus à Gregorio Nazianzeno digestum:

Agendorum initium sit & finis Deus.
Beatæ lucra vitæ quotidie mori.
Cognoscere hominum facta egregiorum stude.
Durum est egere, peius ditem esse improbè.
Eris si beneficus imitaberis Deum.
Fac sis benignus, vt benignum habeas Deum.
Geras, caue, carni morem; sed eam doma.
Habenis retine iram, ne te occupet furor.
Inhibeto visum, quædam linguæ norma sit.
Clauem auribus obde, risum lasciuum fuge.
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius.
Missam fac opinionem, remque amplectere.
Noscenda cuncta putato; sed quæ fas age.
Omnem exhibe hospiti honorem, cùm hospes ipse sis.
Procella timeri cursu debet prospero.
Quæcunque dat Deus, animo grato accipe.

Res virga iusti potior est, quàm honos mali.
Sapientum mihi fores non locupletum tere.
Tibine pusillum est, vnde quid ingens prouenit?
Vir magnus esse potes frænans petulantiam.
Probè tibi caue, alterius casum haud riseris.
Gratum inuideri, at inuidere ingens probrum.
Præstat animum quàm cætera offerri Deo.
O quàm beatus quisquis hæc seruauerit.

313 S.Ioannes Climacus *gradu* 26. terna habet *Rudium*, *Mediocrium*, & *Magistrorum*, vt ipse loquitur, *Alphabeta*; quæ tamen ordinem literarum non habent; sed veluti spiritualis vitæ institutiones ac elementa sic nominat. Ioannes Gerson 3. *par.* duodecim exhibet Alphabeta, quæ Diuini Amoris Alphabetum inscripsit; vbi quartum decerptum ex D.Benedicto sic habet: Gers. f.497.

Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.
Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet non sibi.
Castitatem amare.
Delitias non amplecti.
Elationem fugere.
Facere se à seculi actibus alienum.
Gehennam expauescere.
Honorare omnes homines.
In omni loco Deum se respicere, pro certo scire.
Karitatem non derelinquere.
Lectiones sanctas libenter audire.
Mala præterita cùm lacrymis, vel gemitu, quotidie in oratione Deo confiteri.
Non velle dici sanctum, antequam sit, sed priùs esse, quò veriùs dicatur.
Os suum à malo & prauo eloquio custodire.
Præceptis Abbatis in omnibus obedire.
Quod sibi fieri quis non vult, alteri non facere.
Risum multum aut excussum non amare.
Spem suam Deo committere.
Timere diem Iudicij.
Vitam æternam, omni concupiscentia spirituali, desiderare.
Xpi amori nihil præponere.
Zelum & inuidiam non habere.

314 Et Benedictus Haeftenus, ex S. Benedicti schola, aliud lusit, ac instituit hunc in modum:

Iaes. in catech. fol. 214

✠ *Abstractus seculo Dei clem-*
Ex hoc te speculo disce dec-
Amato Dominum tota pot-
Benefac omnibus sine inuid-
Cellam inhabitans serua sil-
Discursus fugias Obedi-
Et vera niteas indiffer-
Fer iugum Domini cum pati-
Gulæ remedium sit Abstin-
Honora Præsules cum reuer-
In Dei iugiter viuas præs-
Laua à malitia cor pænit-
Murmur, tepiditas, concupisc-
Neglectus Regulæ sint hinc abs-
Ora sæpissimè, pensa immin-
Pauper cum proprij viue car-
Quousque sequeris hæc fugi-
Relinque vilia citò lab-
Sectare humilia plus conduc-
Timor sit Domini prima prud-
Virtuti studeas, & stet sent-
Xp̃i vestigia sequi fulg-
Ymnos in populi canta frequ-
Zeloque ferueas & dilig-
Hisce virtutibus Claustra nit-
Et in virtutibus profici-
Votaque Domino Deo redd-
Steterunt pristino flore flor-
Sed rerum subijt vbi afflu-
Heu pura perijt mox consci-
Refrixit pietas, mansit sci-
Hæc cedat: quid erunt? quid? mera

E N T I A.

Quodcunque ergo ex his addiscendum ac exprimendum assumas, clamat Thomas à Campis: *Scribe nouelle Monache Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ; & per singulos dies chartulam tuam inspice, & bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna habent mysteria, & perfectorum opera: ornant exterius, & quietant interius.*

Lanc. opusc. 9. cap. 29. fol. 96.

315 Nec prætermittã quæ Nicolaus Lancicius ex Soc. Iesu, ordine Alphabetico, ac cõpendio, insigniter explicat. Nimirũ, *quæ requirantur, vt homo verè sit spiritualis, seu spiritualiter, & secundùm* Dei *spiri-*

tum, non humanum & politicum viuens. Suum ille Alphabetum ita digessit: Abstinere ab omni peccato, ita ne vnquam deliberatè offendatur Deus, & indeliberatè rarò. Benefacere omnia Opera ordinaria, iuxta rectæ rationis, & Regularum, & Superiorum præscriptum. Censurare nullum, ne quidem interiùs, & clamosa voce nunquam in colloquio vti. Desiderare perpetuas cruces, & authores earum tenerè diligere propter Deum. Eligere in omnibus id, quod est perfectius; & inter æquè perfecta, id quod magis displicet amori proprio. Fidelem Deo esse, etiam in paruis, nullam paruam legem vel Regulam transgrediendo. Gratis Deo seruire, omnia faciendo ex amore beneuolentiæ, sine intuitu præmij. Humiliare se infra omnes homines & dæmones. Interpretari benè omnia aliorum dicta, & facta, & intentiones. Laudare omnes aliorum res, quæ non sunt manifesta peccata. Meliorum conuersationem quærere, & conari vt meliores euadant ij, cum quibus conuersaberis. Nihil accipere vel dare sine facultate; ne quidem indiuisibile (si Religiosus es) & nunquam irasci. Orationes sine vllo peccato Deo offerre, eásque ad morum tuorum emendationem dirigere. Profectui perpetuo in virtutibus attendere. Quærere Deum explicitè in omnibus rebus, dicendo, *Propter te Domine*, saltem mente. Resignare Deo & Superioribus tuum liberum arbitrium, vt nil detrectes, nil eligas, nisi iuxta eorum voluntatem. Silentio premere mala, quæ pateris, & bona quæ facis, nisi certa necessitas aliud suadeat. Temporis omnes particulas bene expendere, in rebus meritorijs, & tibi conuenientibus. Viuere in Communitate irreprehensibiliter, & sine singularitatibus, alios meritò offendentibus. Zelare pro Dei honore propagando, & zelum attemperare, iuxta præscriptum rectæ rationis, & voluntatis Superiorum.

LIBER IX.

De Partitione Exercitiorum, ac Temporum.

ILLE verò Diuinam eos Præsentiam, edocebit, mente quotidie concipere, ac retinere: quicquid agunt, diligentissimè semper obire velle: ac se met, ad quid in Ordinem ac Solitudinem venerint, interdum interrogare. Tum eos paulatim attendere ac disponere debet, præsertim iuniores, qui scholasticis studijs occupantur, vt

firmissimè statuant, vna cum literarum eruditione sanctitatem coniungere. Quotidianorum deinde actuum seriem eis statis horis, ac temporibus, ordinabit; tempus diuinæ commentationi tribuendum præscribet; corporis afflictationes adhibendas signabit; spirituales libros ipsorum profectui aptiores eliget: & de quotidianis propositis, quæ subindè è meditationibus elicient, vt scripto notari debeant, admonebit. Choro autem, diuinis Sacrificijs, & communi mensa, an vnà cum alijs aliquando interesse, vel abesse expediat, id Directoris, ac Superioris arbitrio, derelinquimus. Aliorum tamen colloquio, & consortio, semper abstineant, & diligenter hoc curent, vt totius anteactæ vitæ Confessione, contracta animi sordes, veris lacrymis, ac seueriùs sanctiusque deinceps instituendæ vitæ propositis, eluantur.

DISQVISITIO PRIMA.

Quomodò Solitarius, vt de Deo continuò cogitet, ac semper ipsum præsentem ante mentis oculos habeat, primò omnium instruendus.

316 DIVINAM EOS PRÆSENTIAM EDOCEBIT. Eremitis ac Solitarijs, vt ex sanctorum Patrum Vitis instruimur, hoc documentum primò omnium tradi debet, vt se se verè Deo dedant, & offerant; ac Dei præsentiam sibi animo præfigere discant. Et modus quidem consistit in actuali memoria & cogitatione de Deo: in oblatione operum, & sermonum nostrorum: & in perfecta ratione operandi. Non igitur imaginatione aliqua est opus. (S.Basil. ho. 10.in Exam.) *Submoue*, inquit S. Basilius, *ista corporis phantasmata: nullo pacto potest figurari Deus, simplex, sine magnitudine, sine quantitate: noli aliquam formam in illo imaginari: noli Iudaico more diminuere magnum: nec prehendas Deum cogitationibus corporaliter, nec circumscribas illum mente tua.* Sed eo modo de Deo cogitatio, eiusque memoria haberi debet, quo habetur in exercitio actuum fidei, quæ hìc exercenda est circa tria. Primò, circa Dei immensitatem, ob quam (Ier.23.23.) (vt habes apud Ieremiam) *Cælum & terram implet*: ac proindè, intimè est præsens omnibus creaturis. Secundò, circa Dei scientiam infinitam, qua externa omnia nostra videt, & perfectissimè interna: (Hebr. 4. Rom. 8.27.) ideóque *scrutator cordium* appellatur: & eius oculis *nuda & aperta sunt omnia*, idque intimè cernentibus singula. *Oculi enim Domini multò plus lucidiores sunt, super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Tertiò fides est exercenda, circa concursum Dei ad omnes nostras actiones, sine quo nulla creatura quicquam efficeret. Qui fidei actus,

sine vllo discursu, & mora temporis, eliciendi sunt, per cogitationem & simplicem apprehensionem harum trium veritatum, quas omnes Catholici de Deo credunt & confitentur. Et hoc exercitio docebat S. Ignatius, scholasticos exerceri, *In quærenda Domini nostri præsentia in omnibus rebus: in conuersando, in ambulando, in aspiciendo, in gustando, in audiendo, in cogitando, & in omni re quam facimus: cùm certum sit existere Diuinam Maiestatem in omnibus rebus, per præsentiam, potentiam, & essentiam. Et hunc modum meditandi, inueniendo Dominum nostrum in omnibus rebus, esse faciliorem, quàm si eleuemus nos ad res diuinas cogitandas magis abstractas, faciendo nos cum labore illis præsentes: & pariet hoc exercitium bonum, si nos disponemus, magnas visitationes Domini, quamuis in vna breui oratione fiat.* Quod exercitium Præsentiæ Dei est veluti fundamentum vitæ spiritualis. *Nam si hominem cùm præsentem intuemur*, inquit S. Chrysostomus, *tum ad peccandum tardiores reddimur: sæpe autem & seruos modestiores subueriti, absurdi nihil admittimus; considera quantam adepturi sumus securitatem, si nos contigerit Deum assiduè in oculis ferre.* Et in psalmum 140. *Vbi est*, inquit, Dei *memoria, illic est peccatorum obliuio, & malorum interitus.* Et S. Ignatius Martyr: *Memento* Dei, *& non peccabis. Quis enim*, inquit S. Basilius, *vnquam eorum, qui credunt* Deum *in omni loco esse, & ijs rebus quæ fiunt interesse, ac adesse vnicuique actioni, voluntatesque cordium prospicere, aut cogitationem prauam suscipiet, aut scelera patrabit? Verùm tum primùm homines ad scelera patranda descendunt, cùm aut* Deum *non inspicere, aut illi curæ non esse, quæ hic geruntur, autumant.* Sed & iuuat Ethnicum Senecam hîc audire: *Magna pars peccatorum tollitur*, inquit, *si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem revereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi Lælium: elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio: & ipsum ante te ferens, & vultum ipsum tibi semper ostende, vel custodem, vel exemplum.* Et post Epicuri sententiam, *Sic fac omnia, tanquam spectet aliquis*, subdit: *Prodest sine dubio custodem sibi posuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis, iudices. Hoc quidem longè magnificentius est, sic viuere, tanquam sub alicuius boni viri, ac præsentis semper, oculis: sed ego etiam hoc contentus sum, vt sic facias quæcunque facies, tanquam spectet aliquis. Omnia nobis mala solitudo persuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum. Interim te aliquorum auctoritate custodi.* Quocircà M. Crassus,

S. Ignat. apud Lanc. opusc. 11. c. 1.

S. Chrys. ho. 4. ep. Rom.

S. Ignat. ep. 17. ad Heronem.

S. Basil. or. 2. de precat.

Sen. ep. 11.

insignis Orator, cùm virum grauem Mutium Scæuolam præsentem haberet: & petens Consulatum, blandiri, palpare, ac prensare vellet; *Quæso*, inquit, *Muti, paulisper abscedas: nec comitatu tuo me honestari putes: impedis honorem meum: te inspectante, ineptus esse non possum.* Timothei etiam viri sancti tanta reuerentia fuit, & *à virtute, quæ in eo cernebatur ab alijs, tanta vtilitas, vt etiam sola recordatione* (vt scribit S. Isidorus Pelusiota) *eos, qui ipsius* (mortui) *meminerunt, in officio continuerit.* Sed si tantùm viri sancti recordatio proderat: & si viri grauis cogitata præsentia vel Ethnicos in officio continebat; Dei præsentis apud nos memoria quid valebit?

Dan. 13. 22.

317 Susanna hoc exercitio communita generosè respondit: *Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus uestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus uestras, quàm peccare in conspectu* Domini. Hac eadem Dei præsentis & omnia peruidentis S. Ephræmus cogitatione munitus impuræ mulieris petulantiam vicit. *Si uis*, inquit, *nos ambos simul dormire, non in alio loco tecum congrediar, nisi in media Ciuitatis: sed non*, inquit, *pudore & rubore afficiamur, à uidentibus hominibus, si sic nos ibi iaceamus in media. Capta est mulier, quæ uoluit capere impatibilem animam & inexpugnabilem: ut quæ nec hoc anteà quidem cognouerat, quod dicit Salomon: Oculi* Domini *altissimi sunt innumerabilibus partibus sole splendidiores, qui intuentur omnes uias hominum. Cùm statim itaque uerbum apprehendisset meretrix, contra intulit uir præclarus: Si ergo hominum iudicasti oculos satis esse, ad pudorem afficiendam animam, & à mala actione abducendam*, Dei *oculos, qui omnia intuentur, tam quæ clam, quam quæ apertè fiunt, non multò magis reuerebimur & extimescemus, & à re mala abstinebimus? qui semper nobiscum habitantem in nobis excitat conscientiam, & ex ea nobis reseruat tormenta, quæ finem non accipiunt? Hæc suffecerunt non solùm ad Meretrici persuadendum, ut abstineret ab improba illa cum libidine, sed ut priorum etiam eam malorum pœniteret, & adferret mutationem totius uitæ & sententiæ.*

Surius ex Metaphor. 1. Febr. vita c. 5.

Tob. 2. 10.

Proindè senex Tobias, qui filium *Tobiam ab infantia docuerat timere Deum, & abstinere ab omni peccato*, morti proximus, inter alia hoc monitum filio dedit: *Omnibus diebus uitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et veluti huius Dei præsentiæ ac memoriæ fructum addidit: *Et caue, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta* Domini *Dei nostri.* Hinc S. Nilus Abbas, sui cuiusdam Opusculi initio, ait: *Semper de Deo cogita, & mens tua Cælum cum Angelis fiet.* Et B. Baptista Verana sanctimonialis Franciscana, monebat: Quantum potes, habe mentem in Deo fixam: quantum tibi concedet tua fragilitas, & diuina gratia. Hæc est magis vtilis

S. Nil. opusc. cui tit. Diuersa capita.
Chron. S. Frãc. 4. par. n. 2. lib. 7. c. 31.

 & ne-

& neceſſaria res, quam poſſit facere ſeruus Dei. Hoc ſanctificat mentem, calefacit affectum, illuminat intellectum, & ſeruit pro fræno ad cauenda peccata venialia: eſt ſcopa vitiorum, & præparatio ad orationem; ad quam multi euntes non ſentiunt deuotionem, ſed ariditatem, & faſtidia mentis: & poſteà dicunt ſe non habere gratiam orationis. Et tamen non eſt ſic, ſed totum hoc inde euenit, quia non direxerunt cogitationem ſuam in Deum, quæ præparat ſedem ad orationem mentalem. Vnde is, qui cogitat de Deo, citò peruenit ad finem deſideratum, ſine mora temporis, quia præparauit locum Domino: & recipit gratiam lacrymarum, compunctionis, guſtus, & deuotionis. Hoc eſt ſignum infallibile, maius omnibus alijs, ad cognoſcendum, ſi aliquis eſt ſcriptus in libro vitæ. Quia ſæpe cogitando de Deo, argumentum eſt, ſupremam bonitatẽ noſtri recordari. Et habeas pro certo, quò ſæpius eius recordaris, quòd eò ſæpius ille recordabitur tui. Hoc B. Baptiſtæ fuit demõſtratum à Spiritu ſancto, vt eius anima magis accenderetur ad hoc angelicum exercitium. Ex hoc exercitio (pergit Auctor eius vitæ) tres effectus habuit: Primò fecit illud eam cæcam ad videndos defectus proximi. Secundò, animam cordiali deuotione ornauit. Tertiò, conceſſit ei loqui de Deo amorosè, & cum vtilitate audientium: quia ex abundantia cordis os loquitur. Vas illud vinum effundit, quod continet. Multi procurabant munditiem cordis, per viam valdè longam & laborioſam, ieiunando, vigilando, cædendo ſe, dormiendo in terra, in frigore & calore corpus affligendo, & totum hoc pro obtinẽda puritate interiore, in qua poſſidetur conſummata perfectio. Sed hæc B. Baptiſta tenebat tanquam ſecuriſſimam veritatem, ſæpe cogitando de Deo, hoc donum acquiri citiùs, meliùs, & cum minore labore. Hactenùs Chronicon Franciſcanum.

318 Cæterùm cùm Dei præſentia ſine memoria habeatur in noſtrorum operum oblatione, quam dixi; hæc Oblatio fieri poteſt, vt notat P. Lancicius, tribus modis: Primò, per verbum, *Volo*: ſecundò, per verbum, *Offero*: tertiò, per *Facio aut dico*. Exempli gratia: *Pater cæleſtis Deus, volo purè propter te ſurgere*. Vel: *Pater cæleſtis, Deus, offero tibi hanc ſurrectionem meam*. Vel: *Pater cæleſtis Deus, ſurgo, dicam, recreabo me iam, lauo vel lauabo me, comedo vel comedam iam propter te*. Omnes hi modi ſunt boni, & æquè meritorij, & ſatius eſt, modò vno illorum, modò altero vti, & non ſemper eodem: quia magis attento animo offerentur ſingula, quàm ſi offerrentur, vna ſola formula oblationis ſemper adhibita. Et talis modus offerendi & operandi eſt præſtantior & perfectior, & magis me-

Lanc. opuſc. 11. fol. 9. col. 1.

ritorius cæteris paribus, quàm deuota oratio, in contemplationis quiete; tum quia eſt actus caritatis, non religionis, vti eſt oratio (quæ à caritate ſuperatur perfectione) tum quia perfectior eſt amor Dei, quo creatura aliqua amatur propter Deum, quàm ille, quo ſolus Deus amatur, vt docet S. Thomas. In vtroque enim amore eſt idem obiectum formale, ſcilicet Deus purè propter ſe amatus: in illo autem eſt materiale nouum additum, ſcilicet creatura, quæ propter Deum amatur, vel opus aut ſermo aliquis, qui propter Deum fit. Et hoc eſt, Deum in creaturis amare, vel creaturas in Deo. Et ſicut Regi magis placet ille Cubicularius, qui ex amore Regis laborat aliquid in cubiculo Regis, in bonum aut guſtum Regis, quàm qui aſſiſtit Regi, amans Regem, & ex amore Regis, cæteris paribus; ita & Regi cæleſti magis placent illi Religioſi, qui ſunt velut Cubicularij eius, & cæteris paribus laborant pro Deo, faciendo omnia & ſingula propter Deum, vel loquendo; quàm alij qui nihil laborando ſedent in quiete ſuæ Contemplationis. Et hanc ob cauſam Theologi omnes cum S. Thoma dicunt vitam miſtam ex actiua & contemplatiua eſſe perfectiorem ſola contemplatiua. Suadetque Lancicius in oblatione operis expedire, vt ſimul offerantur circumſtantiæ illius ſingulæ, tanquam partialia obiecta. Exempli gratia, ſurgendo ex lecto ſic potes mente, vel dum ſolus es in cubiculo, etiã voce dicere: *Pater cæleſtis, Deus ſanctiſſime & dilectiſſime, ego propter te in vnione meritorum, & omnium operum Chriſti* Domini, *nunc volo ſurgere vel ſurgo, ſine mora, vt promptè obediam campanæ, ſanctæ Obedientiæ, & honeſtè atque decenter, ſine denudatione indecora corporis, vt quantocyùs incipiam te in vigilia glorificare &c.* Sic eundo ad menſam, poſt pulſum, mente dicere potes: *Eo, propter te, Pater cæleſtis Deus ſanctiſſime & dilectiſſime, in vnione operum & meritorum Chriſti Domini, ſine mora ad menſam: & obedio tuæ voci, per campanam mihi intimatæ: & ibi propter te volo comedere ſobriè, in cibo & potu, ſine curioſitate oculorum, non optando meliora, imò volo me mortificare ibi in aliqua re, & volo eſſe contentus ijs, quæ apponentur: & volo comedere mundè, & decenter, & cum ſilentio, & ſine auiditate: & volo ſimul mentem paſcere lectione pia, ad inflammandam eam, in maius obſequium & laudem tuam.* Pro quibus & ſimilibus actibus, ſufficit illud tempus, quod inſumitur eundo è cubiculo ad triclinium. Simili modo Director ſolitarium doceat, Recollectionem, ſilentium, & Deo ſingulas actiones offerre.

2.2.q.27. art. 8.

S.Thom.2.2 q.188.art.6.

Lanc. lo. cit. fol.10.col.1.

Idem ibid.

319 Quo ad modum verò operandi, ſciendum eſt, ex frequenti eleuatione mentis ad Deum, oriri noſtrorum operum ſanctitatem.

Qua de re ita S.Chryſoſtomus: *Precatio*, inquit, *ceu radix & baſis omnibus cæteris ſubſternitur; neque ſecus ac nauem & domum, ea, quæ ſubſtrata ſunt, validam reddunt, ac ne ſoluatur continent, ita vitam noſtram orandi ſtudium & continet, & vbique firmam reddit, adeò vt abſque hoc nihil boni nobis poſſit contingere, neque quod ad ſalutem conducat.* Quocircà monet Spiritus ſanctus: *In omnibus vijs tuis cogita Deum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Vel vt LXX. interpretes habent: *Rectas faciet vias tuas*, ideſt, opera. Laudatúſque eſt Noemus, *Vir iuſtus atque perfectus*. Statimque iuſtitiæ origo & cauſa ſubiungitur: *Cum Deo ambulauit*. Sic & Dauid, *vir ſecundùm cor Dei, & fecit omnes voluntates* Dei; *& fecit rectum in oculis* Domini, *& non declinauit ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ excepto ſermone Vriæ Hethæi*. Et aiebat: *Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua*. Suæque ſanctitatis cauſam aſſignat: *Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo*. Itemque alibi: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*. Rurſus: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos*. Quod etiam Ezechias illis verbis oſtendit: *Obſecro Domine, memento quæſo, quomodò ambulauerim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim*. Et hæc ratio fuit, cur Abelis opera *iuſta* eſſent, fratris verò *maligna*. Audi Ioſephum: *Abel iuſtitiam colebat, & omnibus actionibus ſuis Deum præſentem ratus virtuti operam dabat*. Conſiſtit igitur hæc oratio in quibuſdam affectibus breuiter, ſed feruenter eliciendis. Quam ideò Iſaac Abbas apud Caſſianum appellat *Igneam & perpaucis expertam vel cognitam (imò vt propriùs dixerim) ineffabilem orationem, quæ omnem tranſcendens humanum ſenſum, nullo non dicam non ſono vocis, nec linguæ motu, nec ulla uerborum pronuntiatione diſtinguitur: ſed quam mens infuſione illius cæleſtis luminis illuſtrata non humanis atque anguſtis deſignat eloquijs, ſed conglobatis ſenſibus, uelut de fonte quodam copioſiſſimo, effundit ubertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta premens in illo breuiſſimo temporis puncto, quanta nec eloqui facilè, nec mens percurrere in ſemetipſam reuerſa præualeat.*

S.Chryſ. l.1. de orando Deo.
Prou. 3. 6.
Gen. 6. 9.
1. Reg. 13.
Act. 13. 12.
3. Reg. 15. 5.
Pſal. 118. 168.
Pſ. 15. 8.
Pſ. 24. 15.
4. Reg. 20. 3.
Ioſ. l.1. antiq. cap. 3.
Caſſ. coll. 9. cap. 24.

320 Modum verò benè ac perfectè operandi, ita traditur à Lancicio. I. Vt fiant opera ſine vllo peccato deliberato plenè. Quod præſtat præmiſſa Oblatio operis Deo facta. Et hanc Regulam ex S. Ephræmo ſic habes: *Si orationem operi præmiſeris, aditus peccato in animam non patebit*. II. Vt fiant pura intentione. III. Vt fiant cum omni diligentia in Domino: quomodò fierent Christo viſibiliter ſpectante. Et hoc eſt, *ſolicitum ambulare cum Deo noſtro*. Deo à nobis id requirente. IV. Vt fiant accommodatè ad finem, ob quem in-

Lanc. lo. cit. cap. 17. fol. 70.
S. Ephr. de orando Deo.
Mich. 6. 8.

Eccli.33.23. stituta sunt, & à viris perfectis fiunt, iuxta illud: *In omnibus operibus tuis præcellens esto:* & vt fiant iuxta morem receptum & probatum eo in loco, in quo degis. V. Requiritur, vt fiant adæquatè ad lumen internum, quod habemus de modo ea faciendi, vti faciebat B. Aloysius: quod lumen oritur partim ex dictamine ipso luminis naturalis, partim ex doctrina acquisita per multiplicem extrinsecã instructionem, per lectionem, vel auditionem hausta; partim ex intrinseco Dei lumine infuso, quod docet, quæ fugienda, & quæ adhibenda sunt ad benè operandum. VI. Requiritur, vt fiant cum magno feruore animi, seu actuum intentione. Hæc Lancicius, & subiungit: Porrò nemo multitudine horum actuum se obruendum putet, aut de eorum praxi desperet. Sensim enim ijs frequentandis assuefaciendus est animus: nec ipso initio huius exercitij, statim à tyronibus, circa hæc omnia mens occupanda est, sed modò circa vnum genus, S.Io. Clim.gr. 25. modò circa alterum. Et monitum S. Ioannis Climaci reuocandum: *Non te ea quæ dicta sunt perturbent: nemo vnquam repentè vno simul passu scalæ omnes gradus conscendere potuit.*

DISQVISITIO SECVNDA.

Quanti referat, Solitarium in Recessu ab Directore instrui, vt cum magna Diligentia obeat quicquid agit.

321 DILIGENTISSIME OBIRE VELLE. Spiritualium à nobis Exercitiorum finis ac scopus in Recessu ac solitudine præsertim habendus, ab Alphonso Roderico, & Michaele Musco laudatur esse, si nos in animo statuamus velle spiritualiter exerceri, vt cuncta nostra quotidiana Opera cum perfectione obeantur: quæ quidem perfectio cùm ex diligentia exoriatur; de ea instrui debet solitarius ab suo Directore, & hac Disquisitione à nobis instituendus. Itaque, vt Cornelius Frontonus est author, Front. l.de ser.Lat. dicitur, *Diligentia à deligendo singula.* Qui enim diligens est in rebus agendis, iudicio suo seperans pretiosum à vili delectum habet. Ideò, S.Isid.l.1.de diff.verb. ex S. Isidoro, *diligere affectionis est, deligere iudicij.* Diligentia ergo spiritualis est cura, quâ spirituales res bene fiant. Proindè Samaritanus ille misericors, in Euangelio Lucæ, stabulario vulneratum commendans, ait: *Curam illius habe.* Quod Græcè sonat: *Diligentiam erga illum exerce.* Luc.10.35. Cuius diligentiæ sex proprietates à M. Tullio enu-

merantur, cùm de inuentione Oratoria sub persona M. Antonij disputans, ait: *Ars demonstrat tantùm vbi quæras, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar vno verbo, quo sæpe iam vsi sumus, Diligentia.* Videtur autem alijs hæc matrona, nouem ancillarum comitatu septa, & multicolore veste induta nouem modis oblectare oculos intuentium. Est enim accurata, cogitabunda, perattenta, mentem in se ipsam suasque actiones subindè reflectens, solers, vigilans, celer, laboriosa, seu strenua: & assidua, seu perseuerans in rebus susceptis & inchoatis perficiendis. Quarum sex priores proprietates animum diligentis exornant; posteriores quatuor splendescunt in corpore. Dicitur *accurata*: nam ex Plinio seniori, *Omnia scrutari, nihil intentatum relinquere, curæ est ac diligentiæ.* Et hæc cura non vulgaris debet esse, sed exquisita, quæ ab alijs *studium* appellatur, & definitur à M. Tullio, *Animi assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio.* Et Guillelmus quidem Parisiensis duas curæ rationes assignat: alteram, quæ sola cogitatione contenta est: alteram, quæ cum actibus est coniuncta adeò, vt cum Festo dicatur cura, quòd *cor vrat*, sed ita tamen vt virtutis fines minimè excedat. Deindè debet esse *Cogitabunda.* Nam cogitationem animi M. Tullius illi tribuit, quam Iulius Nigronus à consideratione non separat, & inter comites diligentiæ ponit *attentionem*. Et inter parum accuratam considerationem indiligentis, & diligentis attentam, videtur illi discrimen poni posse, quod Optices Magistri docent inesse inter aspectum simplicem, seu visionem primo primam, atque intuitum, seu diligentem obtutum, qui est recta ratio cernendi. Ille celeriter quidem, hoc est, puncto temporis fit, per quemcunque pyramidis opticæ radium: sed imperfecta visio est, quæ rem totam non comprehendit. Atque huic similem pronuntiat considerationem indiligentis. Intuitus verò fit quidem aliquanto temporis spatio per coniunctos axes, sed planè perfecta visio est, rem omnem perspicuè comprehendens. Partes enim cunctas, etiam minutissimas, sagaci indagatione peruadit, lustrat, distinguit, confert inter se; numerum earum, magnitudinem, figuram, colorem, proportionem obseruat: ob eamque causam diligens obtutus est dictus. Et talis Nicostrati pictoris intuitus fuit in spectanda Helena Zeuxidis in tabula, quæ multa visu digna exhibebat. Cùm enim quæsitum esset ex eo, quid tamdiu diligentissimè miraretur, interroganti rectè respondit: *Non id me interrogares, si meos oculos haberes.* Quem nos diligentem obtutum vtinam in nobis inspiciendis, fœminarum accurationem imitantes adhiberemus:

Cic. l. 2. de or.

Nigr. tr. 8. num. 6.

Plin. l. 23. c. 6.

Cic. l. 1. de inu.

Paris. p. 1. de vniu. p. 3. c. 10.

Fest. l. de verb. sign.

Vide Franc. Aguilonium l. 1. Opt. propos. 81. & seq.

Ælianus l. 14. var. histor. c. 47.

Iac. 1. 23. 14 non illum negligentis viri fugacem, qui *considerauit vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit*. Et hoc est illud, *Attende tibi*; quod S. Basilius explanans ait: *Omni cum diligentia tibi intentus esto*. Quarto loco additur consideratio in se suasque actiones ita *reflexa*, vt diligens cognoscere queat, vtrum res bene fiat. Quocirca S. Basilius, & ex eo S. Bernardus, indicat hoc præstare oculo mentem, quòd potest se ipsam omni ex parte circumspicere & intueri, non item oculus. Potest & mens suas actiones reflexa consideratione intueri, metiri, expendere, & iudicare, non oculus: cui non conceditur à natura, quod suam visionem videat, ac de ea iudicium ferat. Et menti similem esse diligentem oportet, vt cunctas suas actiones expendat. Ideóque elapsa meditationis hora, vel penso Diui Officij persoluto, debet solitarius in se ipsum considerationem conijcere, exquirens quàm bene vel ipse in Meditatione vel in Horarum recitatione processerit. Et ita Deum imitetur, qui ad nostrum exemplum videtur in rerum creatione animum reflexisse ad ea quæ creauerat; vt repetita illa verba sæpius indicant: *Et vidit Deus quod esset bonum*. Quinta est *solertia*, quam definit Aristoteles esse *bonam quandam coniectationem medij, in non perspecto tempore*. Nam cùm aliquid ex improuiso agendum occurrit, debet diligens adhibere solertiam, vt impedimenta remoueat, vel inueniat adiumenta ijs repellendis, quæ rei agendæ perfectioni resistunt. Sexta est *Vigilantia*, de qua D. Augustinus à S. Thoma productus agit, qui de solicitudine siue diligentia quæ ad prudentiā pertinet, ita loquitur: *Nec de prudentia diutiùs disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum & vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum, de quibus iam dictum est, effici potest. Huius autem excubiæ atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione, fallamur: vnde sæpe Dominus, Vigilate clamat*. Itē S. Ambrosius qui explicans requisitam à Paulo solicitudinem in Antistite non distinctam à diligentia, Vigilantiam illi adiungit, his verbis: *Eum qui curam, vt præsit Fratribus, suscipit, iuxta fidem suam accipere uigilantiam, & auctoritatem, ut proficiat, in quo solicitus est*. Et id est, quod Apostolus inculcauerat: *Tu uerò uigila, in omnibus labora*. Et Episcopo illi ait: *Esto uigilans*. Quod Ricardus Victorinus interpretatur: *Esto solicitus de tua salute. Ille nanque non uigilat, qui semetipsum negligens de sua salute non cogitat*. Septima diligentiæ perfectio est *Celeritas in agendo*. Ideóque Salomon ait: *Hominem uelocem uidisti in opere suo? coram Regibus stabit*. Et Ecclesiasticus: *In omnibus operibus tuis esto uelox*. Quod Græcè ex Iansenio sonat: *Strenuus, acer, diligens*. Octaua est

S. Basil. ho. in attende tibi.
S. Bern. l. de vit. solit.
Gen. 1. 11. 18. 21. 25.
Ar. l. 1. post. c. vlt.
S. Th. 2. 2. q. 47. art. 9. & q. 54. ar. 1. ad 1. S. Aug. l. de mor. Eccl. c. 24.
S. Ambros. Rom. 12.
2. Tim. 4. 5.
Apoc. 3. 2.
Ric. in cap. 3 Apoc.
Prou. 21. 29.
Eccl. 31. 27.

 vigor,

vigor, labor, conatus, per quos diligentia dicitur strenua, *laboriosa* virilis. Quod illud idem Pauli declarat: *Tu vero vigila, in omnibus labora*. In prouerbijs item Salomon ait: *Mulier diligens corona est viro suo*. Vbi LXX. Interpretum versio habet: *Mulier virilis*. In libro item Paralipomenon vbi legimus, *Et agite diligenter*, Latina interpretatio LXX. vertit, *Viriliter*. Nona & postrema proprietas Diligentiæ est *Assiduitas*; illi vt superiùs vidimus, à Cicerone attributa: dicta fortassis ab assidendo, quia diligens operi assidet, nec deserit, aut intermittit, donec exactè perficiatur. Sed quàm nobis in nostris quibuscunque bonis operibus opus sit diligentia, discimus primò ex illo Genesis: *Nonne si bene egeris recipies; sin autem malè statim in foribus peccatum aderit?* Vbi sermo est de Cain, cuius Deus munera non respexit, sed benignis oculis respexit Abelis ad sacrificia, vt in præcedenti disquisitione docuimus *fol. 365*. Et benè S. Chrysostomus defuisse tradit in Cain sacrificio diligentiam, quoniam non rectè discreuit quid offerret; sed quicquid fortuitò fuit obuium illud obtulit: quod non fecerat Abel; ex quo generali propositione sic infert: *Oportet offerentem Deo, magnam in discernendo adhibere diligentiam*. Nam ex Elia Cretensi, Nazianzeni scholiaste; *Bonum nisi bene fiat, boni nomen amittit*. Et optimè Ioannes Gerson aiebat: *Deum non remunerari verba sed aduerbia*. Proinde S. Ambrosius Abrahami filium immolaturi celeritatem commendat, *Et studium maturum atque festinum*: quòd de nocte surrexerit: quòd se præparaturum edixerit: & quòd oculis festinanter quæsierit sibi locum à Deo præceptum. Et alibi rationem adijciens, cur Deus in eo reuocando à filij cæde appellationem nominis iterauerit; *Repetiuit*, inquit, *vocem, tanquam veritus, ne præueniretur studio deuotionis; & vna vox impetum ferientis reuocare non posset*. Expenditque idem Ambrosius eiusdem Abrahami celeritatem in excipiendis Angelis hospitibus: festinationem Zachæi è Sycomoro descendentis: Iudæorum manducantium Pascha festinanter: & alibi festinationem B. Virginis in montana, & exclamat: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Tum vigesimam sextã populi Israelitici mansionem in *Hermona* declarans, quæ vox sonat *Accelaratio*, Viatoribus celeritatem commendans ait: *Opus Dei praeproperam etiam festinationem exigit. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Dei negligenter: ideò discipulus ille, qui citius Petro ad monumentum præcucurrit, immodicè commendatur. In uia Dei uel festinam oportet progressionem esse: ut diabolo, qui stat semper à dextris, quò sanctis aduersetur, cæptum iter impediendi spatium non relinquatur.* Ideo debemus à nobis omnem torporem & procrastinationem ex-

Prou. 12. 4.

2. Paral. 19. 11.

Gen. 47.

S. Chrys. ho. 18. in Gen.

Gers. dial. Franci. & Angli. t. 1.

S. Ambr. l. 1 de Cain. c. 7 8.

Gen. 18.

Luc. 19. 6.

Ex. 22.

S. Ambr. l. 2 in Luc. 1. & l. de 42. mãs num. 26.

Num. 33. 2(

Ier. 48. 10.

Epist. enchir. c. 68.

cutere, grauissimis etiam Epicteti verbis illis admoniti: *Si nunc neglexeris, aut socors fueris, & semper proposita ex propositis feceris, & dies alios post alios statueris, post quæ tibi ipse des operam, inscius & imprudens nihil proficies, sed ineruditus manebis & uiuens & moriens.* Imò S. Bonauenturæ, qui ait: *Dies uel hora, quæ negligenter officiata pertransierit, nequaquam ulteriùs poterit reuocari: cùm temporis sequentis officium suam nihilominus diligentiam & deuotionem requirat.* Quamobrem S. Ephræm meritò Monachum laudat dæmonum suasionem reijcientem. *Fratri cuidam*, inquit, *suggerebant cogitationes tempore uigiliæ dicentes: Requiesce hodie, & noli ad uigilias surgere. At ille: Cogita te heri non surrexisse, & hodie surgendum esse. Et de opere aggrediendo rursus ei suggerebant: Quiesce hodie, & cras operaberis. Illeque iterum respondit: Nequaquam, sed hodie operare, & de crastino cura Domino erit.* Itaque nos studiosi perfectionis tales esse debemus, quales Hebrææ mulieres esse, referebantur Obstetricibus ab Ægyptijs. *Ipsæ enim*, aiebant, *obstetricandi habent scientiam, & priusquam ueniamus ad eas pariunt.* Si partus differamus bonorum operum, venient ad nos dæmones tanquam obstetrices adiuuare nos simulantes, vt masculos, hoc est, perfectos partus actusque nostros interimant: celeriter ergo, antequam veniant, bona opera pariamus. *Animæ iustorum*, inquit S. Ambrosius, *non expectent artes & disciplinas propter inuentionum genera: nec requirant adiumenta generandi, sed spontè partus suos fundant expectationemque præueniant.* Ob id Philo, cùm primum peccatum Cain tarditatem dixisset gratiarum agendarum fuisse, quòd post aliquot dies obtulerit sacrificium, præclaram hanc sententiam edidit: *Oportet eos, qui boni aliquid faciunt præuolare ante alios, & incunctanter amoliri impedimenta omnia.* Nec Pharaonem, Regem illum exemplar reprobatorum hominum imitari: qui interrogatus à Moyse, quando nam vellet rogari Deum, vt ranas abigeret; cùm respondere debuisset, *Hodie, nunc, hoc temporis momento*, respondit, Cras. De eo ita S. Ambrosius: *Cùm debuerit in tanta positus necessitate rogare, ut iam oraret, nec differret; respondit, Crastina die, otiosus & negligens; moræ pœnam Ægypti soluturus excidio.* Rupit S. Augustinus has moras, cùm in secessu plorans & eiulans ait: *Quamdiu, quamdiu, cras, cras? quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ?*

S. Bonau. in spec. p. 1. c. 1.
S. Ephr. t. 2. in doct. var. c. 47.
Ex. 1. 19.
S. Ambr. l. de fuga sec. c. 8.
Philo l. de sacrif. Cain & Abel.
S. Ambr. l. 1. de Abel. & c. c. 9.
S. Aug. l. 8. confes. c. 12.

322 Sed quibusnam in rebus hæc Diligentia habenda est? Iulius Nigronus, in quatuor rerum generibus apprimè necessariam Diligentiam putat: in rerum spiritualium exercitationibus, in studio doctrinarum, in gubernatione, & in Marthæ ministerijs. Et primò omnium, vt initio dixi, Diligentia vtendum est in quotidianis

Nigr. tr. 8. num. 19.

Exercitijs ſpiritualibus, cuiuſmodi ſunt, recitatio Canonicarum Horarum, meditatio, diſcuſſio conſcientiæ, lectio priuata librorum ſpiritualium, Miſſæ vel celebratio vel auditio, vocalis oratio, & alia quæ in Ordine vel Cœnobio præſcribuntur. Etenim ante omnia, vt à S.P.Noſtro docemur, quærendum eſt Regnum Dei, atque id ſtrenuè ac diligenter. Et diuini quidem officij preces, iubemur, *In Choro deuotè alacriterque perſoluere:* & *purè ſemper ac ſtrenuè diuinis laudibus intereſſe, non pigri, non ſomnolenti, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis nec remiſſis vocibus, muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili vt dignum eſt ſonitu & affectu verba Spiritus ſancti depromentes.* Eandenque in oratione mentali & conſcientiæ examine Conſtitutiones noſtræ diligentiam mandant, illis verbis, *Magno tam animi quàm corporis ſilentio &c.* Diuus verò Ignatius in prima Regula communi Societatis hæc ait: *Singuli præfinitum ſibi tempus ſuæ conſcientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant, cum omni diligentia in Domino.* Quam in meditatione diligentiam P.Iulius hoc exemplo declarat. Religioſus ille, qui veſperi cogitaret de meditatione ſequentis diei; ſumma capita poſtero die meditanda pridie pararet ac recognoſceret. Mane hora conſtituta, ſimul vt pulſum audiret excitatoris ad ſurgendum, experrectus indueret ſe ſe atque animum ad meditandum dirigeret, reuocans in moriam capita meditationis; abigens omnes irrumpentes aut irrepentes in animum curas, petens à Deo, vt vires deindè attentionemque ſufficeret; & poſt Officij penſum, locum in Eccleſia vel in Choro, & corporis habitum idoneum ad meditandum quærens ac ſeligens. In ipſa meditatione quoque diligens, aberrantem mentem huc atque illuc, reuocat identidem ad attentionem, imperans agere quod agit: poſt meditationem reflectit animum ad eam, conſiderans, nunquid per negligentiam peccarit, ſibi ipſe promittens emendationem, ſi defuiſſe officio diligentis mediatoris ſe deprehenderit. Exigitur deinde diligentia in literis ac doctrinis. Et Clerici quidem à Conſtitutionibus noſtris, *poſt ſpiritualium rerum occupationes,* iubentur *humanioribus literis diligenter ſtudere.* Item *Logicæ & Philoſophiæ ac Theologiæ* operam dare &c.& *Vt lectiones à Magiſtro aſſiduè audiant.* Et Diligentiam quidem M. Seneca *maximum mediocris ingenij ſubſidium* dixit. *Sicut autem artium,* inquit Anacletus Papa, *in ſuo quoque opere inuenitur mater inſtantia; ita nouerca eruditionis eſt negligentia.* Et ex S. Ambroſio, *aperit ſibi Diligentia ianuam veritatis.* Confertque alibi Eſau cum fratre Iacob in venatione illa, quæ benedictionis cauſa extitit,

Conſt. Cler. Reg. p. 1 c. 1.

Conſt. Cl. R. par. 2. cap. 6.

M. Sen. l. 3. contr. in præfat.

c. nihil illo d. 83.

S. Ambr. pore. in Euang. Luc. & lib de fuga ſec c. 8.

huic obtinendæ, amittendæ illi. Iacobo enim diligentia & ingenium affuit: & quòd Esau tarditatem ingenij minimè compensauit ac iuuit: proinde moram fecit, & primogenita perdidit. Sed & præsertim Diligentia à Lectore quem dicimus, & Præceptore, ac Magistro, adhibenda est, vt rerum auditarum à discipulis rationem reposcat, vt exerceat, inculcet, hortetur: vt difficultates enodet: vt audiat dubitantes: vt falsas opiniones euellat: & sedulus ea omnia efficiat, per quæ ritè Discipuli instituantur. Ideóque legimus in Iure Ciuili, Attilium Regulum Nicostrato præceptori cœnaculum quoddam ad habitandum dedisse; *Quia me*, inquit, *eloquentia & diligentia tua me meliorem reddidisti*. Quod intelligens Cosmas Monachus, S. Ioannis Damasceni Præceptor aiebat, cupiditatem à natura viris doctis insitam esse, gignendi per doctrinam filios sibi similes, vt sapientiæ genus in mundo aureum propagetur & conseruetur. Sed & tertio à Præposito alijsque Superioribus hæc diligentia habenda est. De illo enim dicitur, vt *summo studio & fide, in rebus spiritualibus & temporalibus, Congregationis regimen gerat*. Itemque alibi, *Vt omnibus se præbeat exemplum disciplinæ: ad Chorum & ad communem mensam assiduè pro virili conueniat. Silentiũ horis & locis congruentibus seruet: labores communes vnà cum alijs subeat: & Religionis obseruantias diligentissimè colat*. Et de Visitatoribus, *vt eant visum qua diligentia asseruetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum*, & cætera religionis Ordinis munia vt obeantur. Itemque de Patribus Capituli Generalis, & præsertim Sacerdotes in Vocalium numerum adscripturi, *Vt diligenter inquirant singulorum merita*. Definitores verò, *Vt diligentissimè perquirant, qui nam ex Vocalibus totius Congregationis ad alios regendos sint apti*. Et demum de Magistro Nouitiorum, vt priusquam quis recipiatur, *Probetur eius spiritus, & accuratè ac diligenter examinetur* &c. *Quòd si diligentissimè & per plures hebdomadas examinatus, nihil impedimento fuerit quominùs idoneus videatur &c. recipi poterit*. Magister verò deligatur, qui nostræ communes Congregationis labores *libenter & assiduè cum alijs subeat*. Isque, pro facultate sibi à Præposito concessa, *diligenter & solicitè informet Nouitios*. Dehortatur quidem S. Ephræm religiosum virum ab appetenda cura animarum: *Quòd si*, inquit, *inuitus ad curam eiusmodi traheris, in ea administranda maximam diligentiam adhibe*. Similiter S. Chrysostomus Pastorem ex diligentia quasi Argum esse cupit, cùm ait: *Multa Pastoris opus est diligentia: sexcentis etiam, vt ita dicam, oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere queat*. Et Hugo Victorinus in duodecim abusionibus primo loco numerat negligentiam Prælatorum: & oues

L. Attilius ff. de donation.

Const. Cl. R. par. 3. cap. 7. & 9. & 8. & 3. & 4.

Ibid. par. 2. cap. 5.

S. Ephr. t. 1. tr. de vit. spir. c. 35. 36
S. Chrys. l. de Sacerdot.

Hugo l. 2. de cl. an. c. 12.

 ait

ait ſequi paſtorem præcedentem, quò? *Ad vitam ſi diligens, ad mortem ſi negligens præcedat*. Sapientiſſiméque S. Auguſtinus & Beda, cuique muneri ſuam virtutem aſſignans, *Diligentiam in adminiſtratione* dixit eſſe ſeruandam. Demum quartò, circa miniſteria, Diligentia adhibenda eſt à viris Religioſis in munditia & nitore ſacrarum ædium, & in ſacra ſupellectili conſeruanda. *Fit enim* (vt noſtræ Conſtitutiones aiunt) *vt ex diligentia & cura, quæ his rebus adhibetur, Religioſorum ſpectentur animi*. Deindè in ſacris ritibus & cæremonijs: & à Præpoſitis eſt curandum *diligentiſſimè, vt Miſſalis & Breuiarij Romani Rubricæ accuratè obſeruentur*. Item vt *omnia ſtudiosè, exquiſitè, maturè, cum ſilentio, modeſtia, dignitate, & decore fiant*. Itemque, vt cùm in morbum quis Noſtrum incidet, *ei neceſſaria miniſtrentur accuratè*: & Vir *ſedulus* ægrotis præficiendus. In conſeruandis verò Monaſterij rebus vti diligentia oportet. Quod grauiter Cardinalis à Turrecremata commendat, ſumpta è S. Benedicti verbis occaſione, pœnam negligentibus rerum domeſticarum cuſtodibus comminantis. Nec abſimilis S.Baſilij eſt adhortatio; qui cùm dixiſſet, neminem debere tanquam proprijs vti rebus ad vſum datis, oportere addit, *Diligentiam in omnibus vel vtendis, vel conſeruandis, eam adhibere, quam Dominicis rebus adhiberi par ſit; neque eorum quidpiam, ſi caſu negligenter abiectum ſit, ſinere diſperire*. Eandemque diligentiam tradit Caſſianus à Monachis ſui temporis obſeruatam; qui per hebdomadum vices Marthæ miniſteria obibant: & feria II. qui ſuo munere defuncti eſſent alijs ſibi ſuccedentibus vtenſilia vaſaque conſignabant: *Quæ ſuſcipientes*, inquit, *tanta ſolicitudine curaque cuſtodiunt, ne quid ex eis imminuatur vel pereat; vt credant ſe etiam, pro minimis quibuſque vaſis, tanquam pro ſacroſanctis, rationem non ſolùm diſpenſatori præſenti, ſed etiam* Domino *reddituros, ſi fortè aliquid ex eis, negligentia eorum, fuerit imminutum*. Vide apud Zachariam Bouerium in Minorum Capucinorum Annalibus horribiles pœnas, quas Laici nonnulli luerint, ob incuriam, qua res Monaſterij male cuſtodiebant. Proindè S. Ignatius, cùm quendam in tradito ſibi munere valdè remiſſum atque oſcitantem inueniſſet, quæſiuit ex eo, cuinam in tali miniſterio daret operam, Deo ne, an hominibus? Cùm ille ſe Deo vtique deſeruire dixiſſet; Plecteris igitur, inquit Ignatius: nam in rebus humanis minùs accuratè verſanti iurè forſan ignouerit quiſpiam: at immortali Deo miniſtrari negligenter, id verò nullo pacto ferendum eſt. Illud ergo iugiter omnibus inculcandum, quod Ioſaphat Rex aiebat: *Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud* Dominum Deum *noſtrum iniquitas*. Et

S. Aug. ſer. 2. de omn. ſanct.
Beda ſer. 18. de ſanct.
Cl. Reg. cõſt. p. 1. cap. 3.
Ibid. c. 2.
Ib. par. 2. c. 4
Turr. to. 9. in cap. 32. reg. S. B.
S. Baſil. ep. ad canon.
Caſſ. l. 4. c. 19
Maffeius l. 3 vita c. 6.
2. Paralip. 19. 7.
2. Paralip. 19. 11.

adiecit: *Confortamini, agite diligenter, & erit Dominus vobiscum in bonis.*

323 Cæterùm vt Diligentiæ praxin aliquot veluti Regulis illustremus, prima est, feruenter nos obire debere quodlibet opus bonum, & à Deo sperare opem & gratiam illud perficiendi. *Vbi viderit Deus* (inquit S. Cæsarius suos Monachos ad proficiendum adhortans) *deuotionem animi ardentiorem, insinuabit affectum: & quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium: quantum nos apposuerimus ad* Diligentiam, *tantum ille addet ad Gloriam.* Ideóque S. Dorotheus defectui diligentiæ causam nostri regressus in via religiosæ perfectionis assignat: *Hoc autem*, inquit, *inde prouenit, quia nullam de nobis curam, nullam de professione nostra rationem, nullam denique attentionem & diligentiam in corde gerimus.* Secunda Regula est, vt opus aliquod bonum aggressus omnia quæ in eo obeundo præstanda sint diligenter inspicias. Quod documentum Basilius Christianus Constantinopolis Imperator filio suo Leoni tradidit, hunc in modum: *Obstringe te huic necessitati, vt omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum esse prætermittas.* Et subdit: *Quemadmodùm ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur, inde multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.* Tertia est, vt seriò cogitemus in opere, quod aggredimur, quòd Deus à nobis diligentiam exigit. Et hoc Dionysius Cartusianus Canonicis, quorum reformationem curabat, ita proposuit: *Deus maiestatis immensæ, in suo obsequio, despicit indeuotum, euomit tepidum, negligentem & impium detestatur. Si Principes seculi huius exigunt sibi reuerenter & promptè seruiri à suis ministris; quantò magis Dominus vniuersorum, cuius excellentia est penitùs infinita, vult, iubet, & requirit, ei cum præcipua diligentia vt obsequamur.* Quarta est, quod nos scire omninò debemus, vt Thomas à Campis in suo de imitatione Christi libello docuit, *sine solicitudine & diligentia nunquam acquiri virtutes.* Quinta regula est, præsentiam Dei mente concipere, ac toto laborandi, & operis illius quod agitur tempore, retinere: de qua in præcedenti disquisitione loquutus sum, & quam tradere primo loco debebam. *Assignato iam artificio*, inquit S. Basilius, *vacare vnusquisque attentè debet, studioséque inuigilare, & nihilo secius, quasi inspectore* Deo, *summa sedulitate, & attentiore cura, accuratissimè illud exercere, vt fidenti animo semper dicere illud possit: Ecce sicut oculi seruorum ad manus spectant Dominorum suorum, ita oculi nostri ad* Dominum *Deum nostrum.* Eandenque regulam tradit S. Bernardus vt negligentiam abigamus. *Expedit*, inquit, *omni animæ Deum*

S. Cæsar. ho. 3. ad mon.

S. Doroth. ser. 10.

Basil. Imp. exhort. ad Leon. f. 6. c. 39.

Cart. l. de refor. Can. præf.

Th. à Kemp. l. 1. c. vlt.

S. Basil. q. 41 fus. disp.

S. Bern. ser. 2 in ps. 90.

ſemper attendere, tanquam proprium, non modò adiutorem, ſed etiam inſpectorem. Quomodò enim negligens poterit fieri, qui intuentem ſe Deum nunquam deſinit intueri? Sexta, vt etiam ab animalibus rationis expertibus diligentiam addiſcamus. *Si tranſigamus*, inquit S.Baſilius, *oratione; quanta rationis expertibus iſtis inſit ſine doctrina quidem, quippe naturalis ſuæ vitæ diligentia atque cura, aut ad noſtri cuſtodiam corporis animarumque noſtrarum prouidendam ſalutem impellemur, ac concitabimur: aut magis magiſque carpemur ac condemnabimur, ſi ita fuerimus affecti, vt neque animalia imitari rationis expertia valeamus?* Cur verò Salomon mittit nos addiſcendi gratia, in prouerbijs, ad formicam; quæ vitæ communis atque religioſæ eſt præclarum quoddam exemplar, S. Hieronymi teſtimonio, tum ſedulitatis diligentiæque magiſtra? De ea Plinium audiamus. *Iam in opere*, inquit, *qui labor? quæ ſedulitas? & quoniam ex diuerſo conuehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio? quàm diligens cùm obiJt quædam collocutio atque percunctatio?* Meritò S. Baſilius ſic exclamat: *Non tute tibi, ò homo, tandem diligentiam adhibebis? non tùte tibi ipſi demum elaborabis? non hoc tempore præſenti fruges tibi recondes, requiemque ad futurum exemplo formicæ parabis?* Septima regula eſt vt omni conatu ac perſeuerãtia in id quod agis adeò intendas, vt niſi perfecta re, opus aliud non aſſumas. Et hoc eſt illud quod Deus per viſum presbyteri cuiuſdam Caſſio Narnienſi Epiſcopo iuſſit ſignificari: *Age quod agis, operare quod operaris*. Et S. Bernardus cuidam Conuerſo dixit, vt refert Thomas Cantipratanus: *Eia frater, age quod agis, nullum aliud poſt hanc vitam Purgatorium ſuſtinebis*. Ideóque S. Baſilius ſtatuit primùm non oportere *ab hoc in aliud temerè tranſilire. Neque enim natura noſtra*, inquit, *plura ſimul aſſequi ſtudia poteſt. Multoque eſt præſtantius, vnum, modò ſolerter & induſtriè confeciſſe, quàm multa attentaſſe, quæ neceſſariò poſtea ſint relinquenda*. Omnia verò prætermittenda eſſe præter id quod nobis Religioſis viris incumbit, docet S. Dorotheus hunc in modum: *Si virtutem quis parare ſibi velit, non ad diuerſa animum diſtrahere debet, neque ſublimia quædam, curioſa inutiliaque rimari. Quemadmodùm enim, qui fabrilem artem aliquam addiſcere conatur, nequaquam animum ſuum alicui arti diuerſæ applicat: ita profectò & qui ſpiritualem operationem & artem perdiſcere & exercere deſiderat, faciendum ſibi proponere debet, vt nulli ſcilicet aliJ rei animum apponat, ſed die ac nocte ſtudio ſuæ profeſſionis inuigilet; omneſque cogitationes ſuas eò figat, donec ad eius poſſeſſionem, Deo adiuuante, tandem perueniat*. Subditque qui ſecus agat nullum facere in Religione progreſſum. At bene ille Ma-

S.Baſil. ho.9 in Hex.

S.Hier. in vita Malchi-mon.

Plin. l.21.c.30.

S.Baſil. l.5. in Hex. c.21

S.Greg. Papa l.4. dial. c.56

Th. Cant. l.2. apum. c.5.

S.Baſil. q.41 fuſ. diſp.

S.Dor. ſer.10

gister in hac schola peritus cogitationi de relinquendo bono opere inchoato, & alio aggrediendo, dici suadebat: *Non hoc quod suggeris, sed hoc planè quod facio, iubet Deus*. Octaua regula est, vt modum in diligentia serues, & vites curam superfluam, hoc est illud, ex Gersone, *vitium quo quis inclinatur ad actus prudentiæ cum anxietate nimia, & quadam rationis suffocatione*. Cardinalis Caietanus *inquietam attentionem* appellat: qua peccant ij, quos reprehendit apud Cassianum Daniel Abbas, *Excedentes diligentiæ modum*. Qua de re optimè S.Dorotheus ita differit: *Itaque nisi sobrij, cauti, diligentesque fuerimus, & nobis ipsis seriò inuigilauerimus; proculdubio à via recta ad dexteram, vel ad sinistram; idest ad excessum vel ad defectum perfacilè declinabimus, absolutamque reddemus ægritudinem animæ*. Eandenque Saluator anxietatem siue solicitudinem reprehendit in Martha, cùm ait: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima*. Postrema demum regula est, quam tibi Salomon tradit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*. Hoc est, diligentia tua, Diuinæ Prouidentiæ fiduciam non excludas, sed tibi diffidens æquè ab Deo pendeas, ac si nihil per te tua diligentia posses, nec tamen tuos conatus quicquam remittas. Ita S. Carolus diligentiam cum hac fiducia coniungebat, vt duo copulasse penè contraria ac sibi inuicem aduersantia vulgari iudicio videretur. Quod vitæ auctor tradit his verbis: *Ex altera parte, si spectaueras; totam rem admirabili quadam fiducia Diuinæ Prouidentiæ ita commissam videbas, vt nihil spei penitùs in humanæ diligentiæ officijs relictum videretur: ex altera verò, cùm nullum officij, studij, curæ, industriæ munus, tempusue prætermitteretur, nihil in diuina ope positum propemodùm arbitrabare*. Hanc summam diligentiam S.P.N.Caietanum in rebus agendis adhibuisse cum fiducia coniunctam in Deum, in aliquot eius literis est videre. Idenque de S. Ignatio Societatis Conditore tradit in vita Petrus Ribadineyra. *In rebus suscipiendis*, inquit, *sæpissimè videbatur nulla humana prudentia vti, sed Diuina tantùm niti Prouidentia: in exequendis tamen & ad finem perducendis omnes vias tenebat vt inchoata perficeret*. Finio igitur, & cum Thoma Campensi meum lectorem adhortor: *Si dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & senties laborem leniorem propter Dei gratiam, & virtutis amorem. Homo feruidus & diligens ad omnia paratus est*. Et quisquis drachmam amiseris, mulierem illam Euangelicam imitare, de qua, *Nonne*, inquit Saluator, *accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam?*

Gers. t. 4. de scrip. serm. §. de 4. virt. Cardin. Caiet. 2.2. q. 67. art. 9.

Luc. 10. 41.

Prou. 3. 5.

Carolus Episc. Nouariæ l. 7. vitæ c. 9.

Rib. l. 5. vitæ cap. 11.

Th. à K. l. de imit. Chr. c. vlt.

Luca. 15. 8.

DISQVISITIO TERTIA.

Versantes in Recessu, ac spiritualia Exercitia hic obeuntes, quàm seriò ac grauiter ipsi à se perquirere debeant, ad quid in Ordinem venerint?

324 SEMET AD QVID VENIT INTERROGET. Legimus quòd B. Arsenius se interdum interrogauerit: *Arseni ad quid existi.* Climacus verò refert Abbatem quendam à Monacho interrogatum, quid faceret, si Magister eius esset negligentior, respondisse: *Et si fornicarii illum videris, noli discedere, sed ad te ipsum conuersus dic: Amice ad quid venisti? Tunc aspicies tumorem tuæ mentis dissipari, excandescentiamque mitescere.* Viden'hæc suimet interrogatio Religiosum virum quàm iuuet? Proindè S. Benedictus de Sacerdote agens, qui recipi poscat in Monasterium, illi id ipsum inculcat. *Sciat*, inquit, *omnem Regulæ disciplinam seruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt sit sicut scriptum est: Amice ad quid venisti?* Quam Regulam Smaragdus explanans ait: *Amice ad quid venisti, subaudiendum, hoc age. Hoc enim modo dicendum est Sacerdotibus, & omnibus in Regulari vita degentibus, qui eius in omnibus non curant obedire præceptis. Dicatur enim: Amice, ad quod venisti, hoc age. Venisti enim obedire non imperare: operari, non otiari: operibus exerceri, non fabulis vacare: humiliari non superbire. Ergo Amice, ad quod venisti, hoc age. Regularia venisti obseruare præcepta: in quantum vales, Domino adiuuante, obserua illa; vt iustificeris illa obseruando, non pericliteris contemnendo.* Suadetque Benedictinus Haeftenus S. Benedicti Religiosos ac Monachos, vt vnusquisque interroget se quotidiè: *Amicè ad quid venisti?* Tum expendat quid respondendum, vt suo nomini ac muneri satisfaciat, quod ipse subdit hoc schematismo.

Pelag. in vit. Patr. lib. 5. libel. 15. n. 9.
Clim. gr. 4.
S. Ben. reg. cap. 60.
Haeft. in catech. por. præf.

Ad quid venisti?	1. *Ad Seruandam Regulam.*	Est enim Monachus	Regularis.
	2. *Ad Abrenuntiationem.*		Abrenuntians.
	3. *Ad Militiam.*		Miles.
	4. *Ad Iter vitæ peragendum.*		Viator.
	5. *Ad Scholam.*		Studiosus.
	6. *Ad Seruitium sanctum.*		Seruus Dei.
	7. *Ad Honestam Conuersationem.*		Conuersans.
	8. *Ad Conuersionem.*		Conuersus.
	9. *Ad Patiendum.*		Consors Passionis.

325 Similiter S. Bernardus hoc dicto se ipsũ interdũ excitare & ad


Guil. in vita cap. 4. l. 1.

feruorem accendere solitus erat, vt ait Guilielmus in eius vita: *Hoc semper in corde, frequenter etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti?* Imò extat Opusculum S. Bernardo adscriptum, & inscriptum, *Ad quid venisti?* quod in Vrbe Gerardus Vossius euulgauit, & libris de Consideratione subiecit; cuius primum caput hæc habet: *Primò considerare debes ad quid veneris, & propter quid veneris. Propter quid venisti? nisi solùm propter Deum solum, vt fieret merces tua in vita æterna. Sicut enim propter nullum alium venisti, ita propter nullum alium debes omittere, nec tepescere alicuius exemplo, quin studeas ad hoc, ad quid venisti. Venisti enim ad seruiendum* Deo, *cui seruire omnis creatura debet.* Minorum Ordo S. Francisci, vt testatur Sedulius quinque habet verba, quæ Religiosam Manum appellant, & ceu elementa suis tyronibus initio tradunt, vt tanquam digitos habeant; quorum est primum, *Ad quid venisti.* Cui tamen ita respondent: *Non velle meum facere: sed passiones vincere: sanctamque Crucem tollere: & in dies proficere.* Pijssimus quoque Thomas à Campis ex Canonicis Regularibus, hanc sententiam vult identidem ab Religiosis viris expendi. *Esto*, inquit, *vigilans, & diligens in Dei seruitio, & cogita frequenter ad quid venisti, & seculum reliquisti? Nonne vt Deo viueres, & spiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas, quia mercedem laborum tuorum in breui recipies.* Nec nos Clerici Regulares ab hac disciplina alieni sumus: quam nostri omnes Magistri spirituales inculcant. Ideò multis in Cubiculis, & in quod excipitur is, qui spiritualia Exercitia est obiturus, tabella est affixa incolam & Solitarium admonens, hoc Decasticho:

Henric. Sedul. ad spec. discipl. S. Bonau. ad Nouit.

Kemp. l. 1. de imit. Chr. c. 25.

Ad quid venisti in latebras huc, Hospes, Eremi.
Sordidus vt lacrymis hìc male facta luas?
Clericus vt mundi curas & munia linquas?
Presbyter, vt Domino munera digna lites?
Vtquè Theatinus tantùm Cœlestia spectes;
Munus Apostolicum ritè & obire queas.
Vel tibi cùm Nomen det Regula, discere leges
Fortè venis, vt post Regna beata petas?
Hoc age, sic cura, & statue: egreßusque Recessu,
Proficuus cunctis Relligiosus eris.



DISQVISITIO QVARTA.

Quomodò qui vel literis incumbunt, vel doctrina excellunt, ab Directore monendi sunt, ac modis omnibus adhortandi, ut sibi spiritualium Exercitiorum finem præfigant, tantū animi feruorem per eam Recollectionem concipere, vt deinceps ad studium literarum, studium virtutum & veræ perfectionis adiungant.

326 STATVANT CVM LITERARVM ERVDITIONE SANCTITATEM CONIVNGERE. Hoc planè documentum in nostris Constitutionibus sic habemus: *Primū omnium est curandum, ne qui studijs fuerint destinati, orationis assiduitatem, & animi modestiam negligant. Verùm ita eruditionem cum pietatis ardore coniungant, vt alterum alteri emolumento esse possit.* Curandum est igitur, vt quotquot in hac palæstra siue recessu exercentur, præsertim iuniores, & qui studijs ac doctrinis inhærent, vt firmissimum propositum concipiant animo, ac fixum habeant, ita literis incumbendi, vt maiore tamen diligentia & cura, sanctitati vitæ, ac virtutibus, operam nauare non negligant. Si enim eleganter scitéque astruit Plinius, *Corporibus nihil vtilius sale ac sole* in rerum natura reperiri; ita sanctitate ac scientia nihil esse vtilius in Ecclesia, docent alij. Quod & Saluator humani generis, formans Apostolos medicos ac Pastores Orbis, infundensque illis sanctitatem, cælestemque sapientiam, ore diuino, pronuntiauit: *Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi*; vnumquenque illorum prædicens Ecclesiæ salem ac solem fore: Iubens, vt quidam ait, *vt quos illuminauerint per verbum, quasi lux, condiant per exempla operum suorum, quasi sales.* Ad quod S. Ambrosius hortatur, his verbis: *Si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit.* Et vitam quidem Christiano homine dignam, ac piam sanamque doctrinam, Iacobus Billius arbitratur ritè vocari posse duos Christianæ Professionis ocellos: quemadmodùm Athenæ ac Sparta, nobiles quondam ac liberæ Ciuitates, ob salutares leges ac disciplinam, *Oculi Græciæ* appellabantur. Quod S. Gregorius Nanzianzenus in S. Basilij laudatione sic habet: *Qui vel solos mores vel solam doctrinam consecuti sunt, ab altera autem deseruntur, ij mihi nihil à luscis differre videntur: quibus cùm magnum detrimentum sit, tum verò maior turpitudo, siue alios cernant, siue ab alijs cernantur. At quibus vtraque laude excellere, ac velut ambidextris esse contigerit, hi nimirum omnibus numeris absoluti sunt, & cum alterius vi-*

Cōst. Cl. Reg. par. 2. cap. 6.

Plin. l. 31. c. 9.

Imperf. ho. 20. in Matth.

S. Ambr. tr. 1. in psal. 118. Aleph.

Iac. Bil. l. 1. sac. obseru. c. 13.

S. Greg. in laud. S. Basil. num. 22.

tæ beatitudine uitam agunt. Vnum oculum improbitas, alterum ignoratio excæcat. Proindè in Apocalypsi Episcopus Laodiciæ appellatus est *cæcus*, quòd suam miseriam ignoraret. Et S. Gregorius Papa cæcum esse ait genus humanum, *Quia supernæ lucis claritatem ignorans, damnationis suæ tenebras patitur*. Respexerit, vt opinor, in sua sententia S. Gregorius ad *Aod filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextra utebatur*, vt in libro Iudicum legimus. Clamatque S. Ambrosius: *Improbitate cæcatur mentis oculus; & caligante sibi iniquitate, mysteria profunda inuenire non potest*. S. Gregorius Papa carnalem prædicatorem *lucernæ* comparat *cæcæ*, siue extinctæ, quæ nos relinquens in tenebris cæcos reddit. Et quidem scientia, quæ natura sua mentem illuminat, est olei loco. Cuius liquoris S. Bernardus triplicem qualitatem obseruat. *Quod lucet, pascit, ungit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: Lux, cibus, medicina*. Lucet verò cùm fouet ignem, adeò vt si ignis absit, haud quaquam luceat. Et ignis quidem Caritas ac Sanctitas est: & hoc sanctitatis igne sublato, oleum in lucerna non lucet, est otiosum, & nihil eos iuuat, qui expectabant à lucerna splendorem. Proindè S. Ambrosius, cùm dixisset, *Doctrina sine uita integritatem non habet*, sepulchro dealbato tales assimilat, cui Saluator hypocritas comparauit. *Nisi se unusquisque*, inquit, *intus mundauerit, etiam si foris speciosus uideatur, & iustus, similis erit dealbatis sepulchris; ut foris quidem iustus uideatur, intus uerò sit fætidus. Sic & doctrina sine uitæ innocentia. Sed nec ipsa doctrina potest mercedem habere, ubi gratia non habet innocentiam*. S. Gregorius Nazianzenus, ex obseruatione S. Ioânis Damasceni in paralellis eidem sepulchro similem existimat hominem, qui *uitæ integritate orationi fidem integritatemque minimè conciliat*: idem de illo dicturus, qui scientiæ derogat fidem, per imbrobitatem vitæ; nam in oratione scientia elucet. Et S. Gregorius Papa moraliter consilium Philisthinorum expendens, qui iusserunt reduci arcam non vacuam ad Hebræos; *Quid nam est*, inquit, *arca uacua, nisi diuina scientia sine bona operatione?* Iulius Nigronus existimat, eruditos homines sine virtutibus simillimos esse pharmocopolarum narthecijs, quæ foris medicamentorum plena esse significant, sed intus planè vacua sunt. Quod ex Lactantio hausit, qui Philosophos Ethnicos similes Pharmacopæorum officinis aiebat, quarum tituli habent remedia, pyxides venena. Richardus à S. Victore eos, qui de virtutum scientia gloriantur, ac disertissimè disputant, sed minimè sanctitudinem profitentur, ait sibi facere ex auro scientiæ, & argento eloquentiæ, idola vel simulacra. *Virtutum modum*, inquit, *& formam solam, per intelligentiam & doctrinam depingere*,

Apoc. 3. 17. — S. Greg. ho. 2. in Euang. — Iud. 3. 15. — S. Ambr. lo. cit. — S. Greg. in 1. Reg. 3. — S. Bern. ser. 15. in Cant. — S. Gregor. Naz. or. de plaga grand. — S. Damasc. l. 3. paral. cap. 34. — S. Greg. l. 2. cap. 4. in 1. Reg. 6. — Nigr. tr. 18. cap. 1. — Lact. l. 5. cap. 15. — Ric. Vict. p. 1 l. 1. de erud. c. 38.

gere, & memoria retinere, earumque affectu carere, quid aliud est, quàm quædam simulacra corde gestare? scientia sanctitatis sine intentione bona, quid aliud est, quàm imago sine uita? Scientia sola sine sanctitatis effectu, & bonitatis affectu, quid aliud est, quàm simulacrum uanum sine motu ac sensu? Facit huc Aristotelis dictum, ad virtutis acquisitionem parum vel nihil conferre cognitionem virtutis: virtutesque exercitatione, assuetudine, ac frequentatis actibus comparari. *In agendis rebus*, inquit, *finis non est contemplari singula & cognoscere, sed agere. Neque igitur in uirtute satis est, si eam cognouerimus: sed ut eam habeamus, eaque utamur, est enitendum; uel si quo alio modo boni efficimur.* *Arist. l.1. Eth. c. 4. & l.2.l.10.c.9.*

327 Sed & Ricardus aliam similitudinem affert: *Scientia sola sine sanctitatis effectu, & bonitatis affectu, quid aliud est, quàm simulachrum uanum sine motu & sensu?* Baltassar Aluarez, vt refert Ludouicus Pontanus in eius vita, diligentem curam adhibebat, vt in Societate *studiosi literas cum Religionis spiritu coniungerent*. Et assiduè dictitabat, virtutem & scientiam esse duas arbores Paradisi terrestris: duo luminaria maius alterum, & alterum minus, toti mundo lucentia: vestimentum duplex, quo Mulier illa fortis induit domesticos suos aduersus frigus niuium, malitiam scilicet, & ignorantiam: spiritum duplicem, quem petijt ab Elia discedente discipulus Eliseus; quemque S.Bernardus appellat intellectum & voluntatem, siue affectum. Item aiebat esse tanquam duo Ecclesiæ testamenta, nouum & vetus: legem & gratiam: tanquam duas rotas trahentes currum gloriæ Dei, in quibus erat spiritus vitæ. Item similes geminis sororibus Marthæ & Mariæ, quæ in eadem domo habitantes se se mutuò iuuant, & nominatim Martha petit auxilium à Maria, quia doctrina speciatim eget spiritu auxiliante. Ludouicus ab Alcasar in commentario Apocalypsis, explicans zonam auream, qua filius hominis ad mamillas præcinctus erat, & colligens proprietates admirabiles auri, quibus illustrat Charitatis perfectiones, obseruat electrum, natiuum præcipuè, quod est aurum habens quintam argenti partem admistam, ex Plinio, pluris fieri, quàm aurum purum, quòd plus splendeat, & venena deprehendat. Et sic Electri *miracula exprimunt, magna illa & admiranda, quæ Charitas siue Sanctitas cum Sapientia coniuncta edit*. Nam se se mutuò iuuant, ad augendum splendorem, amolienda pericula, & pariendum fructum. Additque Deum valde delectari hac mistione auri & argenti. Nam murenulas aureas vermiculatas argento in Canticis legimus: & aurum & argentum iubetur apud Zachariam sumi ad conficiendas coronas. Auro verò significari sanctitatis perfectionem, quæ in Charitate

Ric. p.1. l.1. de erud. inter. ho. c.38.
Pont. c.29.
S.Bern. ser.6 de Ascer.
Plin. l.39. c. 4.

consistit, sentiunt communiter Patres. Argenti vermiculos in murenulis Honorius Augustodunensis apud Martinum Delrio putat esse scientiam. Ita S. Ambrosius in commentario primæ Corinthiorum accipit in argẽto doctrinã sanam. Et ex S. Hieronymo alijsq; Doctoribus sumitur argẽtũ pro prædicatione & eloquio, in quibus scientia & elucet & traditur, iuxta illud Prophetę: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum &c.* Ad hæc Alcasar obseruat in sole splẽdorem & efficacitatem, seu virtutem res generandi. Et splendor quidẽ scientiã designat illuminatricẽ intellectus: efficacitas sanctitatẽ bonorum operum genitricem. In igne notat lucem & calorem, quæ duæ proprietates exhibent eandem connexionem. In meteorologicis fulgur & tonitrum considerat, de quibus alio in loco copiosè agit. Item in magnete duplicem proprietatem expendit: alteram indicandi polum arcticum, siue astrum huic polo proximum: qua indicatione omnes aliæ Cæli partes vel in tenebris cognoscuntur: & hæc scientiam designat, per quam nostra mens rerum omnium cognitionem acquirit. Per alteram proprietatem magnes ferrum attrahit, ac sibi iungit occulta vi, quam ex virtute cælestis corporis esse scripsit S. Thomas Aquinas: & hac innuitur sanctitas, quæ occultè cum proximis suam virtutem communicans, per exhortationem & bonum exemplum, eorum corda sibi glutine charitatis illigat & adiungit. Iulius Nigronus virum probitate & scientia præditum similem facit pyxidi plenæ vnguento pretioso & suaui, quod fit ex pulueribus odoratis, oleo dilutis. Vnde B. Petrus Damiani tria conficit vnguenta, quibus pedes, caput, & corpus Christi perunguntur ex pulueribus aromaticis & oleo. Per quæ omnia, vt tradit S. Gregorius Nyssenus & alij Patres, virtutes significantur, & addunt, tunc aromata perfectiùs olere cùm sunt contusa. Itaque ille dicit aromata esse nostros affectus seu passiones, quas ex vtero matris in Ordinem ferimus, quemadmodùm Regina Saba, quæ figura est intrantis in Religionem, aromata multa Hierosolymam secum tulit. Vt igitur pistillo aromata in mortario contunduntur, vt redigantur in puluerem, & plus redoleant, vt vitæ vsibus sint accommodatiora: sic passiones in officina aromataria arctioris domus siue recessus, in mortario religiosæ disciplinæ, pistillo mortificationis duplicis, carnis, & propriæ voluntatis, franguntur, & ad mediocritatem tanquam in puluerem redactæ, virtutes euadunt, & tunc plurimùm redolent exemplo & probitatis opinione. Oleum pulueribus admiscetur, vt fiat vnguentum: quod oleum in sacra scriptura, veterum Patrum iudicio, designat scientiam, seu doctrinam; quoniam,

Delr. cant. 1. sect. 2.
S. Ambr. 1. cor. 3.
Ps. 11. 7.
Alcas. Apoc. 4. vers. 5 comm. 2.
S. Th. l. 3. cõtra Gent. c. 92.
B. Pet. Dam. ser. de M. Magd.
S. Greg. Nys. ho. t. 1. Cant.

vt B.Petrus Damiani & S. Bernardus loquitur, *lucet, pascit, ungit; fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem*: estque *lux, cibus, medicina*. Et scientia quidem fouens naturale lumen rationis mentem illuminat, expellens ignorantiæ tenebras. Doctrina etiam pascit animum, dum satiat naturalem appetitum sciendi. Medetur etiam, ac proindè Samaritanus ille misericors vulnerato oleum cum vino infundit; ac lassitudini peregrinorum affusum pedibus subuenit: & similiter scientia ignorantiæ morbo medetur. Quod autem illud Cantici ait, *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, hoc planè significat, quòd docta sanctitas longè solis virtutibus excellit & pręstat. Demũ Iulius doctum & probum hominem Ecclesiæ & Religioni addictũ similem Numismati dixit; quam similitudinem tangit S. Isidorus, his verbis: *Sicut in numismate metellum, figura, & pondus inquiritur: ita in omni Doctore Ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodò viuat*. Et metallum quidem, siue aurum sit siue argentum, designat ingenium naturæque bonitatem aptam ad discendum, & ad virtutes morales: quæ natura erit aurea, si summum gradum bonitatis attingat, argentea verò si eo sit inferior. Pondus quod ad ima trahit est humilitas. Societas sanctitatis & doctrinæ per imaginem & literas indicatur, quæ in omni numismate cernuntur impressæ; vt Saluator in Numismate illis verbis obseruat: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* Tres autem officinæ in regionibus auriferis esse consueuerunt: prima purgatiua, in qua metalla auri & argenti, è fodinis aduecta separantur à terra, ab alijs metallis, & à scoria, in fornacibus fusorijs & caldarijs, per ignem, argentum viuum, & aquam fortem, ac venenatam (vt ita dicam) quæ magnam vim habet separandi pretiosum à vili. Quod Dauid innuens ait: *Argentum igne examinatum &c.* Sic purgatum ac probatum vltimo experimento tanquã purum purum admittitur in secundam cellam monetariam seu cusoriam; in qua probatum aurum per frusta iusti ponderis cuditur in nummos super incudem, typo monetali, quem malleus ferreus forti brachio incussus aureo ita frustulo imprimit, vt in eius altera parte imprimatur siue caput siue imago Principis, literarum inscriptione circumducta. Inde nummi excusi in tertiam cellam, quæ dicitur custodia vel ærarium, deferuntur, vt sint ad manum Regis in vsum quotidianum. Simile quid in Ordine Religioso fieri consueuit, in quo locus vbi tyrones educantur est purgatiua officina: in quam ex fodinis Ægypti cùm venerint, terrenis affectibus impliciti, mortificationibus, reprehensionibus, cohortationibus, sacramentorum & orationis vsu conteruntur, excoquuntur, & perpurgantur.

Isa. 39. 2.

S. Isid. l. 3. sent. cap. 36. num. 5.

Matth. 22. 20.

Vide Ios. à Costa l. 4. hist. nat. ind. cap. 13.

tur. Deindè si fuerint inuenti bene purgati consignantur tribus substantialibus votis, & aliò transferuntur, vbi literis operam nauent, vt in eo excudantur in numismata, & demum sanctitate & doctrina imbuti, quæ sunt imago & superscriptio metaphoricæ, in eum locum mittantur, vbi in animas Deo lucrandas expendi possint. Item Iulius probum & doctum simillimum dicit vasi mellario; & eandem societatem virtutis & doctrinæ integro in fauo significatam agnoscit. Nam cera ex crassiore materia, melli excipiendo & conseruando destinata, & alendo lumini idonea doctrinam designat; quæ vilior quidem est probitate, sed in candelis discutit tenebras, & oculos nostros lumine accendit. Sed & mellis liquor aerius religiosam sanctitudinem repræsentat. Itemque apibus sapientiæ vigorem, amorem virtutis, fraternam charitatem, sedulitatem in laboribus, castitatem corporum, erga maiores obedientiam, obseruantiam disciplinæ, atque alias virtutes attribuunt prisci Patres, quæ in homine collocatæ illum faciunt perfectum & sanctum. Vt ergo mel cum cera fauum efficiunt, quem Christus auidè comedit, quique ex ore distillat; sic cera doctrinæ ac mel sanctitatis fauum componunt; qui ex ore Ecclesiæ distillans reficit eius filios: & intra viscera Sponsi Christi cum voluptate reconditum, in suum Christus alimentum conuertit, adeò vt dum comeditur, beetur hic fauus. Quam similitudinem ita Gerson expresserat: *Bonum est mel cum fauo: sapor scilicet deuotionis, cum lumine eruditionis.*

Gerſ.c.1. ep. ad Bartol. Cartuſ.

1.Cor. 13.2. 328 Idipsum docet Paulus Apostolus ad Corinthios scribens; quod Ambrosius suo commentario sic declarat: *Nihil mihi prodest scientia, si Charitas non sit.* *Et si habuero*, inquit Apostolus, *Prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habuero, nihil sum.* Quem locum sic illustrat S. Ambrosius in rem nostram: *Iudæ nihil profuit fuisse cum Apostolis, & didicisse mysteria, cùm charitatis hostis tradidit Saluatorem.* Additque nihil diabolo profuisse cognitionem diuinorum mysteriorum in Cælo; *Quia charitatis immemor in superbiam prosiliuit.* *Denique*, inquit, *Scribis & Pharisæis nihil profuit scientia, dicente Saluatore: Vos habetis clauem scientiæ, & neque uos intratis, neque alios sinitis introire. Per inuidiam enim Charitatem corrumpentes, scientiam eius ad nihilum deduxerunt.* Probatque idem exemplis ex nouo Testamento. *Nam & Tertullianus*, inquit, *& Nouatianus non paruæ scientiæ fuerunt: sed quia per Zelum, Charitatis fœdera perdiderunt, in schisma uersi ad perditionem sui hæreses creauerunt.* Vis rationem? *Nemo*, inquit Cassianus, *in uas fœtidum atque corruptum, unguentum aliquod no-*

S.Ambr.l.1. cor.13.

Luc. 11. 52.

Caſſ.col. 14. cap.14.

bile, aut mel optimum, aut pretiosi quicquam liquoris infundit. Facilius enim quanuis odoratissimum myrum semel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminat, quàm ut aliquid ex eo suauitatis aut gratiæ ipsa concipiat: quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & uas pectoris nostri, nisi priùs fuerit ab omni fœtidissima uitiorum contagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis unguentum; Cass. coll.14. cap.16. prou. 11. 22. per quod scientiam spiritualem intelligit. Et alibi in hominem scientem, sed impurum, illud Salomonis prouerbium vertit: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Vel sicut alibi legitur: *Sicut inauris aurea in naribus suis, ita mulieri malè moratæ species.* Nam mulier formosa sed malè morata conspurcat vitijs carnalibus pulchritudinem suam: quemadmodùm sus, qui habet in naribus infixum aureum circulum, eum quantumuis pretiosum immergit in lutum & fœdat, atque confringit. Appositéque prouerbium docto & impuro homini accommodat: *Quid enim prodest, quempiam ornamentum eloquiorum cælestium, & illam pretiosissimam scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus, uel sensibus inhærendo, quasi immundissimam terram subigendo confringat, aut cœnosis libidinum suarum polluat uolutabris?* S. Hier. in c. 11. prou. Idenque S.Hieronymus expressit, his verbis: *Qui ornamentum diuinorum eloquiorum meditando consequitur, sed hoc malè uiuendo insequitur, circulum aureum habet in naribus: sed more suis, terram subigere non desistit: quia quod odore iustitiæ percepit, immunda actione sordidauit. Ideòque talis anima, mulier pulchra & fatua esse censetur: quia carnalibus dedita illecebris, pulchra est propter scientiam, sed per actionem fatua.* Et similitudinibus hactenùs explicatis, duas Iulius Nigronius addit. Nigr. tr.18. num.6. Prior est, scientiam sanctitati collatam videri tanquam lunam cum sole compositam: & à sanctitate desertam æquari lunæ in Eclypsi constitutæ. Luna enim vel ex toto, vel ex parte, luce lucet aliena, hoc est solis; proindè, cùm interiectu terræ solis lumen impediente natam vmbram subit, splendore illo, quo effulgebat, exspoliata deficit adeò, vt noxia potiùs quàm vtilis terris ac pelago censeatur. Ac nemo prudenter negauerit solem spiritualem animæ nostræ sanctitatem diuinitùs infusam esse, si cum scientia conferatur: scientiam verò lunæ simillimam. Hæc cùm in terræ vmbram incurrit, hoc est, in tenebras improbitatis, quas gignit rerum terrenarum cupiditas, eripiens illi radios melioris lucis, obscuratur; & in quadam defectione constituta parùm sibi & alijs efficitur vtilis. Altera similitudo desumitur ex imitatione S.Iacobi Apostoli, qui scripsit prȩclarum Iac. 1.26. illud effatum: *Sicut enim Corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides si-*

ne operibus mortua est, quæ gignit Charitas diuina, tanquam anima fidei tribuens illi vitam. Pariter dici potest, sanctitatem spiritum & animam esse scientiæ, qua ab illa seiuncta fit corpus inanime, & vt boni scriptores Latini aiunt, *inane*, quòd anima & vita exinanitum sit, ac veluti cadauer euaserit, quod ad nihilum valet, nisi vt in sepulchrum proijciatur. Quod si sanctitatis anima in scientiæ cadauerosæ societatem veniat, plurimum valebit possidenti ad æternam salutem: quemadmodùm fides per charitatem reuiuiscens vtilior fit, quàm mortua per Charitatis absentiam. Nec absimilis est similitudo, quam Dionysius Cartusianus excogitauit. *Sicut materia*, inquit, *absque forma est vilis, & indecora, mortiformis, & squalida; ita scientia sine virtutibus iudicatur informis, idest, deornata & vilis: imò sic inflat, ac damnationem meretur, vtique grauiorem.* Demum S. Gregorius Nyssenus exprimit hanc necessariam & laudabilem coniunctionem ex dicto Pauli scribentis ad Corinthios priorem epistolam: in qua negat oculum manui iurè dicere posse, *Opera tua non indigeo*; & comparans oculum scientiæ, seu cognitioni veritatis, & manum bonorum operum effectioni, quæ est à proba vita, sic ait: *Quibus verbis docere vult, debere corpus Ecclesiæ ab vtroque rectè comparatum esse; tam perspiciendi veritatem, quàm agendi vi inter se quasi temperata. Quippè quòd neque contemplatio per se animam perficiat, nisi adsint & opera vitam egregiam absoluentia: neque Philosophia occupata in agendo satis sit vtilis, nisi vera pietas eorum, quæ fiunt, dux sit.* Philo Carpathiorum Episcopus, explanans ea verba Canticorum, *Soror nostra parua est &c.* hæc subdidit in rem nostram: *Duo homini sunt necessaria, cognitio scilicet, & recta actio: illudque præcedat, hoc natura sequatur. Neque per se sola cognitio satis esse potest; neque rerum gerendarum actio perfecta est omninò: sed altera alterius eget, opemque requirit. Sunt enim natura copulata atque coniuncta.* Et Theophilus Alexandrinus; *Si verbum nomini coniungamus*, inquit, *perfectus sensus efficitur: verbumque si solum fuerit, aut nomen sine verbo, nihil est omninò.* * (Vide lector quod *fol. seq.* 387. *numero* 329. est impressum.) Tum S. Hieronymus copiosè differens de habitu Aaron, in epistola ad Fabiolam, ait: *Tanta debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. Absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis floribusque virtutum, nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.* Vide S. Gregorium *par. 2. curæ pastor. cap. 4.*

Dion. Cart. l. de doctr. schol. art. 3.

1. Cor. 12. 21
S. Greg. ho. 13. in Com.

Theoph. Al. cap. 1. Pasch.

Typographus hic errauit. Nam sequi debet quod est in fol. 387. Et quod est in fol. 390. lin. 8. Propterea &c. imprimi debebat in fol. 387. post lin. 10.

S. Hier. ep. 128. ad Fab.

*& lib.1.Registri ep.*24.Sed & B.Petrus Damiani ep.144. Prædicatori duo inquit esse permaximè necessaria, videlicet vt sententijs doctrinæ spiritualis exuberet, & religiosæ vitæ splendore coruscet. Et extendens suum dictum, ad Sacerdotem, quem Cœlum quoddam esse dicit, & similem Angelo, qui Saluatoris Natiuitatem nuntiauit, hæc habet: *Quia ergo Sacerdotes Ecclesiæ sunt Cæli, qui enarrant gloriam Dei, necesse est, vt Sacerdos, qui Prædicatoris officio fungitur, & doctrinæ spiritualis imbribus pluat, & religiosæ vitæ radijs splendeat: instar illius Angeli, qui natum Dominum pastoribus nuntians, & splendore claritatis emicuit, & quod euangelizare uenerat, uerbis expressit.*

329 Quàm verò qui literis eruditus est, & virtutibus caret, parum prosit Ecclesiæ, constat ex eo, quòd si quid vtilitatis erudita videlicet lingua struit, illud idem vita non proba destruit; & quod vna manu ædificat, altera euertit, iuxta illud: *Vnus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?* Eccli.34.28. Proindè Niceta fingebat sibi animo vitam & doctrinam geminarum manuum instar esse: & eum qui benè doceret, & malè viueret, altera manu discipulos trahere, altera repellere. Cui omnium ferè Patrum doctrina consonat. Auctor libri de XII. Abusionibus inter opera S.Augustini: *Primus abusionis gradus est, si sine operibus sapiens & prædicator fuerit; qui quod sermone docet, actibus complere negligit. Auditores doctrinæ dicta facere contemnunt, cùm prædicationis opera à prædicationis uerbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim fit efficax prædicantis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis. Præsertim cùm & ipse doctor, si in uitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis uulneribus adhibere paruipendit.* S.Aug.l.de 12.abus.gr.1 Cassiodorus: *Non potest habere auctoritatem sermo, qui non iuuatur exemplo: dum iniquum sit, bona præcipere, & talia non fecisse.* Cassiod.l.11. var.c.8. S.Isidorus Hispalensis: *Auctoritate magisterij caret, qui quod docet non facit.* S.Isid. l. 3. sent. cap.36. nu. 4. S.Hilarius: *Doctus sine doctrinæ fit auctoritate, nisi innocens sit.* S.Hilar. l. 8. de Trin. S.Petrus Chrysologus: *Magisterij auctoritas constat ex uità: docenda faciens obedientem perficit auditorem.* S. Chrysol. ser. 167. Lactantius: *Qui docent tantùm & non faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cùm ipsi præceptores doceant non obtemperare.* Lact.l. 3. c. 16. Idemque ferè dicebat S.Chrysostomus: *Si quando uiderit uerbis dumtaxat philosophantem* (doctorem discipulus) *dicat eum impossibilia præcipere. Quod autem impossibilia præcipiat, eum hoc ostendere primùm, quia ea non faciat.* S.Chrys. ho. 12.in cap.3. Philipp. Auctor vitæ S.Fulgentij in Prol. *sine causa nititur docere sapienter, nisi uixerit innocenter.* Auctor imperfecti commentarij in Matth. Imperf. ho. 10. *Qui docet & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moueatur ad peccandum, cùm uiderit ipsos do-*

S. Hier. ep. 16. ad Princip.

Idem in c. 2. ep. ad Tit.

S. Bern. ser. 2. de resur.

Cass. coll. 11 cap. 4.

S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 39.

Ps. 49. 16.
S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 46.

S. Isid. Hisp. l. 3. cant. cap. 37. num. 1.

S. Basil. l. de leg. lib. Ethn.
S. Hier. ep. 2. ad Nepot.
S. Aug. in ps. 46.
S. Greg. l. 23. moral. cap. 1 al. 4.
Idem l. 31. c. 11. al. 19.

S. Isid. lib. 3. ep. 232.

ctores pietatis peccantes? S. Hieronymus: *Erubescit quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia. Frustraque eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemosynas, qui Cræsij diuitijs tumet, uilique opertus pallio pugnat contra tineas uestium sericarum.* Idemque alibi; *Nihil prodest*, inquit, *aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum triuisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quàm verbo. Denique qui impudicus est, quamuis disertus sit, si ad Castitatem audientes cohortetur, sermo eius infirmus est, & auctoritatem non habet cohortandi. Et è contrario quamuis sit rusticanus & tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem impellere.* S. Bernardus: *Cuius vita despicitur restat vt eius prædicatio contemnatur.* Chæremon apud Cassianum recusans præcepta tradere inuisentibus, quòd se imperfectum esse ex humilitate diceret, & propter ætatem centum annos excedentem, non valeret exemplo ædificare audientes, claudit excusationem his verbis: *Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectus operis sui, cordi affixerit audientis.* S. Isidorus Pelusiota sceleribus contaminatos existimat minimè os ad docendum aperire debere: tùm quia illis fides minimè habetur: tùm quia ijs silentium indicitur à Propheta, per illa verba: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum per os tuum?* Et alio in loco præclaram rationem hanc affert: quòd facta non egent verbis vt videantur; quia suapte natura in lucem prodeunt, & apparent: at verba egent factis vt eis credatur. Vide lib. 3. epistolam 202. & 232. Consonat & S. Isidorus Hispalensis Episcopus: *Interdum doctoris vitio, etiam ipsa vera doctrina vilescit: quia dum non viuit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit.* Ideóque verè Patres communiter clamant. *Vt sermoni consonet vita*, ex S. Basilio. *Vt Sacerdotum Christi os, mens, manusque concordent*, ex S. Hieronymo. *Vt concordent manus & lingua*, ex S. Augustino. *Vt ne à vita lingua discordet; ne pacem, quam in Ecclesia annuntiat, in se ipso dum bene dicit, & male viuit, amittat*, ex S. Gregorio; qui alio in loco moraliter applicat Prædicatoribus hinnitũ & fortitudinẽ equi; *In Prædicatore*, inquit, *nisi uita & sermo conueniant, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Non enim multum prodest si sublimis vitæ operatione suffultus sit, si tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare, quod sentit. Vel quid prodest bene loquendo alios accendere, si semetipsum indicat male viuendo torpuisse?* Idem vel ab Ethnicis disces: nimirum à M. Tullio in secundo libro officiorum: & à Quinctiliano lib. 12. cap. 1. Notatque S. Isidorus Pelusiota, quòd *apud Lacedæmones, qui actiones sermonum umbras esse definiunt, ei qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare*

licebat. Morisque huius meminerunt Philo Iudæus, & Plutarchus non vno in loco. Id ipsum sentit & Aristoteles lib. 20. Ethic. cap. 1. & L. Seneca ep. 75. vbi ait; *Hac sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur: quod loquimur sentiamus. Concordet sermo cum uita. Ille promissum suum impleuit, qui & cùm uideas illum, & cùm audias, idem est. Videbimus, qualis sit, quantus, unus sit*. Igitur viri docti dum docent sint Cygni spirituales, Cygni naturalis imitatores, qui (si Eliæ Cretensi fides habenda) *Non ore canit lusciniarum more, sed modulatione motuque alarum, per uentorum afflatum extensarum*. Vel vt S. Gregorius Nazianzenus obseruat, *Pennis in auram expassis modulatum sibilum edit*. Hoc est, alas cum gutture iungit vt dulce canat, homines docens, vt brachia manusque locutioni, sermonibus opera, & verbis facta coniungant. Ob id ex infima ora vestis Aaronicæ tintinnabula & mala punica alternatim disposita & mista pendebant *Exo*. 28. 33. 34. Vnde Iacobus à Vitriaco Cardinalis laudans Hugonem de S. Victore vtroque illo ornamento diuitem, ait: Qui malogranata cum tintinnabulis coniungens, exemplo sanctæ conuersationis, multos ad honestatem incitauit, & melliflua doctrina ad scientiam erudiuit. Et aptè malogranato sanctitas, aureo verò tintinnabulo scientia exprimitur. Nam malum illud cortice opertum aspero, decolore, amaro, sed intus magnam quidem & pulchritudinem & dulcedinem habet. Plenum est enim granulis multis artificio mirabili dispositis inter se, colore purpureo tinctis, gustui dulcibus, iucundis aspectui; quorum succus & sanis & ægris est suauis ac salutaris. Cui similis vir probus ac sanctus. Extra contemptibilis est, propter humilitatem ac sui despicientiam in habitu, incessu, moribus: bona quæ possidet, siue generis, siue ingenij, siue spiritualium donorum minimè ostentans. At intus thesaurum recondit ingentem omnium virtutum, quæ sunt imbutæ purpura Charitatis. In aureis verò tintinnabulis, doctrina per sermonem communicanda cum proximis siue priuatim siue publicè, in concionibus, scholis, circulis, aut libris editis, intelligitur. Quam similitudinem ita S. Gregorius Nyssenus illustrat: *Duo hæc sunt studia, quibus uirtus tota conflatur, recta in Deum fides* (quod ipse de fide dicit, nos debemus ad vniuersam doctrinam sacram & Theologicam trahere, cuius fons & origo est fides) *& probata in hac uita conscientia. Hæc mala punica & tintinnabula indumento Timothei Paulus ille innexuit, cùm dicat oportere, ut habeat fidem & probam conscientiam. Fides igitur Sacerdotis ueluti tintinnabulum clarè atque sonorè in S. Trinitatis prædicatione exclamet. Vita uerò naturam punicorum imitetur, quorum circumfusa exteriùs*

Elias Cr. or. Naz. 34. nu. 51.

Iac. Vit. Card. hist. Occid. c. 24.

S. Greg. Nyss. l. de vita Mosis.

quasi testa, incomestibilis duraque est: quod autem intus reconditum est, & uisu ex uarietate coloris atque collocationis ordine iucundum est, & gustu iucundius, non parua dulcedine sensum afficiens. Philosophica quoque uiuendi ratio (hìc more Græcorum Patrum, philosophicam vocat, vitam perfectiorem) *dum exteriùs atque aspera sensui est, intus sæpius optimarum pulcherrimarumque rerũ plena tempore suo, cùm matura fuerit; cùmque agricola noster pòma punica huius vitæ aperiet; dulcissimam suorũ fructuũ præstabit fragrãtiã.* Propterea, cõmentarius S. Ambrosij nomine, à quo S. Anselmus rem describsisse potuit, monuit sic esse scientiam temperandam caritate, vt vinum aqua miscetur ne noceat. *Temperatur*, inquit, *à dilectione ut non satis mera sit, & inebriet scientem, ut se extollat. Sicut enim uinum non temperatum admistione aquæ, mentem alienat, ita & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata. Omnia enim sola insuauia sunt & nociua; quia nec panis solus bene editur, nec reliqui cibi sine admistione grati sunt; sed nociui.* Religiosus ergo scientia imbutus minimè temperata virtutibus fit ebrius, furiosus, amens, & aptus ad euertendum Ordinem & Ecclesiam, nisi esset super petram fundata. Et seculis omnibus experientia docuit, quàm perniciosi fuerint, & quàm graues turbas in Ecclesia homines eruditi ac scientes, contaminati vitijs, & inflãmati perturbationibus, excitarint. Beneqùe Vincentius Lerinensis obseruat, doctissimos viros, tum primùm in errores Ecclesiæ perniciosos ac turpes esse prolapsos, cùm per aliquem immoderatum affectum de sanctitudinis semita deflexerunt. Quod accidisse ait cum magna Ecclesiæ tentatione inter Græcos Origeni, & inter Latinos Tertulliano: de quo & de Nouatiano S. Ambrosius idem tradidit.

S. Ambr. & Ansel. in 5. Cor. 8.

Vinc. Ler. l. adu. hæres. c. 23. & 24.

S. Isid. l. 3. sent. cap. 37. num. 5.

330 Porrò doctor malè moratus ex S. Isidoro, est similis cereo, qui bonam alijs præstat lucem, & se se incendio suo consumit: arcui peruerso, qui iaculans sagittam, sagittarium ferit: æri aut cymbalo tinnienti, quod alijs dat sonum, & remanet sine sono: Balaam ariolo, *Qui corruens opere, apertos habuit oculos ad contuendam lucem doctrinæ.* Demum ait, *bonum malo coniungere; lucem tenebris commiscere; ueritatem mendacio mutare.* Facit huc S. Iacobi testimonium, quod à nobis expendi debet: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* Vbi aduertas non esse dictum ab Iacobo, *Peccat*, sed *peccatum est illi*, ad emphasim: quasi dicatur, huic pro maximo scelere imputandum esse, & maximum supplicium ab eo repetendum qui non facit, quod scit esse faciendum, vt cum alijs obseruat Lorinus. Quod ita Dionysius Cartusianus expressit: *Ei qui scit ad quæ obligatur, quid facere, quid uitare iam debeat, nec tamen iuxta suam pe-*

Iac. 4. 17.

Dion. C. in 4. c. Iac.

ritiam laudabiliter conuersatur, sua scientia & maioris culpæ ac pœnæ occasio, & culpabilior atque damnabilior. Relatoque Christi pronuntiato subiungit: *Hinc specialiter literati obligantur esse coram Altissimo iusti & recti, & coram hominibus exemplares.* Idipsum S. Gregorius Papa indicauit his verbis: *Nulla est scientia, si vtilitatem pietatis non habet: quia dum bona cognita exequi negligit, se se ad Iudicem arctiùs stringit.* Thomas Campensis: *Quantò plus & meliùs scis, tantò grauiùs inde iudicaberis, nisi sanctiùs vixeris. Noli igitur extolli de vlla arte, uel scientia, sed potiùs time de data tibi notitia.* Et S. Isidorus Hispalensis: *Ad maioris culpæ cumulum pertinet scire quenquam quid sequi debeat, & sequi nolle quod sciat.* Quod & Christi testimonio probat: *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, uapulabit multis.* Ex quo testimonio mellifluus Bernardus hoc infert: *An non responsum mortis & damnationis totiens in semetipso habebit* (bonum sciens, & non faciens) *quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus, quia seruus sciens voluntatem &c.* Tum S. Iacobi verbis productis, ait: *Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei.* Quam similitudinem sic explanat: *Cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si decocta igne Charitatis non fuerit, & si per quosdam artus animæ, mores scilicet, atque actus, transfusa atque digesta, quatenùs ipsa de bonis quæ nouerit, vita attestante & moribus, bona efficiatur; nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos noxiosque humores? An non malus humor peccatum? An non mali humores, praui mores? An non inflationes & tortiones in conscientia sustinebit, qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens?*

S. Greg. l. 1. moral. c. 15. al. 32.

Th. à Kemp. l. 1. de imit. Chr. c. 2.

S. Isid. l. 2. sent. c. 1. nu. 10.

Luc. 12. 47.

S. Bern. ser. 36. in Cant.

331 Quàm verò doctus & improbus despicatui ab hominibus habeatur, docet S. Gregorius de Prædicatoribus arrogantibus loquens. *In Prædicationis facundia*, inquit, *benedictionem quidem gratiæ diuinæ percipiunt: sed in elatis suis moribus esse eam contemptibilem ostendunt. Ipsa quoque, quæ acceperunt bona eò despicabilia faciunt, quò nequaquam eis bene vti nouerunt.* Idipsum M. Tullius in Tusculanis quæstionibus ait: *Vt si grammaticum se professus quispiam barbarè loquatur: aut si absurdè canat is, qui se velit haberi Musicum, hoc turpius est, quòd in eo ipso peccat, cuius profitetur scientiam: sic Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpius est, quòd in officio, cuius Magister esse vult, labitur: artemque vitæ professus delinquit in vita.* Talis profectò Monachus fuit, de quo Petrus Damiani sic habet: *Hodiéque certè in Romana Vr-*

S. Greg. l. 23. moral. cap. 2 al. 5.

Cic. Tusc. 2.

B. Pet. Dam. ep. 105. ad Arip.

hc frater aduiuit, ortus de ſummis Proceribus Galliarum, cuius nomen taceo, quia fratris ignominiam parhorreſco. Cui neſcio an aliquid vtilitatis deſit. Tot ſiquidem exteriorum bonorum floribus eniteſcit: nobilis vt Imperator: pulcher aſpectu: quodammodò ſicut Tullius loquitur: vt Virgilius poëtatur: tuba vehemens in Eccleſia: perſpicax & acutus eſt in lege diuina: ſcholaſticè diſputans, quaſi deſcripta libri verba percurrit: vulgariter loquens Romanæ vrbanitatis regulam non offendit. Quid de Monachico proſequar Ordine? Quid de regularis magiſterio diſciplinæ? In quorum videlicet notitia ita conualuit, vt hæc docere nauiter poſſit. Sed eius, proh dolor! talis eſt vita, ut cùm alteri nullus inuideat: ad ſe introducere nemo depoſcat. Et, vt rem non diutiùs protraham, ſtulto ſapienti monaſterialis ad habitandum ianua clauditur; cuius paſſim ruſticis, & imperitis, ac diſcolis, aditus non negatur. Hæc Damianus, qui de huiuſmodi Religioſis ita concludit: *In ſapientia ſuæ vanitate confiſi, dum ſperant facilè cuncta ſuppetere, arbitrantur vtique ſe religionis teſtimonio non egere. Et dum inanem ſapientiam iactant, inſipienter viuere non formidant; quamobrem à ſe conſpicientibus eorum actus exploditur: vita conſpuitur: conuerſatio deridetur: fama polluitur: teſtimonium condemnatur. Ideò qui propoſuerant ad votum viuere, in contrarium verſa ſententia, ſæpe compelluntur egere.*

332 Itaque præſertim iuniores attendant, ne propter ſtudium literarum, deuotionis affectum minuant, & ſpiritus feruorem extinguant. *Nam ſcientia,* inquit S. Thomas, *& quicquid aliud ad magnitudinem pertinet, occaſio eſt, quòd homo confideret de ſe ipſo, & ideò non totaliter ſe Deo tradat. Et inde eſt, quòd huiuſmodi quandoque occaſionaliter deuotionem impediunt.* Idcóque ipſe, vt Surius narrat, imitatione S. Dominici, collationes Patrum lectitabat; *Ne, ex rerum ſubtilium ſpeculatione, affectus eius nonnihil intepeſceret.* Cuius teporis cauſa ſolet eſſe ſeria & aſſidua illa applicatio ad excolendum intellectum omnibus diſciplinis: quam excitant, vrgent, & augent, maiorum iuſſio, qui requirunt à diſcentibus diligentiam, ſedulitatem, & progreſſum in doctrinis: naturalis propenſio, cupiditaſque ſciendi, tum æmulatio, quæ ſolet inter pares accendi. Adde etiam dæmonis fraudulentum impulſum; qui per ſpeciem maioris boni, quem propenſum videt ad diſcendum, inſtigat adeò, vt ita ſtudio ſe dedat, & ab illo quodammodò abſorbeatur: quod de dæmone S. Leo baſilicè notat. Cauſa item teporis eſt interdum cupiditas excellentiæ, amorque victoriæ in diſputationibus alijſque exercitationibus, quæ frequentiùs adhibentur. In ardore enim altercandi, nonnunquam diſputantibus parum cautis verba ex ore excidere ſolent, quæ charitatem

S.Th. 2.2.q. 82.art.3. ad 3.

Laur. Sur. in Vita I. Th.

S.Leo ſer. 7. de Natiu.

fraternam lædunt, & vulnerant auditorum aures ac animos. *Omnium malorum fomes*, inquit Smaragdus, *est contentio, periculum animarum, & subuersio est auditorum.* Et post: *Per contentiones inutiles suscitantur iræ, generantur inter fratres discordiæ, nutriuntur animositates, procedunt lites, efficiuntur dissentiones, emergunt æmulationes, suscitantur scandala; & vt breuiter dicam, nascuntur inter fratres omnia mala.* Teporis item est causa malignitas quædam profanæ literaturæ, libris Ethnicorum inhærens, & in quibusdam Chrstianorum libris, calamo (vt ita dicam) & atramento Gentilium exaratis. Quocirca S. Gregorius, Ioanne Diacono auctore, *Omnes omninò Pontifices à lectione librorum Gentilium inhibebat.* Qua de re visio S. Odoni oblata refertur. *Nam Virgilij cùm voluisset legere carmina, ostensum ei fuit per visum vas quoddam, de foris quidem pulcherrimum, intus verò plenum serpentibus: à quibus se subitò circumuallari conspicit, nec tamen morderi: & euigilans, serpentes doctrinam poetarum; vas in quo latitabant, librum Virgilij, intellexit.* Quin nonnullos scimus igni purgatorio addictos, vt S. Antoninus tradit, *pro curioso studio Gentilium:* quorum libri damnum hoc pariunt, quòd nauseam excitant, & contemptum creant in lectoribus aduersus sacram Scripturam, teste Lactantio. *Carmen autem*, inquit, *compositum, & oratio cum suauitate decipiens, capit mentes, & quò voluerit impellit. Inde homines literati, cùm ad Dei religionem accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati minùs credunt. Assueti enim dulcibus & politis, siue orationibus, siue carminibus, diuinarum literarum simplicem communemque sermonem, pro sordido aspernantur. Id enim quærunt quod sensum demulceat.* Qualem in morbum cùm olim D. Hieronymus incidisset, hæc ait: *Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reuersus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis.* Similem in modum S. Augustinus cùm sacram Scripturam vidisset *incessu humilem*, non inclinabat *ceruicem ad eius gressus;* & tumorem suum confitetur, his verbis: *Non enim sicut modò loquor ita sensi cùm attendi ad illam Scripturam: sed visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat eius interiora.* Eodemque morbo cùm laborasset B. Petrus Damiani sic ait: *Olim mihi Tullius dulcescebat: blandiebantur carmina poetarum: Philosophi verbis aureis insplendebant: & sirenes vsque ad exitum dulces meum intrauerant intellectum. Lex, Prophetæ, Euangelium, Epistolæ, & omnis gloria sententiarum Domini mei, & seruorum*

Smar. in reg. S. Ben. cap. 4. inst. 66.

Io. Diac. l. 3. vit. S. Greg. c. 33.

Io. Ital. l. 1. vita S. Odonis Clun.

S. Ant. p. 1. t. 5. c. 5. §. 2. caus. 3.

Lact. l. 6. c. 22.

S. Hier. ep. 22. ad Eustoch.

S. August. l. 3 confess. nu. 5.

B. Pet. Dam. ser. de Natiu.

Theod.l.1.de cura Græc. aff.

eius, aut parua videbantur, aut nulla. Quod Græcus Theodoretus ita deplorat: *Nonnulli eorum, qui Poetarum, & Oratorum participes facti sunt, Platonisque adeò elegantiam degustarunt, sacrarum literarum monumenta contemnunt, vt quæ calamistris eloquentiæ compta non sunt.* Et hac profanæ lectionis recordatione tentator nos plerunque auocat ac perturbat orantes; vt Ioannes Carpathius in documentis spiritualibus inquit: *Sciens inimicus orationem nobis esse propugnatricem, sibi insidiatricem, ab eaque nos absterrere volens, ad Græcarum disciplinarum, quas deseruimus, desiderium animos nostros exstimulat, & ad vacandum ijs adhortatur.* Germanus apud Cassianum fusiùs has molestias ingemiscit. *In qua* (notitia literarum) *ita*, inquit, *instantia pædagogi, vel continuæ lectionis macerauit intentio, vt nunc mens mea poeticis velut infecta carminibus, illas fabularum nugas, historiasque bellorum, quibus à paruulo primis studiorum imbuta est rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, psallentique, vel pro peccatorum indulgentia supplicanti, aut impudens poematum memoria suggeratur, aut quasi bellantium heroum ante oculos imago versetur: taliumque me phantasmatum imaginatio semper illudens, ita mentem meam ad supernos intuitus aspirare non patitur, vt quotidianis fletibus non possit expelli.* Persentit, vt Iulius Nigronius narrat, hanc spiritus extinctionem in se ipso Iacobus Aluarus de Paz Hispanus, ille trium magnorum Voluminum de vita spirituali scriptor accuratissimus, ab huiusmodi librorum lectione profectam. Nam discendæ Italicæ linguæ cupiditate, legendum sumpsit Torquati Tassi heroicum poema, de cuius elegantia multa inaudierat in Hispania. Verùm post aliquantam poematis lectionem; talem in oratione reprehensionem, atque ariditatem spiritus sensit, vt maluerit illo Italicæ linguæ comparandę adiumento carere, quàm graue hoc damnum subire. Itaque & abiecit à se Torquatum, & sanctè Deo vouit, nullum profanum codicem in posterum se lecturum. Proindè S. Franciscus Assisias, vt tradit S.Bonauentura, *quærentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret, quòd literati iam recepti ad Ordinem intenderent studio S.Scripturæ, respondit: Mihi quidem placet; dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, quàm legisse, orationis studium non omittant: nec tantùm studeant ut sciant qualiter debeant loqui; sed ut audita faciant, & cùm fecerint alijs facienda proponant. Volo Fratres meos discipulos Euangelicos esse, sicque in notitia ueritatis proficere, quòd in simplicitatis puritate concrescant, vt simplicitatem columbinam à prudentia serpentina non separent.* Claudo hanc Disquisitionem grauissimis Iusti Lipsij verbis: *Pulchra hæc laudatio: O uirum doctum! sed illa melior: O uirum sapientem! & ista optima: O*

Ioan.Carpath.contur. 1. §.12.

Cassian. coll. 14. c. 12.

Nigr.or.18. nu.36.

S.Bon. in vita S. Franc. c.11.& Luc. Vad. to.3. opusc.S.Fräc. colloq. 15.

uirum bonum! Has sectemur, & per tot labores non scire tantùm uelimus, sed sapere, & facere. Quàm multi hodie in hoc nostro musico cœtu, qui & se dedecorant, & omne nomen literarum! Quidam quia flagitijs & sceleribus cooperti: plerique, quia uani, leues, & nullius seriæ curæ. Et addit: *Ad sapientiam conuertere, quæ mores tibi corrigat, quæ animum turbidum sordidumque tranquillet & illustret.*

Iust. Lyps. l. 2 de const. c. 4.

DISQVISITIO QVINTA.

De quotidianis Exercitijs horis suis, in Recessu, bene distribuendis, & quæ nam inde Solitario utilitas oriatur?

333 STATIS HORIS, ETC. Ante omnia in recessu requiritur, horarum & temporis, suo cuilibet operi distributio; de qua Ludouicus Palma sic ait: *Valde iuuat præcisè seruare distributionem temporis, exercitiaque certis temporibus applicando.* Præsertim, parare se ad Meditationem, antequam quis illam aggrediatur; *Certum tempus materiæ prauidendæ præfiniendo.* Imò, Alphonsus Rodericus, vti aliàs aduerti, recessum suadet, vt quotidiana cuiusque temporis exercitia, & opera, ritè peragere instituamur. Quamobrem, bene monet S. Ignatius, quòd tradens exercitia, si animaduertat ei qui recipit, nullas incidere spirituales animi commotiones, vt sunt consolationes, vel tristitiæ, neque diuersorum spirituum agitationes, *Sedulò debet percontari, an ipsa exercitia præscriptis agat temporibus, & quibus modis.* Idemque docuisse B. Laurentium Iustinianum obseruo, qui, *Propterea cunctis consulendum est*, inquit, *ut taliter unumquodque disponant opus, quatenus quælibet hora propriam habeat actionem.* Vitæque inordinatæ percensitis incommodis, eos Religiosos commendat, qui *suo tempore orant, suo tempore legunt, suo tempore manibus operantur, ac singula singulis peragunt horis; nec penes ipsos quicquam inordinatum prætermittitur. Et quoniam, cuncta statutis perficiunt temporibus, ideò proficiunt.* Ergo, eos proficere affirmat, qui quotidiana exercitia ordinatè disponunt. Sic Abbas Ludouicus Blosius eandem exercitiorum distributionem suadet: *In priuatis tuis exercitijs, uide ut sis ordinatus. Præscribe tibi, quid quaque hora agere, & in quo te occupare uelis.* Clariùs S. Ephræm: *Tempus quacunque in re ita tibi partire, ut uerseris ordinatè in cibo, & potu, in sermone, & oratione, atque lectione.* Et S. Bernardus: *Singulis horis, secundùm communis Instituti*

Pal. in Praxi. exerc. sub die 1.

S. Ign. exerc. sp. an. 6.

B. Laur. l. de Disc. & perfect. Monast. conuers. cap. 10.

Blos. in Spec. Mon.

S. Ephr. to. 2. in Cant.

S. Ber. l. de Vita solit.

Canonem, sua distribue exercitia; cui spiritualia, spiritualia; cui corporalia, corporalia: in quibus se exsoluat omne debitum, spiritus Deo, corpus spiritui; ut si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore, non habeat impunitum, uel irrecompensatum.

334 Adde, statam exercitiorum vicissitudinem, suis temporibus attributam, fere vtilissimam, ad pellendum animi satietatem, ac tædium. Audi S. Basilium: *Porrò, ex his omnibus, quæ diximus, statis temporibus, nullum ab ijs prætermitti debet, quorum uitæ propositum est, ut quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei, & Christi eius referant. Atque vtilis etiam meo iudicio in Orationibus, & Psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas hæc, atque varietas, ob eam causam, quòd in perpetua similitudine, & æqualitate rerum, animo, nescio quomodo, torpedo quædam plerunque oboritur, atque tædium: eaque re aliud agens, ad futiles, & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem, varietateque, cum psalmodiæ, tum singularum horarum rationis, & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur.* S. Hieronymus docet hac vicissitudine breuius quodammodò videri tempus: *Si orationi*, inquit, *lectio, lectioni succedat oratio; breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur.* B. Laurentius author est, ex ea, feruorem, ac solicitudinem in nobis oriri: *Quoniam*, ait, *cuncta statutis perficiunt temporibus, ideò proficiunt, vitamque suam sine tædio deducunt, atque cùm semper anhelo sitiant, operando, desiderio ad anteriora procedere, solicitè perficere satagunt, quæ tenent præ manibus.* Aristoteles iucunditatem; *Quæ fiunt*, inquit, *interposito temporis spatio, seu per interualla, iucunda sunt.* Et iterum; *Commutatio, res est iucunda; nam commutari naturæ accommodatum est: quod enim semper idem est, in exuperantiam transit, & præsentem habitum corrumpit.* Idemque probat Euripidis dicto, & numerorum concentu; qui nimirùm mistione, & contrariorum aptè inter se se portionemque inuicem custodientium varietate, demulcent.

S. Bas. Reg. fus. disp. resp. 37.

S.Hier. ep. 7. ad Latam.

B. Laur. loc. cit.

Ar. l. 1. Rhet. c. 11. al. 38. &c.

335 Inter hæc autem statuta exercitiorum tempora, ea præsertim, & in recessu, & in omni ferè vita, districtiùs à nobis sunt obseruanda, quæ silentio, ac diuinarum rerum contemplationi sunt attributa. Habeo hoc monitum, ex S. Gregorio; qui hoc Religiosis suadet, Prophetæ Samuelis exemplo. Nam explanans ea puellarum verba ad Saulem, qui quærebat Samuelem videre; *Hic est: ecce ante te, festina nunc, hodie venit in Ciuitatem*; hæc ait: *Quasi dicant*, inquit Gregorius, *si id, pro quo in Ciuitatem venit, expleuerit, videre in secreto suo repositum non poteftis. Quod profectò verbum iam ad literam*

1. Reg. 9. 10.

S. Greg. l. 4. cap. 4. in 1. Reg. 9.

non ad verbum, sed exemplum Religiosorum est. Nam sanctus Vir tantæ erat districtionis, vt statutas dies & horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuisset. Dicunt ergo, festina ac dicant: Si statutum tempus transierit, in horis suæ quietis, verbis aut actionibus non intendit. Et subdit, ad Religiosorum instructionem: *Statuendæ sunt nobis horæ ministerij, vt breuiter persistamus in opere, ac festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. Ipsæ autem secreti silentij nostri moræ, tanta lege districtionis, custodiendæ sunt, vt ipsi etiam qui accedere solent, sciant, quia contra propositum nostrum ad nos accessum non habeant.*

336 Redeo ad exercitiorum ordinem, & temporum distributionem in recessu stabiliendam; & peto, à quo nam fieri debeat? Paulus de Barry è Societate Iesu inter monita generalia de hac recollectione sic ait: *Serua distributionem temporis, arbitrio tuo confectam.* Sed ego laudarim, si ab Directore conficiatur. Audi è Præmonstrato Ordine Abbatem Ioannem Chrysostomum, in itinere trium dierum: *In hac temporis distributione, nihil inconsulto, aut non permittente Directore, mutetur ab Exercitatore, qui quò sincerius & exactius, ad alienam Superioris aut Directoris sui voluntatem in hisce exercitijs accuratè perficiendis sese conformauerit; eò copiosiorem* Dei *gratiam, & animæ suæ profectum experietur.* *Synop. distributij temporis, fol. 198.*

DISQVISITIO SESTA.

Quod tempori spatium, in recessu diuinarum rerum contemplationi sit impendendum.

337 TEMPVS DIVINÆ COMMENTATIONIS. Paulus V. Pont. Max. ijs veniam delictorum concedit; qui, dies decem, ab omnibus negotijs alieni, pias lectiones, ac meditationes habuerint, *Saltem duabus horis per dies singulos*. Religio S. Pauli Primi Eremitæ totidem, & ipsa præscripsit: *Porrò, duas horas, quolibet die, in sola meditatione consumet; quòd si est debilioris complexionis, illæ possunt in partes diuidi.* Fulienses in suo Directorio tres suadent, *Primam mane, alteram ante meridiem, tertiam vesperi, vel alijs temporibus, quæ qui exercetur vnà cum Directore magis ad id apta, & congrua iudicauerit.* Sic à Dominico Flumara, in Directorio Clericorum Minorum, horæ meditationibus accommodatæ tres statuuntur: *Prima matutino tempore; secunda, tempore vesperarum; tertia, paulò ante cœnam.* Et *Primo tempore*, inquit, *horam integram, sed alijs tempori-* *Rom. Pont. 23. Maij An. 1606. Rel. S. P. Const. p. 1. c. 11. n. 5.* *Sanc. in Direct. exerc.* *Flum. in Dir. instr. n. 8. fol. 50.*

bus, vel horam, vel semihoram, pro singulis vicibus, meditationi impendat. Intermedium autem tempus ordinatè dabit quieti corporis, diuinis Officijs, lectioni piorum librorum, alijsque Religiosis operibus. Et aliquot monitis interiectis, hæc subdit: *Ordo verò Exercitiorum huiusmodi erit. Primo die immorabitur meditans in consideratione Præparationis. Cæteris autem diebus, duas Meditationes assumet, vnam pro prima hora matutina, & alteram pro duabus sequentibus. Ne autem exercitator à vigore animi & corporis deficiat, poterit quandoque de consilio Instructoris quiescere, & mensuram horarum imminuere.* Porrò, Ludouicus Granatensis, Prædicatorum lumen, qui recessum perpetuò coluit, *Tres horas singulis diebus in studio orationis collocabat, nunc genuflexus, nunc in terram prostratus, nunc in formam Crucis brachijs extensis, nunc alio gestu, pro vt affectus, ipsaque orationis ratio postulabat.* Sed Michael Muscus in suo Regulari, de spiritualibus Exercitijs in recessu habendis, hæc ait: *Puto admodùm expediens, vt Oratio, trium, aut quatuor horarum spatio, producatur.* Quem Petrus Iardina, in formula Exercitiorum, secutus, iterum *Tres aut quatuor, in Meditationibus, insumi horas instituit;* monetque vt, post singulas, aliud *Quadrans in Orationis discussione impendatur.* Sed ex Ioanne Suffreno, *Nonnulli quotidie Meditationes quatuor absoluunt, & vnamquanque hora integra: primam summo mane, postquàm surrexerunt, alteram vna ante prandium hora, tertiam à medio tertiæ ad medium quartæ; vltimam cœnæ præmittunt. Alij tres tantùm horas impendunt, omissa, illa, quæ à meridie est, quod tempus illud minùs aptum meditationi uideatur, mente adhuc à refectione operis impedita.* Congregatio Missionis in Gallia quatuor omninò præscribit; primam mane, statim ac solitarius expergiscitur; alteram post missam; tertiam post vesperas, vltimam ante cœnam. Claudius Aquiuiuus in Societatis Directorio quinque, cùm ait: *Qui exercitia exactè facere uolunt, uiresque idoneas habeant, ijs quinque horæ meditandi quotidie præscribi solent; prima, circa mediam noctem, quod tempus propter quietem, ac profundum silentium, ualdè aptum est meditationi; secunda sub auroram, tertia paulò ante prandium, quarta post meridiem, quinta sub uesperam, &* [quod ex Iardina monuimus] *post uniuscuiusque meditationem, quadrans etiam ad examen præcedentis Meditationis.* Cum ijs tamen, qui debilioris sunt valetudinis, vel etiam exactum modum seruare non possunt; dispensari concedit horam mediæ noctis; ita tamen, *Vt quinque horæ maneant, aut etiam pauciores, si Instructor ita expedire iudicauerit.* Totidem ergo nostris, aut plures suadeo. Imò S. Patris N. Caietani exemplum, omnibus, ob oculos pono; qui quotidie, vt Ioannes Rhò è Societate Iesu cum laude narrat, *Horas plerun-*

Ibid. nu. 12.

Franc. Diagus in vita Lud. Gr. c. 12.

Masc. in Regul. lib. 6. c. 24. nu. 4.

Suffr. §. 6. num. 1.

Cl. in Direct. cap. 3.

Rhò in var. vir. hist. lib. 3. c. n. 15.

runque octonas Diuinæ Commentationi impendebat. Quadrans verò examinis, S. Ignatius sic iussit impendi: *Vt, completo exercitio, sedens, uel deambulans, per quartam scilicèt horæ partem, mecum dispiciam, quonam modo meditatio, seu contemplatio, mihi successerit: & si quidem malè, inquiram causas cum pœnitudine, ac emendationis proposito: sin verò benè, gratias Deo agam, eundem postea modum obseruaturus*. Hæc ille. Tamen, de Horarum numero, & tempore, Meditationibus impendendo, vis meam sententiam proferam? Cum Ioanne Suffreno loquar: *Committo id tuæ, tuique Directoris prudentiæ, cùm præcipuus finis huius recollectionis non sit caput tibi frangere, multitudine & prolixitate Meditationum, sed vt efficaciter in vitæ morumque emendationem incumbatur; quod fortaße meliùs à considerationibus, quàm Meditationibus, obtinebitur.* Verùm, pro Secularium spatio, & directione, quid statuam?

S. Ign. in addit. 5.

Suffr. §. 6. num. 1.

338 Planè homini, negotijs publicis, vel alijs conuenientibus districto, siue ingenio, siue literis præditus sit, *Suppetente ipsi hora vna, & dimidia, diebus singulis; exponendum primò erit*, ex S. Ignatio, *quem in finem homo creatus sit: deinde per horam dimidiam, examen particulare, deinceps generale, cum modo ritè confitendi, sumendique sancti Sacramenti, tradi ei poßunt: præscribendo etiam, vt mane per triduum, spatio vnius horæ, meditationem agat de primo, secundo, & tertio peccato*. [Videlicet, Angelorum, primorum Parentum, & mortali, ac particulari quolibet: quo vel semel commisso, fortè detrusi sunt multi ad Infernum.] *Postea, per alios tres dies, eadem hora, de processu peccatorum* [totius vitæ; consideratis videlicet locis habitationis nostræ, conuersationum modis, & officiorum, seu negotiorum, quibus functi sumus, generibus diuersis. *Per alios totidem pœnis, quæ peccatis respondent*.

S. Ign. ann. 19.

339 Qui verò apud Carmelitas, ex secularibus, exercentur: postquàm Matutinum nocte media cum alijs, vel iusta causa seorsum recitauerint, *Per horam dimidiam, orationi vacabunt*. Recedent mox ad quiescendum; *ac deinde, hora integra in Oratorio cum Fratribus orabunt*. Si non sint Sacerdotes, paulò post orationem, vna cum fratribus, vel seorsim Missæ intererunt: *Si Sacerdotes sint, oratione peracta, per dimidiam horam, se ad Sacrum faciendum comparabunt*; & si expedire videbitur, confitebuntur; *Et hora circiter dimidia, sacrum in Oratorio facient*. Sacro audito, vel facto, in cellas se recipient, & *Sacerdotes per horæ quadrantem gratias agent*. Reliquum tempus, quod vsque ad Chori signum procurrit, *In oratione, ac Lectione pia ita insument, vt otium non possit obrepere*. Ne verò nimia mentis intentio noceat, Orationem lectioni admiscere, ac dum se intùs moueri sen-

Carmel. instr. ad exerc. sp. c. 3. num. 2. 3. 4.

Ibid. num. 5.

Ibid. num. 6.

tiunt, interquieſcere, poſteáque Lectionem repetere poterunt, vt
Ibid. num.7. animus ea varietate recreetur. Signo Chori dato, ad maiorem Miſſam, vbi canetur, vel ad Horas Canonicas ante prandium recitari ſolitas conuenient; quibus, *vna cum examine conſcientiæ*, abſolu-
Ibid. num.8. tis, in cellas recedunt, ibi poſt modicum tempus pranſuri. Expleto prandio, vel ſoli, vel cum aſſignato comite, per horam circiter mediam, manebunt, ac de ſpiritualibus rebus cum comite verba fa-
Ibid. num.9. cient. His peractis, ſi velint, ſomno aliquantulum indulgere poterunt, donec ſignum Chori detur. Poſt hæc in Chorum ad Nonam, ſeu Veſperas, pro temporum diſcrimine, conueniunt; & à Nona expleta vſque ad Veſperas, vel ſi Nona ante Prandium recitata fuerit, peractis Veſperis, *Beatiſſimæ Virginis Coronam recitabunt*. Et ſi Superiori videbitur, qui in Conuentu Nouitiatus exercebuntur, exhortationi Fratrum intereſſe poterunt, ſed valde rarò, & re benè penſata, perſonæque exercentis habita ratione fiat, idque monito priùs Magiſtro Nouitiorum. Reliquum tempus, quod vſque ad
Ibid. nu. 10. veſpertinam Orationem excurrit, *Orationi, ac Lectioni*, vt ante prandium eſt præſcriptum, impendunt. Dato orationis ſigno, *per inte-*
Ibid. num.11 *gram horam orabunt*; & Completorium, ſi tempus ex more id poſtulat, perſoluent, in cellaſque redibunt; aut ſi completorium tunc recitari non debeat, in cellas abſoluta oratione ſecedent. Cœnam
Ibid. num.12 deinde, aut collationem ſument, & ſi tempus id ferat, cum Comite aliquantulùm agent; aut ſi tempus ſilentij nocturni acceſſerit, in cellas recedent, vel in Chorum ad Officium, quod tunc fortè reci-
Ibid. num.13 tabitur, conuenient. Si vltimo Chori actui interfuerint, ibi, ſin verò, in cellis ſeorſim, *Examen conſcientiæ facient; expectabuntque, orationi vel piè lectioni vacantes, ſolitum cubandi ſignum*, quod fratribus datur. Quæ tamen *omnia*, inquiunt, *iuxta Directoris prudentiam, eiuſque qui exercetur diſpoſitionem, committentur*.

DISQVISITIO SEPTIMA.

De pænitentia exteriori, & corporis caſtigatione, ex Directoris arbitrio, ac iuxta cuiuſque habitudinem, in exercitijs, adhibenda.

340 CORPORIS AFFLICTATIONES. Cùm hæ non leuiter ad ſpiritus collectionem conducant, operæ pretium erit, vt in receſſu verſantes propriæ nedum voluntati ab-

rogandæ, sed domando etiam corpori, ac mortificandis omnino sensibus, assuescant. Itaque, vtà S. Pauli primi Eremitæ Religiosis instruimur, *Meditans habeat libros spirituales, & accingat se ad orationes vocales, iaculatorias, disciplinas, aliasque mortificationes, humiliationes, & prostrationes in terra*. Sed vt praxin, modumque, his in rebus, ab alijs propositum, ostendamus; Carmelitæ Discalceati etiam seculares homines sic instituunt: *Excepta infirmitatis, vel alia eiusmodi causa, diebus illis, quos exercitijs destinauerint; semper ieiunabunt*. Habebitur tamen ratio spiritualium exercitiorum: nam si caput debilitate laboret, poterit vespertina refectio, quoad quantitatem, augeri: aut si expedierit, ad confirmandas vires, ieiunium solui. Tum illi addunt: *Ter saltem in hebdomada* (iuxta communem ipsorum disciplinam) *se verberabunt, per aliquod breue spatium. Cilicio quotidie vel alternis diebus vtentur*. Expensis tamen viribus, citiùs, breuiùs, aut longiùs, latiùsque Cilicium permittetur. *Poterit etiam Cathenula ferrea, qua Fratres vti consuescunt, eis Cilicij vice permitti, prout ei, à quo reguntur, videbitur expedire. Victus sit paruus, vt non modò frugalitas, sed abstinentia colatur: somnus item sit moderatus, vt plus temporis, paucis ijs exercitiorum diebus, diuinis rebus tribuatur*. Sunt alij quoque actus parum laboriosi, & ad excitandum affectum appositi, vt *prostratio, genuflexio, extensio brachiorum in crucis modum*, & alij apud eos vsitati; quorum certum aliquem numerum in dies singulos, ijs qui exercebuntur, iniungere, salubre consilium erit. Hæc, vt dixi pro exercendis secularibus; pro suis autem Religiosis, hæc statuunt: *Externæ austeritates, pænitentiæque cupientibus exerceri pernecessariæ sunt. Quapropter, toto Exercitiorum tempore, tametsi iuxta regulam tunc alioquì non tenerentur, eos tamen, exceptis Dominicis, consentaneum est ieiunare; diebus etiam, quibus cæteri in commune non verberantur, sibi disciplinam infligere; aliosque pænitentiæ, & mortificationis actus implere; Fratres quoque frequentiùs, & nonnunquam quotidie communicare. Sed nihil horum nisi ductu Superioris, vel Directoris, cui à Superiore committitur, exequantur*. Verùm, hæc omnia, ex S. Ignatij documento, iterum ac clariùs expendamus.

Rel.S.P.côst. p.1. cap. 11. nu.3. fol.19.

Carm. instr. ad exerc. c. 4.nu.2.

Ibid. num.3.

Ibid. num.4.

Ibid. num.5.

Ibid. num.6.

Ibid. num.7.

Carm. inst. cap.7.nu.13.

S. Ign. in add. 10.

341 Planè, exterior hæc corporis castigatio, tribus potissimùm modis, assumi potest. Primò, circa victum, subtractis quibusdam non superfluis solùm (quod temperantiæ est, non pœnitentiæ) sed etiam conuenientibus alimentis: & eò fit meliùs, quò plùs subtrahitur, vitata interim naturæ corruptione, aut debilitate graui, seu infirmitate. Secundò, circa somni, & strati modum, sublatis non mollibus tantùm, aut deliciosis rebus, sed alijs etiam opportunis,

quantum licet, citra vitæ aut valetudinis graue periculum: quapropter, de ſomno neceſſario nihil demendum eſt, niſi aliquantiſper, ad conſuetudinem (ſi cui eſt nimij ſomni) moderandam. Tertiò, circa ipſam carnem, vt inflictum ſentiat dolorem, admotis, geſtatiſque cilicijs, funibus, aut vectibus ferreis, vel incuſſis verberibus ac plagis, vel alijs auſteritatis generibus aſſumptis: in quibus tamen omnibus, magis expedire videtur, vt doloris ſenſus in carne tantùm ſit, nec penetret oſſa, cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potiſſimùm vtemur, ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, vt valetudinem aduerſam cauſare poſſint. Notandum eſt tamen, quod pœnitentiæ exterioris triplex eſt vſus, ſeu effectus: nimirùm, vt pro delictis præteritis nonnihil ſatisfiat: vt vincat ſe ipſum homo, inferiorem ſui partem, quæ ſenſualitas appellatur, ſuperiori, hoc eſt rationi, magis ſubijciens: vt poſtremò quæramus, atque impetremus aliquod gratiæ diuinæ donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem de peccatis, & abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas & dolores Paſſionis Chriſti, aut dubij alicuius, quod nos angit, reſolutionem. Deindè notandum, quòd quando is, qui exercitatur, affectum quæſitum non conſequitur, vt dolorem, vel conſolationem; mutare ſubindè expedit rationem victus, ſomnique, & alia genera pœnitentiæ; ita vt pœnitentiam vnam per triduum ſectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, pro vt diuerſis plus aut minùs pœnitentiæ eſt ſumendum. Præterea, cùm pœnitentias huiuſmodi ſæpè omittamus, ob affectum carnis, aut erroneum iudicium, quaſi naturalis noſtra complexio ferre illas non poſſit, citra ingens valetudinis detrimentum; & è contrario, iuſtum nonnunquam modum pœnitentiæ excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, vt dictum eſt, pœnitentiæ generibus, ac per vices ſumptis, & relictis, euenit plerunque, vt clementiſſimus Dominus, qui naturam noſtram perfectiſſimè cognoſcit, vnicuique id compertum reddat, quod ipſi expedit.

342 Sed quia hæc ſatisfactio, & pœnitentia, vt dicitur, in cibi ac potus præſertim abſtinentia, & diminutione, conſiſtit; ideò, ad victum rectè temperandum, hæ Regulæ (ex S. Ignatio) habentur. Prima eſt, quòd à pane minùs abſtinendum ſit, quàm à reliquis alimentis, cùm neque gulam adeò irritet, nec tentationi æquè obnoxios nos reddat. Secunda, quòd circa potum attendenda ſit magis abſtinentia, quàm circa panem; cautè obſeruando, quæ proſit menſura potus, vt ſumatur ſemper; quæ rurſum noceat, vt tollatur. Ter-

S. Ign. in fine 3. hebd.

tia, quòd circa pulmenta, & edulia potiſſimum abſtinentiæ ratio verſetur, cùm per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, maior ſubminiſtretur occaſio. Temperanda ſunt igitur, vitandi exceſſus cauſa, quod fit dupliciter, dum vel cibis groſſioribus veſcimur, atque aſſueſcimus, vel dum parcè delicatis vtimur. Quarta eſt, quòd quantò plus de conueniente victu ſibi quis ademerit (vitato interim valetudinis aduerſæ graui periculo) tantò celeriùs menſuram cibi ac potus iuſtam reperiet: tum quia, hoc modo, meliùs ſe diſponens, & obnixiùs tendens ad perfectionem, ſentiet interdum quoſdam cognitionis internæ radios, & conſolatorios motus, ſibi cœlitùs immiſſos, ex quibus facilè poterit rationem victus commodiorem diſcernere: tum quoniam, ſi quis, ita abſtinendo, ſe deprehenderit viribus imbecilliorem eſſe, quàm vt exercitia ipſa ſpiritualia peragere commodè valeat, ſic facilè aduertet, quam menſuram victus naturæ neceſſitas requirat. Quinta, quòd expedit inter comedendum imaginari, quaſi videamus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum veſcentem cum ſuis Diſcipulis, obſeruando, quem teneat edendi, bibendi, reſpiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo. Vſu veniet enim, vt occupato magis intellectu, circa meditationem talem, quàm circa corporalem cibum, diſcamus faciliùs victum moderari. Sexta, quòd gratia varietatis, aliæ adhiberi poſſunt meditationes, inter veſcendum, vt ſunt, de Sanctorum vita, de pia quapiam doctrina, vel de aliquo ſpirituali negotio agendo, vnde, ſic abſtracta mente, cibus ipſe, & veſcendi delectatio, parum ſentietur. Septima, quòd cauendum ſit præcipuè, ne ſuper ſumendos cibos animus quodammodò totus effundatur, & ne auidè veſcamur, aut feſtinè: ſed appetitui ſemper dominantes, tum menſuram victus, tum ſumendi modum vnà temperemus. Octaua eſt, quòd plurimùm conducit, ad tollendam cibi potuſque immoderantiam, ſi ante prandium, aut cœnam, & quacunque hora nulla eſuries ſentitur, præuia deliberatione, victum proximè ſumendum definiamus ad menſuram certam, quam deinde nulla vel propria auiditate, vel inſtigatione inimici, vnquam excedamus: ſed potiùs vincendæ vtriuſque cauſa, de illa nonnihil etiam ſubducamus. Demum, vt Carmelitarum verbis hanc inſtructionem concludam; *Quia* (omnia, quæ hactenùs recenſuimus) *ijs, qui mortificationem Chriſti non dum didicerunt, difficilia videntur, ita temperanda ſunt, vt à melioribus bonis, hoc eſt, animi correptione, futurique progreſſus propoſito, teneros milites non deterreant: proptereaq; is, qui exercitijs præerit, ea pro perſonarum, circumſtantiarumque ratione, lenire debibit.* *Carm. Diſc. inſtr. ad exſpir. cap. 4. n. 8. fol. 53.*

DISQVISITIO OCTAVA.

Cur vlla Corporporis afflictatio, sine Directoris, aut Superioris nutu, & concessu, non liceat?

343 SIGNABIT. Planè, ad quodlibet supererogationis opus, quod Religiosus quispiam obire velit, aut Directoris facultas omninò requiritur, aut Antistitis, qui domui, vel cœnobio præest. Aliter enim, verè clamat S.Bernardus: *Vereor ne & inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera Sponsus: eò quòd non redoleant lilia. Etenim, si in die ieiunij mei inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium eligit Sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruatione Monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, id ipsum sentio. Minimè prorsus obseruantias illas, & si bonas in se, tamen inter lilia, idest, inter virtutes censuerim deputandas. Sed audiet à Propheta, qui eiusmodi est. Numquid tale est obsequium, quod elegi, dicit Dominus? Et addit: In die bonorum tuorum, inueniuntur voluntates tuæ.* Proposuit eandem hanc quæstionem, seu interrogationem S.Basilius: *Nunquid in fratrum familia permitti alicui debeat, vt plusquam cæteri ieiunet, vigiletur, ex proprio ipsius voluntatis arbitrio?* Tum respondet: *Quicquid quisque ex propriæ voluntatis arbitrio facit, id cùm facientis proprium sit, alienum est à cultu pietatis: metuendumque est, ne de eo, quod videtur facere, ipsi dicatur à Domino: Ad te conuersio eius, & tu dominaberis ei.* Porrò, qui spernit in hoc consilium Instructoris, &, vt cum S.Bernardo dicam, *Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit*. Stultus hic Magister, propria hominis præsumptio est. Sic S. Hieronymus; *Bonum*, inquit, *est obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas Scripturarum, vitæ suæ tramitem ab alijs discere, nec præceptore vti pessimo, scilicet, præsumptione sua.* S.Benedictus, præsumptioni, vanæ gloriæ malum, & præmij amissionem adiunxit: *Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda sunt.* Sed Ioannes Gerson malè ijs omnino ominatur, qui contemptis seniorum consilijs, in hoc ipso rerum genere, suo arbitratu ducuntur: *At verò*, inquit, *sunt alij, quibus placet propria sententia duci, & ambulant in adinuentionibus suis. Ducit eos periculosissimus rector, & veriùs impellit propria opinio:*

S. Bern. Ser. 71. in Cant.

Isa. 58.

S. Bas. Reg. breu. 158.

Genes. 3.

S. Bern. ep. 87.

S. Hier. ep. 22.

Gers. t. 1. tr. de dist. vision. §. secūdum signum.

ieiunijs supra modum se macerant, protendunt vigilias, lacrymis plusquam oportet cerebrum turbant, & extenuant. Et inter hæc, nullis credunt monitis, consilio neminis acquiescunt, vt temperantiùs se habeant. Doctores præterea, & in lege peritos audire, seu consulere, non curant, & consultos spernunt. Nimirùm, quia magnum iam aliquid esse persuaserunt sibi ipsis; & quid eos agere conueniat, plus omnibus sapere arbitrantur. De talibus pronuncio, quia citò prolabuntur in omnem Dæmonum illusionem, citò impingunt in lapidem offensionis, quia cæca præcipitatione, & nimia velocitate rapiuntur. Ergo, ne dum in recessu, sed in omni ferè vita, corporis austeritates, ex ipso etiam Superioris concessu, obire debemus. Quamobrem, cùm incrementum aliquod pietatis S. Benedictus, Quadragesimæ tempore, à suis suscipi vellet; *Hoc ipsum*, inquit, *quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate.* Quod S. Hildegardis sic explicat: *Nullus itaque Fratrum regularem, aut communem cibum, & potum, in Conuentu Fratrum suorum, sibi regulariter, & communiter appositum, deuitare debet ex integro, nisi Abbatis sui permissione.* Et hæc vera Religiosi hominis obedientia est, si ab Superioris nutu sic pendeat, vt vllis corporis asperitatibus, sine ipsius primùm consilio, non vtatur. Ita magnus Basilius; *Vera*, inquit, *perfectaque subiectorum aduersus Moderatorem Ordinis obedientia in eo cernitur; si quis ex eius consilio non à rebus modò flagitiosis abstineat, sed sine ea quidem, quæ laudabiliora sunt, sine eius sententia faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpessio, vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt: at si quis propriæ obsequens voluntati, spretis consilijs Antistitis sui, id facere voluerit, quicquid ipsi collibitum sit, hic plus erit, quod faciat mali, quàm quod boni.*

S. Ben. Reg. 49.

S. Hild. in Reg. explic.

S. Bas. ser. 2. de Inst. Monac.

344 Sed dices: si ad supererogationis opera peto Instructoris, aut Præpositi facultatem, vanæ alicuius gloriolæ periculum timeo: mihi enim tentator facillimè suggeret propriam complacentiam, & quòd à Superiore inter perfectos, & veluti maioris profectus studiosus habebor. Fr. Thomas à Iesu in Epilogo Reg. Carmelitarum dub. 2. respòndet: Omnnia in hac mortali vita plena esse laqueis, & periculis. Quare illud eligendum est, quod minori periculo subest. Minus autem periculum est vanæ gloriæ, quàm proprij iudicij & voluntatis. Nam per hoc ad innumera alia aditus patefit. Quare eligendum est magis, omnia cum obedientia agere, etiamsi alicui vanæ gloriæ periculo exponamur, quàm ex propria voluntate, & iudicio, bonum quodcunque operari: quia hoc, vt ex dictis constat, periculosissimum est: periculum verò vanæ gloriæ paulatim obedientiæ merito extinguitur. Nec timendum est, ex eodem, quòd

Prælati nostrum desiderium, & profectum impediant. Nam si hoc ad gloriam Dei tendit, & ipsi Deo gratum existit, Deus Prælati cor facilè inclinabit, vt facultatem ad tale desiderium exequendum tribuat, & sanctis in hac re subditorum intentionibus faueat, vt ex Sacra Scriptura fecisse accepimus, cùm S.Daniel simul cum socijs suis abstinentiam seruare voluit: quia cùm rogasset tunc Principem Eunuchorum, vt sibi ad hoc facultatem tribueret, ait sacer Textus: *Dedit autem Deus* Danieli *gratiam, & misericordiam, in conspectu Principis Eunuchorum.*

345 Ne ergo miremur, si eos olim prisci Patres seuerissimè corripuerint; qui, propria sibi ipsis auctoritate, abstinentias aliquas indixissent. Nam S. Romualdus noluit orari pro Gaudentio Monacho, iam defuncto, quòd contra eius licentiam cunctis pulmentis dimissis, pane & aqua cum pomis, siue crudis oleribus, in cœnobio, victitauerat. Tametsi postea, cùm ex quadam visione cognouisset, eum in alia vita mœstum esse (quòd, ea fortè de caussa, detineretur in Purgatorio) iussit, vt socij pro illo precibus enixiùs institissent. B.Albinus, siue Alchuuinus reprehendit Raganardum discipulum, *Qui tentauit se nimijs uigilijs, & abstinentiæ nimia superfluitate, ignorantibus omnibus, affligere, ita ut pro hac intemperantia grauissimæ succumberet febri.* Et ita eum visitans, remotis arbitris, ipsi dixit hæc verba: *Cur sine cuiusquam consilio tam intemperanter agere tentasti? Nam ego considerans, te velle hoc agere, in domo in qua dormio, te quoque dormire iussi. Tu uerò statim ac omnes dormire noueras, candelam latenter accendens in laterna celabas, & ad locum illum pergens, tota nocte uigilabas.* Vini etiam abstinentiam illi exprobrat, & obiurgationem concludens, ait: *Voluisti nos deludere, & deceptus es. Caue ergo ista, postquam surrexeris de febre, ne tale aliquid indiscretè unquam coneris agere.* Similiter Goffridus Vindocinensis Abbas Roberto Monacho iubet, vt quod propria voluntate susceperat intermittat: *Abstinentia*, inquit, *quam facis, scilicet quòd tribus diebus tantummodò in hebdomada reficis, satis laudabilis esset, si quo modo uideretur regularis. Regula nanque, quam te obseruaturum coram Deo & Sanctis eius promisisti, præcipit, quòd si quis Fratrum aliquid Deo offerre uoluerit, illud priùs Abbati suo ostendat, ut eius uoluntate, & consilio fiat: si autem aliter fecerit, præsumptioni deputabitur, & non mercedi. Tu uerò sine uoluntate nostra hanc abstinentiam arripuisti. Vnde timeo, ne uanitati potiùs deputetur, quàm saluti. Te igitur, Frater, admoneo, ut quod uoluntate propria præsumpsisti, uoluntate nostra, & consilio deseras, &, non ueni facere uoluntatem, cum Domino, dicas.* Quisquis ergo, hactenùs, non Antistiti, aut In-

S.P. Dam. in Vita S.Rom. c. 57.

Anony. in Vita S. Alch. ante eius opera.

Goffr. l. 4. ep. 28.

Cap. 49.

ſtructori, ſed propriæ ſui ipſius voluntati paruerit, at deinceps è noſtris venerabiles Viros, Iacobum de Stephano, & Franciſcum Olimpium, imitetur; qui ſic ab aliorum nutu pendebant, vt, quanquam ſæpiùs ipſi pane ac frigida victitarent, rogati nonnunquam, vt piſcem, aut carnem ederent, etiam ſpinas, & oſſa, ſatiùs obediendi cauſa ferè comederint. Sic B. Ioannes de Monte mirabili, Regia Francorum ſtirpe ortus, vt Ciſtercienſem Ordinem iniјt, abſtinentiæ admodùm deditus erat. Sed cùm Abbatem quidam monerent, quòd ſeueriùs ſe quàm par erat affligeret; iuſſit Abbas, vt tantum panis comederet, quantum poſſet: quod & fecit Ioannes, ita vt nullæ prorſus reliquiæ ſupereſſent. Sed cùm iterùm relatum eſſet Abbati, quòd pulmenta non tangeret; Abbas ei non modicum piſcem iuſſit apponi, vt integrum ederet: & ſtatim ille morem gerens, etiam piſcis oſſa, non ſine magno cruciatu, comedit. *Menar. l. 2. obſer. var. 29. Septemb.*

DISQVISITIO NONA.

An liceat, in Receſſu, pium aliquod Opuſculum lucubrare?

346 SPIRITVALES LIBROS. Eſto, inquis, plures ego diei horas, dum mecum in ſolitudine verſor, orando, vel excutienda conſcientia, inſumam: at tempore quod ſupereſt, poſſumne, ad meam ac aliorum vtilitatem, aliquod ſacris literis ſpatium indulgere, vel pium ſaltem aliquem libellum componere? Planè, quod ſciam, noſtri Ordinis Conditores, vt Panuinius, ac cæteri laudant, vitarunt nonnunquam hominum frequentiam, vt tam in cultu Diuini Numinis, quàm in ſacris ſe ſe literis exercerent. Et habeo, vt fatear, apud me, Michaelis Ghislerij, è noſtris, eruditiſſimi, ac magni nominis viri, meditationes, ac monita, quæ, pro ſanctiori vita inſtituenda, in Receſſu, ſibi olim Romæ digeſſerat, vt ad mortem opportunè ſe compararet. Sic Laurentius Scupolus illum aureum libellum *Pugna ſpiritualis* inſcriptum (de quo nos Apologiam in lucem edidimus) ſequeſtratus ab omnium conuictu perſcripſit. Vincentius Gilibertus, dimiſſa totius Ordinis Præfectura, cùm ad Vici Equenſis remotum ab Vrbe domicilum ſeceſſiſſet, ſpiritualibus ſubindè Exercitijs occupatus, vt ipſe lectori narrat, inſigne quoddam opuculum lucubrauit; & Aloyſius Nouarinus, cuius inſignem pietatem ac ſapientiam, tum erga me ſtudium & amorem, grata animi reuerentia, proſequor, ipſas *Decem Solitudines*, hoc eſt, ſacras Me-

Vide hæc de re tom. 1. lib. 6. diſq. 4. fol. 264.

Vide meos ſermones de S. Caiet. ſer. 12. fol. 421.

ditationes pro ijs, qui in Recessu exerceri cupiunt, dum in solitudine esset, ipso vsu didicit ac perscripsit. Quem tamen Patrum nostrorum morem, vt Hieronymum, & alios Sanctos Patres omittam, qui multa, & grandia volumina, in speluncas abditi lucubrarunt, etiam apud exteros, & nuperos Scriptores obseruo. Nam Ludouicus Granatensis, magnus ille spiritualium rerum Magister, non tam calamo, quàm oratione, & in chrypta, sua Opera elaborabat. Sic Robertus Cardinalis Bellarminus, malleus sanè hæreticorum, in Epistola ad Cardinalem Aldobrandinum, hæc ait: *Superiori mense Septembri, Libellum de Ascensione mentis in Deum, per scalas rerum creatarum, vt potui, Domino adiuuante confeci. Eum enim mensem ad vacandum Deo, semotis alijs curis, cum bona sanctissimi Patris ac* D.N. *venia, mihi ipse delegeram*. Et ante S. Francisci Assisiatis opuscula, alius quidam ex S.R.E. Cardinalibus ita loquitur: *Cùm primùm ex Hispania in sacram Vrbem, longo itinere fessus reuertissem, desiderabam, in locum aliquem delitiosum, & solitarium diuertere, quò & corporis laborem, & oppressi animi curas paulisper relaxarem; ita tamen, vt mihi ipsi non omninò otiosus vacarem; sed, vt soleo, sacræ Scripturæ, Sanctorum, & Philosophorum libris, solitudini condimentum, & otio salem adhiberem*. Hæc ille.

Bellar. ep. dedic. lib. de Ascensu ment. in Deum.

Card. de Treio in ep. ad Luc. Vrad.

347 Verùm, mea est sententia, vt hos, pluresque alios, æquè doctissimos, ac pijssimos viros, quos ne longum faciam non attexo; quicunque vitæ suæ rationes ordinat, in hoc Recessu, non imitetur, nisi ad ipsorum perfectionem ac merita iam euaserit. Plerunque enim ij, quos adduxi, ea erant integritate, ac innocentia præditi, & eo in Deum amore, ac studio ferebantur, vt purganda plurimùm conscientia & mente non indigerent, & siue scribendo, siue legendo, calerent potiùs, quàm tepescerent. Sed qui, mecum, colligendo ad Deum animo, & extergendis seriò coscientiæ sordibus, opus habent; si quid expoliant, aut componant, mentem non colligunt, sed dispergunt; & spirituales vires, quæ sursum ad Deum euehunt, ipsi sensim amittunt: nam vsu euenit, vt omnes studio exhauriantur. Quamobrem, Ludouicus de Palma Solitarium admonet, vt *Præscindat filum omnium occupationum exteriorum, & maximè earum, quibus se libenter, & cum gustu detinere solet, quanuis eæ laudabiles & bonæ essent, vt studium*. Nam solitæ illæ & notæ occupationes animæ sensim, vt dixi, & sine sensu vires exsugunt, & suffurantur omnem attentionem. Imò Fuliensium Praxis instruit Directorem, versantibus in Recessu, *Nè concedat: vt Meditationes exscribant, aut summatim colligant, vel vt apud se habeant* (in cubiculo) *atramentarium*. Hæc

Pal. in Prax. Exerc. sub die 1.

Sanc. in Off. Direct.

Sancius. Et interdici calamum quandoque Nouitijs, ac professis iunioribus, laudo. Verùm vt legere, ita scribere aliquid, præsertim ex Directoris arbitrio, ac venia, non est, vt ego arbitror, improbandum: & quid vtraque in re liceat, ex aliorum sententia, nunc expendam.

DISQVISITIO DECIMA.

An saltem legere expediat: & qui nam libri, inter spiritualia Exercitia, legi possunt?

348 APTIORES ELIGET. Claudius Aquiuiuus de Solitario, & Exercitijs spiritualibus occupato, decernit, *Non deberê eum legere, nisi scripta, quæ ei* (ab Instructore) *traduntur, nec libros habere in cubiculo, vt occasio legendi præcidatur, præter Breuiarium.* Si tamen Instructori videbitur; *Posset*, ait, *in prima hebdomada legere librum Gersonis de Imitatione Christi, in secunda aliquid ex Euangelijs, & Sanctorum vitis.* Sed nos Euangelia in singulis hebdomadis exhibemus. Non tamen expedit, vt in Euangelijs legat, nisi illud mysterium, quod est meditaturus eadem hora, vel die. Verùm, si post factam Meditationem, tædio affici videretur, ac potiùs tempus perdere; *Posset*, ait, *addi aliquis alius liber, vt prima hebdomada Dionysius Cartusianus de quatuor Nouissimis, Confessiones S. Augustini, aut similes; hoc aduertendo, vt non solùm boni, & vtiles sint, verùm etiam apti, & opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in Exercitijs quæritur.* Sed plures assignat Codices Praxis Clericorum Minorum; quæ tres Solitario Exercitationes proponens, primam vocat doloris, & compunctionis; & *Libri*, inquit, *huic tempori accommodati solùm erunt Confessiones* D. *Augustini, Dionysius Cartusianus de enormitate peccati, & de quatuor Nouissimis, & ij qui de mortificatione nostrarum passionum tractant.* Et addit: *Porrò Bibliam sacram, Cassianum, Dydacum Stellam de Contemptu Mundi, & Gersonem de Imitatione Christi semper legere poterit.* In secunda exercitatione illuminationis, & reformationis, *Libri proprij*, inquit, *erunt SS. Patrum Homiliæ, piorum Autorum Meditationes, & Tractatus in Euangelia, neque omnia promiscuè, sed ea tantùm, quæ ad quotidianas Meditationes spectant.* Et subdit: *Legat etiam Auctores, qui tractant de Beneficio Redemptionis, & de acquirendis virtutibus, aut de mortificatione passionum, aliosque communes,* de quibus est dictum. In tertia autem exercita-

Claud. in Direct. c. 3. n. 2.

Ibid. num. 4.

Flum. in Direct. Orat. Mental. fol. 58.

Ibid. fol. 95.

Ibid.fol.408. tione gaudij, & exultationis, *Libri*, ait, *huius temporis erunt Soliloquia, & Meditationes D. Auguſtini, & aliorum Sanctorum, piorumque Auctorum, qui haberi poterunt. Tractatus quoque cæleſtis felicitatis, Beneficiorum* Dei, *contemptus inferiorum, & alij communes, de quibus in prima Exercitatione.*

349 Verùm, vt non eſt operæ pretium, pro Meditatione, præparare ſe lectione librorum, in quibus ſunt poſita non tam puncta Meditationum, quàm ipſæ Meditationes extenſæ, continentes illos affectus expreſſos, qui decurſu Meditationum, ab ipſo meditante inueniri, & excogitari, & elici debent, vti & propoſita particularia, ex his affectibus orta; ſic tamen *Seculares*, ex Lancicio, *in vſu Meditationum non exercitati, & Religioſi infirmi, vel debiles, ob capitis indiſpoſitionem, diſcurrere nō valentes, poſſunt ſe iuuare lectione, lenta valde, talium librorum, & in ea illos pios affectus elicere.* Et ita ſancta Teresia, cùm nondum acquiſiuiſſet orandi, & meditandi proprio diſcurſu, & Diuino lumine modum, legendo quendam ſpiritualem librum, eo ſe excitabat, ad illos quos legebat pios affectus, quos deinde edocta, & mota diuinitùs, per ſe ipſam, ſine lectione illius, inueniebat, & eliciebat. Ideò Fulienſium ſolitudinem, quam Sancius Generalis elucubrauit, & nonnemo è noſtris *Paradiſi opuſculum* dixit (vbi fusè meditationes, affectus, ac deliberationes habentur) plurimùm commendamus, putamuſque digniſſimam, quæ omnium Religioſorum vſui pluries excudatur. Quanuis illæ *Decem Solitudines*, ab Aloyſio Nouarino, viro è noſtris ſapientiſſimo, ac ſanctimonia inſigni, editæ, piorum hominum laude plurimùm commendantur. Debeo tamen hìc, ex Clericis Minoribus, hoc aduertere: *In ſingulis Meditationibus, varia puncta, & copioſa Meditationis materia proponitur, non vt ea tunc omnia excurrantur: hoc enim ſecundùm praxim, & inſtructionem meditandi, fieri non poteſt. Sed vnuſquiſque id ſumat, quod ſibi magis expediet ad proprium profectum: & eo quod remanet, ſola ſit lectione contentus. Et id ipſum dictum ſit de affectibus in ſingulis Meditationibus poſitis. Quod verò ſupereſt, conſideratè, & paulatim legat, & eis aſpiret, eodem die, extra tempus orationis.*

Nic. Lancic. to. 1. opuſc. 6 num. 264.

Io. Bapt. Dec. in Armam. ſpir. p. 3. c. 1. fol. 146.

Flum. in Direct. Or. Mēt. inſtr. num. 14 fol. 52.

DISQVISITIO VNDECIMA.

Quomodò spiritualis hæc Lectio, vt proficiat, vsurpanda.

350 IPSORVM PROFECTVI. Quoniam, vt M. Tullius ait, *In omnibus negotijs, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens*: hæc lectio primùm paranda est, *Fortuita enim, & varia lectio, & casu quasi reperta, non ædificat*, ex S.Bernardo. Quisquis ergo, in recessu, optas hac lectione proficere, *Noli eos imitari* (Dacriani Abbatis sunt verba) *qui nullum legendi ordinem seruant; sed quod fortè occurrerit, quodque casu repererint, legere gaudent; quibus nihil sapit, nisi quod nouum est, & inauditum. Consueta enim, & vetera omnia, quantumlibet vtilia fastidiunt. Tanta instabilitas procul à te sit: ipsa enim non promouet, sed dispergit spiritum: & periculosè laborat, qui hoc morbo vitiatus est.* Sola ergo præuisa, consilio delecta, prædefinita, & certa lectio proderit.

Cic. l. 1. Off.
S.Bern.l.de Vita solit.
Dacr. in Spec. Monac.

351 Deindè, præparandus est animus, ac breui precatiuncula erigendus, & accendendus in Deum. Sic Marcus Eremita; *Inuoca*, inquit, *Dominum, vt aperiat oculos cordis tui, & videas, ac re ipsa intelligas vtilitatem orationis, & lectionis.* Verba huius precationis ex S.Ephræmo sic habes: *Cùm autem te ad sedendum, ac legendum, vel etiam ad alium legentem audiendum paras, Deum cum primis ora, dicens: Domine Iesu Christe, aperi aures, & oculos cordis mei, ad audiendum, & intelligendum sermonem tuum, faciendamque voluntatem tuam Domine, &c.* Breuis tamen sit hæc oratio, acuta, & pleno affectu referta. Ideóque dic cum Dauide: *Audiam, quid loquatur in me Dominus meus.* Vel cum puero Samuele, quem Heli Sacerdos instruxit: *Loquere, Domine, quia audit seruus tuus.* Verùm, hæc omnia parum iuuant, si animi puritatem non habeas. *Ad scripturarum indaginem, verumque intellectum, opus est* (inquit S.Athanasius) *vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundùm Christum est.* Et iterum: *Sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba.* Tum optimã ipse similitudinem, ac rationem adiungit: *Quemadmodum, si quis intueri uelit solis iubar, oculos planè detergit, atque in splendorem redigit; quantum potest ad eius similitudinem, cuius conspiciendi desiderio tenetur, se se purificans, vt ita oculus iam lumen redditus, lumen Solis contempletur.* Quod Auctor imperfecti operis in Matthæum, expendens illud, *Erratis nescientes Scripturas*; sic astruit: *Qui, legens de Deo, vult inuenire Deum, festinet viuere Deo dignè; & ipsa conuersatio eius bona sit, quasi lam-*

Marc. Er. in c. de Lege spir. num. 5.
S.Ephr. to. 1. ser. de pat. & consum. seculi.
Psal. 84.9.
1. Reg. 3.9. 10.
S.Ath. l. de Incar. Verbi.
Imper. in Matth. hom. 42.
Matth. 22. 29.

padis lumen ante oculos cordis eius, viam aperiens Veritatis. Hoc planè sentiens Cyprianus, vt Pontius eius Diaconus narrat, *Inter fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quàm si continentiam tueretur. Tunc enim posse idoneum fieri pectus, & sensum ad plenam ueri capacitatem peruenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ vigore calcaret.* Adde, quòd vt Theodoretus obseruat, sapienter, ac verè dixerat Plato: *Nefas ab eo, purum contrectari, qui purus non sit.*

Pont. in Vita S. Cypr.

Theod. l. 1. de cur. aff. Græc.

352 Tertiò, præter puritatem, in animo, Diuini Verbi sitis, ac esuries, vel, vt alij dicunt, alacritas excitanda, quæ à studio sacræ huius lectionis acediam, ac Dæmonem pellat; de quo S. Ephræmus, in illud Dauidis, *Beati qui scrutantur testimonia eius*, hæc ait: *Vide, ne te interrumpat inimicus, cùm volueris legere, tædium tibi afferens, teque in mentis distractionem conjiciens, ac dicens: Fac primùm rem istam, quoniam & exigua est, sicque postmodùm securior leges. Quando enim suggerit einsmodi, simul inducit te ad opus manuum promptè peragendum: hæc autem omnia suggerit, vt te ab occupatione abducat, & impediat.* Et rursus; *Tu ergo*, inquit, *ne parueris ei, sed esto quasi ceruus sitiens, desideransque adire fontes aquarum, idest sacras Scripturas; vt ex ijs bibas, refrigeresque sitim tuam, varijs te morbis adurentem.* Cùm itaque lectionem fastidias, noueris te, vti diximus, à Diabolo illusum, ac graui insuper ægritudine laborantem. Audi eundem Ephræmum: *Quando te à lectione rerum spiritualium abhorrere videris, admonitionesque spirituales fastidire, tunc animam tuam in grauem incidisse morbum noueris.*

Psal. 118. 2.
S. Ephr. loc. cit.

Idem consid. de Vita spir. num. 94.

353 Quartò, præter puritatem ac sitim, etiam compunctionem optarim. *Tunc* enim, ex Trithemio, *sacræ lectionis vberem comprehendes scientiam, si mundum custodieris cor tuum ab omni peccato; & feruens in Dei amore sanctam compunctus iugiter reuolueris Scripturam.* Clariùs Gerhardus Zutphaniensis, deuotus ac pius Autor: *Igitur, timore perculsus, & compunctione depressus, affectu quoque, & desiderio ascendendi inflammatus, lectionem tibi arripe ad tuum profectum, ita videlicet, vt te semper ad ascendendum admoneat, ad proficiendum hortetur, vt, quicquid legis, ad ascensum puritatis, & charitatis tibi proficiat, uel uiam ascensus per sancta opera & exercitia ostendendo, vel affectum tuum ad ascendendum inflammando, timorem incutiendo, vel per spem subleuando.* Et iterum; *Initium cùm volueris legere*, inquit, *sit timor Domini: videlicet timor intentionem, & affectum tuum reguler, vt nonnisi profectum quæras spiritualem ad cordis puritatem, & non quæras scientiam uerborum, sed fletum compunctionis inquiras.*

Trith. ho. 4.

Gerhar. l. de Ascens. c. 44

354 Quintò, si tibi Director vnum, aut alterum libellum præscripsit, vel si præscriptione vteris, quam superiùs edidi, tu non plures simul, sed elige tibi aptiorem, ac ipsum lege. Varia enim lectio, vt dixeram ex S.Bernardo, ac S.Bonauentura rescripsit: *Non ædificat, sed reddit animam instabilem*. Audi L.Senecam: *Lectio certa prodest; varia delectat*. Et apta vsus similitudine; *Qui*, inquit, *quò destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas uagetur. Non ire istud, sed errare est*. Et in epistola 2. *Nihil*, ait, *æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non uenit uulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpe trasfertur: nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo*. Eandem iteragentis, ac medicamentorum similitudinem, in rem nostram, habet S.Bernardus lib. de Vita solitaria. Sed apud Lipsium, Aristippus hanc edidit: *Sicut non ij, qui plurimum comedunt, aut exercentur, meliùs ualent ijs, qui modica & necessaria sumunt; ita nec qui multa, sed qui utilia legunt, discuntque, studiosi, & eruditi sunt*. Itaque, vt Abbas Dacrianus suadet: *Animum ad certam lectionem prudenter constringere, & in ea immorari consuesce: etiamsi aliquando minùs sapiat*. Porrò, immorari, ex Dionisio Cartusiano sic explicem: *Non uaria percurrendo, & folia reuoluendo, aut solùm notitiam uel temporis deductionem, seu speculatiuam & superficialem delectationem quærendo*. Vel ex Societatis Iesu Directorio, qui sic habet: *Non legendo cursim, auiditate sciendi, & uidendi noua; sed immorando, & perpendendo accuratè ea, quæ legis & intrando in eosdem affectus*. S.Ephræmus eiusdem rei frequentem repetitionem, cum animi attentione, suadet: *Cùm autem leges*, inquit, *intentissimè lege, atque diligenter, cum multa constantia, uersum bisterue ponderans, & penetrans sensum; neque studens libri folia euoluere; uerùm, ut dixi, bis terque ac sæpius eundem repete uersum; ut ipsius intelligentiam consequaris*. Ita de Siluania, sanctissima femina, Palladius refert: *Non leuiter, nec temerè hæc percurrebat, sed elaboratè septies, uel octies unumquenquem librum perlegens, ut horum uerborum gratia, in altum erigeretur, spe bona se ipsam auem efficiens spiritalem*. Et hoc, spiritualem cibum est mandere, ruminare, & concoquere; vt, quam Seneca optat, optima nutritio fiat. Siue, ex B. Petro Damiani, vt *His dapibus inhians fidelis anima, assiduæ lectionis alimento uegetata, robur accipiat, & purissimæ orationis adipe saginata pinguescat*. Nam paulò post, inquit: *Hoc pabulum sacra animalia per assiduæ retractationis studium iugiter ruminent: illud nimirum à uentre scientiæ ad memoriæ guttur sæpius iterata meditatione reducendo*. Quod clariùs exprimit Quintilianus, cùm ait: *Repetamus, & tractemus, & ut cibos*

S. Bon. p. 1. spec. p. 2. c. 7.
L. Sen. ep. 45.
Lips. ad sen. l. 7. de benef. c. 1. num. 5.
Dacr. loc. cit.
Cart. in inst. Nouit. ar. 9.
Dir. c. 3. §. 4.
S. Ephr. to. 1. ser. de pat. & cons. sec. Hist. Laus. c. 143.
Petr. Damian. in Apol. c. 33.
Quint. l. 10. c. 1.

mansos, ac propè liquefactos demittimus, quò faciliùs digerantur; ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ, imitationique tradatur. Quomodò autem hæc ruminatio fiat, est Irenæi Abbatis exemplum, qui de se, vt est in Prato spirituali, sic habet: *Vt ego legi capitulum istud, plicui librum, & dixi in me ipso: Va tibi, Irenae, quia in propria venisti, nec iam erant pro te Patres.*

Io. Euir. in pr. c. 55.

S. Hier. ep. 1. ad Demetr.

355 Sextò, ex S. Hieronymo, *Ita Scripturas sacras lege, vt semper memineris Dei illa uerba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri iubet.* Et rursus; *Optimè,* inquit, *uteris lectione diuina si eam tibi adhibeas speculi uice, ut ibi, uelut ad imaginem suam, anima respiciat, & uel fœda quæque corrigat, uel pulchra plus ornet.* Legi etiam libros spirituales oportet, eo affectu atque spiritu, quo sunt scripti. S. Bernardus lib. de Vita Solitaria hoc ait: *Quo enim spiritu scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant; ipso enim intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis, in lectione eius, & studio assiduæ meditationis, spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges Dauid, donec ipsa experientia, ipsos psalmorum affectus indueris.* Idcircò, in hoc legendi exercitio, ne eloquentiæ flosculos ac lenocinia exquiras. Sic Dacrianus: *In ipsa lectione, utilitatem, consolationemque spiritualem, & Dei amorem quære, non curiositatem, non superfluam intelligentiam, & scientiam, non uerborum ornatum, atque elegantiam.* Et Thomas à Campis, alterum ex altero deducens, ait: *Veritas est in Sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis Scriptura sacra eo spiritu legi debet, quo facta est. Quærere potiùs debemus utilitatem in scripturis, quàm subtilitatem sermonis.* Imò, Alphonsus Rodericus est author, vt, veluti missæ ad nos è cælo epistolæ, spirituales libri legantur. Nam, ex S. Augustino, *Diuina Scriptura, quasi literæ de Patria sunt.* Sic Diuus Franciscus Salesius, Episcopus Gebennensis, cùm in P. D. Laurentij Scupoli, è nostris, pugnam spiritualem, libellum sanè aureum ac vtilissimum incidisset, vt refert Carolus Augustus, in eius vita; *Hunc, tanquam demissam è Cælo diuinam Epistolam, assiduè terebat manibus, & per annos septendecim deinceps gestauit in penula.* Quod cùm ita sit, ex Dionysio Cartusiano, *Quæ legis, tibi ipsi applicare mox debes; imperfectum tuum deflere, emendationem proponere, & ordinatè, feruenter, ac perseueranter prosequi eam.*

Dacr. loc. cit.

Camp. l. 1. de imitat. Chr. c. 5.

Rod. p. 1. tr. de lect. spir.
D. Aug. loc. cit.
Aug. lib. 1.

Cartus. instit. nou-ar. 9.

356 Septimò, legas cum desiderio imitationis, & emendationis, ac proposito exequendi, quæ legeris. *Quis enim nesciat,* ex S. Augustino, *tantò citiùs quemque proficere, cùm bona legit, quantò citiùs facit quod legit?* Planè *utilitas tua singularis,* vt ait Dacrianus, *non in hoc sita est, ut doctrinæ uerba memoriæ commendes, sed ut doctrinæ uerborum-*

S. Aug. l. de opere Mon. c. 17.
Dacr. loc. cit.

quæ effectus in te remaneat: ideſt, vt tu ex doctrina puritatem interiorem, paratamque voluntatem adimplendi mandata diuina conſequare. Rectè Emmanuel Sà: *Libri monſtrant iter; quod niſi ingrediaris, quid proſunt?* Ergo S. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum imitare, qui vt narrat in eius vita S. Ennodius, *pingebat actibus ſuis paginam, quam legiſſet.* Hoc eſt, quæ ipſe legerat, ſtatim actioni, ac exequutioni mandabat. Sic enim addit: *Quid libri docuiſſent, vita ſignabatur.* Laudo etiam S. Ignatij modum, quem, cùm legeret, obſeruabat. De eo Maffeius, poſt Petrum Ribadineyram, hæc ait: *Inter ipſam lectionem, vbiquidpiam inſigne cognouerat, ſubſiſtere ſecum ipſe deliberans: Quid ſi præclarum hoc S. Dominici facinus; quid, ſi hoc S. Franciſci, Deo fretus, aggrediar?* Proindè in Directorio Societatis habetur, *Vitas Sanctorum oportere eſſe ſelectas, & valde accommodatas ei, qui facit exercitia.* Scilicet, vt eorundem exempla proponat ipſe, atque ſtudeat imitari. Rib. & Maff. l. 1. cap. 2. vitæ S. Ign. Dir. c. 3. n. 2.

357 Poſtremò, ex S. Hieronymo, *Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo grata viciſſitudo ſancti operis accendat.* Quod, ex S. Bernardi documento, ſic habes: *Hauriendus eſt ſæpe de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* Ipſum verò ſic orandi modum, in lectione, docet S. Vincentius: *Sæpe, dum actu ſtudet, à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clauſis ſe in Chriſti plagis abſcondere; & iteratò ſe ad librum conuertere.* De eadem lectionis ac orationis viciſſitudine, Dacrianus, quam Seuerus Sulpitius, in S. Martini laudem, apta Fabri Ferrarij ſimilitudine exponit: *Quamquam,* inquit, *etiam inter legendum, aut ſi quid aliud fortè agebat, nunquam animam ab oratione laxabat. Nimirum vt fabris ferrarijs moris eſt, qui, inter operandum, pro quodam laboris leuamine, incudem ſuam feriunt; ita Martinus, etiam dum aliud agere videretur, ſemper orabat.* Auctor ep. ad te metr. S. Bern. l. de vita ſol. S. Vinc. tr. de vita ſp. c. 10 Sulp. l. de vita S. Mar. c. 26.

358 At inquies: Quid in eiuſmodi precibus à Deo petam? Planè, ſi Sanctorum vitas ac hiſtorias legis, eorundem imitationem efflagita. Sic quidam Monachus, in Prato ſpirituali, *Legi,* ait, *hoc, & mirabar hunc ſenem, & dicebam: Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum huius veſtigia ſequi.* In alijs lectionibus, aut vitij alicuius expulſionem, aut tuarum paſſionum victoriam, aut adeptionem alicuius virtutis, aut animæ puritatem, aut difficilium locorum intelligentiam, & his ſimilia pro libito poſtulabis. Cæterùm, Auctor itineris trium dierum aliquot pro ſolitariorum lectione precatiunculas edidit, quas exſcribam. Et prima quidem Oratio lectioni ſpirituali flexis genibus præmittenda ſic habet: Io. Euir. cap. 212.

Iter trium dierũ fol. 41. *Domine Iesu, ego vilissimus seruus tuus, & omni bono planè indignus, desidero ingredi ad videndum thesauros tuos: placeat quæso tuæ Bonitati, me etsi indignissimum admittere: & da mihi in hac sancta lectione in tantum te diligere, quantum te cognoscere: quia nolumus te cognoscere, nisi vt te diligamus, Domine* Deus *Creator noster. Amen.* Altera Oratio, quæ post spiritualem lectionem dicitur, est huiusmodi: *Absorbeat me, quæso, magnificè Iesu, ignea & melliflua vis amoris tui, ab omnibus rebus, quæ in mundo sunt: vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce tua pro me mori. Amen.* (Ibidem fol. 42.) Tertia ante lectionem Oratio: *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque omnia disponens, veni ad docendum nos viam prudentiæ. Verbum Patris æternum, & sapientiæ fons effusissime, Domine Iesu Christe, docilitatem mentibus nostris, & intelligentiæ lumen infunde, vt feliciter nobis cedat hæc sacra lectio, qua adiuti, ad clariorem tui agnitionem Æternæ Veritatis, & perfectum Amorem Bonitatis tuæ peruenire possimus. Amen.* (Ibidem fol. 62.) Et quarta demum, post spiritualem lectionem, hæc poterit vsurpari: *Pone meam, Domine, in tuis vulneribus Philosophiam, in tuis stigmatibus Sapientiam, vt vlteriùs in Te solo Charitatis libro proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita vt ego, iam non ego, sed tu in me, & ego in te, indissolubili vinculo Amoris, æternaliter maneamus. Amen.* (Ibidem fol. 63.)

DISQVISITIO DVODECIMA.

Quæ nam à Solitario quotidie scribi debeant, ac fideliter annotari.

359 VT SCRIPTO NOTARI DEBEANT. Abbas Trithemius, Homilia sexta, de amore quietis, & solitudinis; *Instrumenta*, inquit, *spiritualium in cella exercitiorum sunt quatuor, legere, scribere, orare, ac meditari.* Et inter Carmelitarum Instructionem, pro secularibus exercendis, hæc lego: *Qui Exercitijs præerit, libros pios, chartam, ceteraque necessaria ad spirituales actus prouidebit.* (Carm. Disc. Inst. ad Exer. c. 6. nu. 2.) Ergo, si chartam concedunt, calamum non negabunt. Sed qui negent, cùm statuant, in eadem Instructione, vt *Si quid* (Solitarius) *opus habeat, scripto, nutúue indicet ministranti*? (Ibid. c. 7. n. 7.) Itaque, Fuliensium Praxi, & Claudij Directorio assentior, qui de scriptione sic habet: *Nihil enim aliud scribi debet, præter ea, quæ pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quæ Dominus communicauerit in Meditatione, vel* (Cl. Direct. c. 3.)

etiam extra Meditationem: quæ tamen breuissimè notanda sunt, non diffusè per modum sermonis. Hæc autem, vel sunt practica, quæ pertinent ad agendum, vt sunt desideria quædam, aut firmæ deliberationes; vel quæ pertinent ad cognoscendum, vt sunt quædam veritates, aut lumina, quæ sint quasi quædam axiomata, quæ viam ad easdem materias benè meditandas, ac percipiendas aperiant. Hæc autem omnia in libello aliquo ad id præparato sedulò scribes; & præsertim, ex Patrum Eremitarum Excalceatorum Instructione, notabis diem, quo solitudinem es ingressus, & quo ipse Confessionem, vel generalem, vel annuam obijsti: & si de ea, præparatione, & examine, dolore, ac proposito, & exacta omnium peccatorum explicatione, tu tibi & Confessario satisfeceris. Hæc quippè sedulò adnotare, ad sedandos scrupulos, præsertim in mortis articulo, multùm refert. Ioannes Baptista Decius in spirituali quodam opusculo, pro libelli huius Exercitiorum initio ac titulo, nescio à quo mutuatus, exemplum hoc edidit: *Exercitia spiritualia facta à N.N. Anno* 1647.*mense Iulij, à die sextodecimo vsque ad vigesimum sextum*. Et subdit: *In nomine Domini, Beata Maria, omnium Sanctorum Angelorum, & omnium Beatorum, sed præcipuè Tutelarium meorum, ad confusionem meam, & omnium inimicorum infernalium*. *Io. Bap. Dec. in Arm. spir. p. 3. cap. 3. fol. 180.*

360 Itaque, vt dixi, & Nicolaus Lancicius docet, *Annotandæ sunt scripto* (iuxta S. Xauerij consilium) *practicæ quædam ueritates, in Meditatione perceptæ, per quæ te sensisti impelli ad fugam alicuius defectus, vel ad meliùs operandum*. Nam, vt notes nuda proposita, v. g. hoc modo, Seruabo silentium, Non otiabor, *Labor inutilis est*, inquit. Quis enim dubitet, etiam imperfectissimos quosque habere voluntatem, ac propositum, hæc vitandi? Et talium rerum postea lectio non excitat hominem ad fugam vitiorum, & exercitium virtutum, vti faciet lectio luminum, seu veritatum, diuinitùs in Meditatione immissarum, per quæ te accendi sensisti. Tum, vt meliùs instruaris, scribere poteris, ex Suffreno, I. Fructus è Meditationibus collectos. II. Lumina, & affectus excellentiores, quos Deus immittet. III. Remedia extirpandis tuis vitijs accommoda. IV. Præsidia & media, ad acquirendas virtutes tibi necessarias, & perfectionem status, in quo te Deus constituit, obtinendam. V. Denique, viuendi methodum tibi ipse confice, nisi eam suo studio tibi Director tuus præpararit. Sed si hunc scribendi laborē detrectes, facilè cuncta excident. *Scriptione verò*, inquit, *testaberis tuum ad illa exequenda desiderium, & quanti ea facias, quæ tibi Deus infudit, cùm eorum semper velis meminisse*. Quæ autem per exercitia annotaueris, erunt deinceps sæpiùs relegenda.

Lanc. c. 14. nu. 165. Vita S. Frãc. Xau. lib. 6. c. 13.

Io. Suff. §. 7. num. 5.

Idem ibid.

Lib. 9. Disq. 91.

Id.§.6.nu.2. 361 Tenes scribendi modum? Vis clariorem praxin, ex eodem, adijciam? Præter Meditationes, Considerationes institue: nimirum, aut ambulans, aut sedens, mentem studiosè aduerte ad hæc præcipua quinque argumenta. I. Ad omnes actiones tuas, tum quotidianas, tum hebdomadarias, tum eas, quas vel per menses singulos, vel quotannis exerces; in quauis illarum tria perpendendo. Primò, defectus, & imperfectiones, quas in ijs committis. Secundò, earum imperfectionum causas, & radices. Tertiò, media corrigendi efficacia, quæ etiam scripto ad vsum annotabis, & si quæ aliquando aliàs in eandem rem annotasti, nunc releges; & cùm occurrent noua, adscribes. *II. T*e ipsum inspice; idest tuas passiones, propensiones, affectus, motiua, & intentiones, quibus ad operandum incitaris, denique quid potissimam tibi molestiam adferat in vita spirituali. De ijs omnibus, ad rationis normam reuocandis, cogita, stude argumentis efficacibus, eaque ne excidant, codicillo inscribe. III. Expende peculiares virtutes, ad quas te peculiari stimulo, & affectus inclinatione, Deus allicit, aut quibus tibi potissimùm opus est. Inquire in media ijs acquirendis opportuna, quæ annotabis. IV. Considera Instituti tui, aut vocationis perfectionem, si Religiosus es; eam ex accurata, & seria tuarum Regularum, & constitutionum lectione agnosces, attendendo in singulis. Primò, quid Regula præcipiat; quámque id honestum, vtile iucundum, & rationi conforme sit. Secundò, quomodò hucusque, quod illic præcipitur, obseruaueris. *T*ertiò, quid facere te inposterum oporteat. Et vt hoc meliùs, fructuosiúsque peragatur, partire in dies singulos aliquot Regulas, ijsque diutiùs immorare, quæ maioris sunt momenti.

Cl. Direct.c.6. num.5. 362 Sed illud cauendum, ex Claudio, *Ne vel legendi, vel scribendi dulcedine ita se quispiam distineri sinat, vt tempus eripiatur meditationi, aut etiam præparationi ad meditationem*. Semper enim aliquantò ante Meditationem debet omnia relinquere, & omninò suam cogitationem conuertere ad puncta illius Exercitij, quod iam instat.

(✠)



DISQVISITIO TERTIADECIMA.

Quomodò à Solitarijs persoluendum sit Diuinum Officium, in Choro necum alijs, an seorsim in cella: & quid de Missæ celebratione sit statuendum?

363 CHORO AVTEM, ETC. Hìc multi quærunt, num expediat, vt qui ad aliquot dies in recessu versatur, vnà cum alijs ad Chorum conueniat, & diu, noctuque, Horis persoluendis intersit. Porrò, id multi vetant, permittunt multi, multi præsertim ob sodalium paucitatem præcipiunt. Et planè, in nostro Ordine, edita quædam Ordinatio ad omnes communes Obseruantias Solitarios adigebat: quod tamen, nisi aliter, aut Superior, aut Director statueret, intelligitur; quibus hodie à P. Generali hæc omnino facultas & cura commissa est, vt quod magis Solitariorum profectui expediat, pensatis eorundem ingenio & necessitate, decernant. Vniuersè autem, P. D. Petri Iardinæ, mei quondam Institutoris, & hac in re omnium scientissimi, Praxin non improbarem: *Vt ad Chorum noctu dumtaxat, ob preces Matutinas, accedant*. Ita Prædicatoribus in Sicilia, & in Prouincia S. Thomæ, Gregorius Areylza præscripserat: *In Chorum, cum reliquis Fratribus, conueniant tantum ad Matutinas preces*. Sed tamen addit: *A quibus etiam abesse poterunt, de consilio Directoris*. In Praxi autem Fuliensium hoc inuenio: *Non exeat is nisi noctu, vt Corporis officio satisfaciat*. Quod tamen olim, & Typographi erratum, & sic corrigendum, putabam: *Non exeat nisi noctu, vt Chori officio satisfaciat, & mane sacris operetur, aut Missam audiat, si non est Sacerdos*. Facillimè enim vna P. literula, in Italico Idiomate, negotium facessiuit, nunc tamen id errori adscribere, & referre, non ausim. Itaque, si me audient, hac in re, vel à Directore, vel à Præposito, propensioni Meditantium satisfiat. Si aliquis enim hoc cupiat (vt Religionis S. Pauli primi Eremitæ constitutione præscribitur) *Poterit ex consilio Superioris, Choro tam nocturno, quàm diurno adesse; sacrum autem Missæ nunquam omittat, vel audire, vel absoluere*. Sed, de Sacro, Carmelitæ Discalceati, in Exercitiorum Instructione, sic habent: *Si nullum Eremitorium sit in Cœnobio, fiant Exercitia in aliqua cellula separata; & Sacerdos quidem sacrum faciat, non Sacerdos audiat in Oratorio secreto, si commodè fieri possit*. Si verò intra septa Cœnobij Eremitorium aliquod fuerit segregatum, & ibi Exercitia peragantur (quod apud nos in Eremo, de reclusis Sacerdotibus

Areyl. in Ord. Trinac. num. 2.

Const. S. P. p. 1. c. 11. nu. 5.

Carm. Disc. Instr. ad Ex. c. 7. a. 10. fol. 61.

Ibid. n.5. fol. 59. dici posset) hæc addunt: *Qui ad ea secesserit, Missam quotidie, si sit Sacerdos, sedatiùs celebret; non Sacerdos attentiùs audiat, vbi facile factu erit: & in Oratorio Eremitico, mentalis Orationis, Officijque diuini commune pensum persoluat; oret etiam semihora post Matutinum, discutiat conscientiam; & quotiescunque insonuerit campana Conuentualis, ipse percutiat Eremiticam; demum, obeat vniuersa, eo prorsus tempore, quo in commune à Fratribus, intra Cœnobium, obeuntur.*

DISQVISITIO QVARTADECIMA.

An liceat, & expediat, vt Solitarij, in communi mensa, vescantur: & quomodò vesci debeant.

Ordo SS. Trin. const. p. 1. cap. 7. §.4.

364 COMMVNI MENSÆ. Quid de sumendæ refectionis loco decernam? Expedit ne, vt ipsi vna cum alijs in triclinium vadant? Planè, Discalceati Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, inter Congregationis Gallicanæ constitutiones, hæc habent: *Spiritualia exercitia faciant, quibus se se solitarium aliquem in locum ad hunc effectum deputatum recipient; & vbi nullus erit, in sua met quisque cellula; cum communitate solummodò matutino, sancti Missæ sacrificij celebrationi, vel auditui, & Refectorio, interueniendo.* Plures tamen, qui ab solitudine, atque recessu, vti par est, omnem sui Ordinis progressionem, ac bonum regimen auspicantur, in cella solitarium, seorsim ab alijs, vesci volunt. Sic Carmelitæ Discalceati, *Non in refectorio sed in Cella seorsim, aliquo deferente, cibum accipiunt.* Et iterum, in recessu versantur, *Refectione in cella semper accepta.* Quò enim arctiùs se continent, minúsque solitarij obambulant, & alijs immiscentur; cò se se aptiores, vt constat experientia, diuinis illustrationibus exhibebunt. Itaque, Præpositi est, Laicum modestum, ac sedulum assignare, qui quæ opus sunt, solitarijs, suo tempore, ministrabit. Probo & laudo tamen hunc ritum, quem Neapoli obseruare Prædicatores, audiui; vt si, ob famulorum paucitatem, ad vitandum aliorum incommodum, meditantes seorsim in cubiculo non vescuntur, veniant vna cum alijs in triclinium, sed tamen hoc ordine; vt non intrent, nisi iam cæteri discubuerint; & antequam alij omnes, nutu Superioris è mensa surgant, ipsi primùm egrediantur: vt sic omnium fratrum consortium fugiant; quod ad ipsorum recollectioné, & aliorum exemplum, plurimùm iuuat. Sepe autem, qui spiritualiter exercentur, ad commune Ordinis cœnaculum, veluti ad publicæ mortificationis & pœ-

Car. instr. ad ex. spir. c.7. nu.11. & 6.

nitentiæ palæstram accedunt, & vel cæteris seruiunt, vel humi ex Superioris arbitrio cibum sumunt, vel antequam comedant, brachia ad aliquod temporis spatium in Crucis modum protendunt, vel saltem exosculantur hinc inde pedes discumbentium fratrum: quæ publicæ mortificationes, solitæ à nostris fieri, & ipsos meditantes adstabiliendum feruorem, & alios ad mores emendandos, vix dicere aut capere possumus, quantùm iuuent. Hæc autem omnia, quæ de Patribus Prædicatoribus dixi, ab insigni ipsorum viro, Gregorio Areylza, spiritualium rerum peritissimo & eruditissimo, accepi; qui cùm varia sui Ordinis Cœnobia in Sicilia & Melita visitaret; exercitiorum vsu singulis in domibus instaurato, cum vbique feruorem ac spiritum excitauit, vt prisca passim disciplina, secedentibus Fratribus, effloruerit. Probant Carmelitæ Discalceati publicæ mortificationis ritum, & aiunt: *Exercitiorum tempore, moris est mortificatione aliqua extraordinaria perfungi, quæ propterea ab vnoquoque exercentium fiat, sed tantùm vna.* Sic ipsi. Quod etiam cum P.D. Petri Iardinæ ritu ac institutione concordat. *Instr. ad ex. c.7. num.14. fol.62.*

365 Verùm reclusi, in Eremo, seorsim omninò reficientur. *Ideòque*, vt iterum Carmelitæ costituunt, *eiusmodi ministerio Religiosum sedulum ac modestum Prior præficiat, qui hora examinis conscientiæ meridiani, & vespertina oratione absoluta, prandium, cœnulam, seu collationem, opportunè deferat exercenti, redeatque illicò communem refectionem sumpturus. Postmodùm sub recreationis finem, rursus Eremitorium petat, illatosque lances, accepto cibo ab exercente compositos, & secùs fores depositos, expeditè referat ad Cœnobium.* In refectione autem, Camaldulensium morem imitari poterunt, quem Lucas Hispanus in Eremitica historia hoc modo describit: *Vnusquisque Eremita, mensa priùs benedicta, antequam cibum capiat, aliquid ex supradictis legere assolet, vt refectionem corporis refectio spiritus præcedat: dumque cibus corporalis sumitur, præcedentis lectionis meditatione anima quoque recreetur.* Sed quoties abstinentia celebratur, siue in pane ac frigida tantùm fiat, siue cum fructibus aut oleribus, *Eremita*, apud ipsos, *librum ante oculos habere, & in terra sedendo pedibus nudis cibum capere debet.* Hæc Lucas, qui B. Rodulphum huius instituti auctorem appellat. Clerici autem Minores, inter exercitia doloris & compunctionis, quæ prima hebdomada habentur, sic meditantem instituunt: *Cibum sumat humi sedens, aut flexis genibus, sal & cætera condimenta sensualia abijciat. Funem ad collum alligatam, eodem tempore, non tamen extra cubiculum, deferat.*

Ibid. num.7.

Luc. Er. Hisp. in Romuald. lib.5. c.8. fol.210.

Ibid. c.5. fol.202.

Flum. in Direct. exercit. 1. fol.58.

DISQVISITIO QVINTADECIMA.

An, præter Instructorem, aliquid alicui loqui possint: de animi remissione, post prandium: & an iuniores ad Scholam, ob audiendas saltem lectiones, accedere debeant.

Rel. S. P. const. p. 1. c. 11. nu. 5.

366 COLLOQVIO ABSTINEAT. Religio S. Pauli Primi Eremitę de Solitario hęc habet: *Cum nullo, nisi tempore recreationis, idque ex consilio Patris spiritualis, quamdiu exercetur, colloquatur, propter collectionem spiritus conseruandam.* Ergo illi concedunt, vt, remittendi animi tempore, vel vna cum alijs, vel saltem alicui, ex Directoris consilio, loqui possit. Huic tamen quæstioni, Clerici Regulares Minores ita respondent: *Quo tempore, his peragendis exercitijs vacabit, domo non egrediatur; cum alijs, siue secularibus, siue Religiosis, non loquatur; recreationibus quibuscunque, etiam quotidianis, non intersit.* Fulienses hoc modo: *Manebit in loco aliquo solitario, & à strepitu remoto; vbi ipse meditabitur, cibum sumet, & si possibile sit dormiat, nec loquetur, nec conuersabitur.* Imò, docet S. Ignatius, vt qui se exercet in prima hebdomada, hæc statuat: *Cogitationes, quæ gaudium afferunt, qualis est de gloriosa Christi resurrectione subterfugiam: quoniam, talis qualibet cogitatio impedit fletum, & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus est, adscita potiùs mortis, vel iudicij recordatione.* Rursus: *Vt eandem ob causam, omni me priuem lucis claritate, ianuis, ac fenestris clausis tantisper dum illic moror, nisi quamdiu legendum, vel vescendum erit.* Quod etiam Clerici Minores aduertunt: *Maneat in cubiculo, ianua & fenestra clausis, quam aliquantulum aperiet, dum comedit, aut legit.* Sed hac de re, olim, *in primo tomo lib. 5. disq. 9. fol. 253.* diximus. Addit tamen sanctus Ignatius, *Vt à risu, verbisque risum prouocantibus maximè abstineam.* Et demum, *Vt in neminem oculos intendam, nisi salutandi, aut valedicendi poscat occasio.* Vt enim quis sensus, in euagationibus, & distractionibus, facilè colligere possit, maximè, ex Ludouico de Palma, iuuat *Collectio sensuum exteriorum, & præcipuè visus, auditus, & linguæ, abstinendo præsertim à visu, & à narratione rerum ridicularum. Vana enim hilaritas compunctioni, quæ mater est deuotionis, contraria est.* At si in recessu versanti cauet hanc narrationem S. Ignatius, ergo aliquam collocutionem permittit. *Ita* est, sed cum Directore vel Laico, qui eius ministerio addictus, à Carmelitis instruitur, vt si quid Solitarius opus habeat, scripto, nutuue tacitè admonitus, perindè nutibus,

Cl. Min. in reg. & obser. con. c. 10. n. 5

Sanc. in off. Direct.

S. Ign. exer. sp. add. 6.

Ibid. add. 7.

Flum. in Direct. Exerc. 1. fol. 58.

S. Ign. add. 8. & 9.

Pal. in Praxi 1. die fol. 52.

aut per atramentum respondeat. *Interdiu verò*, addunt, *si quid acciderit necessarium, quod in meridianum, aut vespertinum Ministri accessum differri nequeat, binis vel ternis campanæ ictibus eum admoneat; qui ad Eremitorium properans, quæ opus erunt exactè præstet.* *Carm. Discal. Instr. ad Ex. c. 7. n. 7.*

367 At quæ animi remissio, si fortè vlla Solitario expediat, adhibenda? Sanè probarim, quam ijdem Excalceati constituunt: *Meridianæ, aut si habeatur, vespertinæ recreationis hora, Loci hortulum perambulabit, aut manibus quidpiam operabitur, vel, si maluerit, pium aliquod lectitabit, magis historicum, quàm pertinens ad orationem.* Idem habes in M.S. Eremitarum Instructione. Sed quando hæc deambulatio, vel operatio, vel lectio liceat, Directoris prudentia iudicabit. Verùm Prædicatores, ac Patres Missionis in Gallia, cùm plures in secessu versantur, à gratiarum statim actione post prandium, pro animi remissione, spiritualem Collationem instituunt, cui tamen Superior, aut omnium Director intersit: idque nos, in Nouitiorum, aut professorum iuuenum Exercitijs, cùm meditantur bini, terni, vel quaterni, probamus. De qua ritè à nobis instituenda, in libro de Eremitica, & arctiori domo dicemus. *Ibid. num. 6.*

368 Cæterùm, nonnulli dubitant, an Solitarij iuniores, toto eo temporis spatio, quo in recessu versantur, quotidie, signo, vel Lectionis, vel Repetitionis audito, è recessu egredi, & ad scholam vnà cum alijs accedere debeant. Si enim (vt ipsi aiunt) ad scriptionem, & alias quotidianas eiusmodi exercitationes, non eant; tot lectionum amissio videtur illis graue aliquod damnum, aut saltem incommodum, in scholasticis facultatibus, allatura. Ita ne? Sed ridicula sanè, peritorum iudicio, secessio hæc esset, si iuniores; qui maiore animi recollectione opus habent, vicissim à spiritualibus exercitijs ad literaria demigrarent; & Reformatorum omnium Ordinum ritui aduersaretur: qui ad hoc cellæ solitudinem, reclusionem, ac loci etiam obscuritatem, & priuatam Horarum recitationem, ac refectionem suadent, vt quotquot eò pro more secesserint, quacunque alia occupatione priuati, ad se se bene discutiendos & componendos, omnes animi curas, & cogitationes intendant. Propterea, opportuna iuniorum secessio, quæ quotannis habenda est, vacationum tempore obiri solet: quæ autem ob ineundos sacros Ordines instituitur, hoc ritu fieri oportet, vt omnes alias etiam occupationes excludat. Deus enim interdum lumen Solitarijs in recessu tale concessit, quo ne dum faciliùs lectiones addiscerent, eo solitudinis spatio prætermissas, sed mente etiam diuinitùs illustrata, vberiori prouentu deinceps, vt in religiosæ Professionis ac perfectionis itinere, sic in-

scientiarum adeptione, mira ipsi ingenij docilitate, ac facilitate, profecerint. Dices, in Ordine Patrum Prædicatorum, Iuniores spiritualibus Exercitijs occupatos, si non repetendis, ac propugnandis, scribendis saltem lectionibus interesse, vt docueras in secessu *num. 57. fol. 187. & in primo to. huius operis lib. 3. disq. 2. fol. 115.* Fateor: & hìc quoque permittam, vt qui recollectionem solita districtione vacationis tempore instituit; si Directori, ac Præposito videatur, si tamen spiritu sit prouectus, & vita multùm ordinanda, ac emendanda non egeat, post quartam diem qua peracta Confessione Sacramentum Communionis obiuit, quinta & deinceps scribendis solùm lectionibus, earumdenque declarationibus, vt intersit. Quod si in præparatione ad Ordines ea conditione, nec facilè, sed ægrè permittitur; in annua tamen recollectione, ac secessione, omninò, vt dixi, non concedendum.

DISQVISITIO SEXTADECIMA.

Quoto die Confessio Generalis sit obeunda; & an Missæ celebratio omitti debeat, vsque dum illa, à Solitarijs, absoluatur.

369 TOTIVS ANTEACTÆ VITÆ CONFESSIONE. Porrò, ex S. Ignatio, in suo Exercitiorum libello, *Generalis ista Confessio, post hebdomadæ primæ Exercitia, potissimùm erit opportuna.* Sed à Præmonstratẽsibus, vt narrat Abbas Ioannes Chrysostomus, in itinere trium dierum, *Circa septimum diem Exercitiorum institui solet, aut ipso septimo die.* Sancius Generalis PP. Fuliensium, *Quinta die*, docet in suo Directorio instituendam; & ad eam ritè obeundam, appositam Meditationem proponit. Sed quid ego hac de re sentiam, ac decernam? Planè, vt vt alij tradant, ac doceant, ego quotquot instituo, ipso primo die recessus, ac Exercitiorum initio, ad Confessionem dispono, à me paulatim, iuxta ipsorum examen, excipiendam. Et meum hunc ritum plerique hodie in nostro Ordine consectantur; eundenque apud Garciam Cisnerum Montis Serrati Abbatem obseruo; qui in Exercitatorio Vitæ spiritualis, *cap. primo*, sic habet: *Qui in spirituali vita exerceri cupit, hoc primùm curet, vt cor ipse suum, per Generalem Confessionem, ab omni mortalis peccati labe perpurget.* Imò ipse S. Ignatius in eodem exercitiorum libello, proposito primò omnium conscientiæ examine, ad

Abb. Chrys. in distr. tēp.

eandem iuitat. Et cùm ipse ad Montem Serratum, Ioannem olim Clanonium, eius Cœnobij Antistitem, instituendæ solitudinis gratia conuenisset; *Is*, ex Societatis historia, *consilium illud geminum pietatis palæstram ineuntibus apprime necessarium menti eius iniecit, vt & Generalem institueret Confessionem, & cum viro bono, atque prudenti quicquid meditaretur communicaret*. Scilicet, primò omnium sui manifestationem quam dixi, & totius anteactæ vitæ Confessionem suasit; additque Nicolaus Orlandinus, Historiæ Auctor, optimam rationem: *His enim necesse est oriatur ab initijs disciplina virtutis, ædificium spirituale his statuatur fundamentis. Nam expiatio vitæ totius anteactæ in primo limine, ardoreque illo conuersionis, purgat magnopere animum, præparatque vberioribus è cælo donis excipiendis*. Ad hæc, Author sum omnibus, vt, quo ad Confessionem Generalem, vel Annuam expleant, Missæ celebrationem, vel, si non sint Sacerdotes, Sacramentalem Communionem omittant: præsertim, si spiritualia hæc Exercitia non dum aliàs in recessu peregerint. Quæ tamen Confessio, vt opportunè, ac commodè fiat, trium circiter dierum spatio absolui posset. Idem temporis spatium impendit in sua Diuus Ignatius; de quo Petrus Maffæius, ex eadem Societate, sic ait: *Quò simul atque peruenit, templum ingressus, ac Numine salutato, nihil antiquius habuit, quàm vt per sacram totius anteactæ vitæ Confessionem, contractas animi sordes elueret; qua Confessione in primis fideliter, atque accuratè de scripto peracta per triduum; summa deinde cum veneratione, ad Sacramentum Altaris accessit*. Ita Patres Missionis in Gallia, vt ab ijsdem accepi, primam, alteram, & tertiam diem in expianda conscientia insumunt; cogitantes interim de creati hominis fine, de diuinis beneficijs, & de peccatis, vt Deum lædunt, ac propriam hominis conscientiam turpant. Quarta verò die, absoluta Confessione, communicant, vel si sunt Sacerdotes, Missæ sacrificium offerunt: & ante Communionem, aut Sacrum, de Paradisi Gloria; post Communionem, vt plurimum, de Filio Prodigo meditantur. De modo autem obeundæ Confessionis, multi, disertèque scripserunt. Sed cùm illud omninò cauendum sit, ne vllum confessum crimen reticeamus, hac de re Iacobus est Aluarez audiendus.

Nic. Orl. lib. 1. nu. 17.

Maff. in Vita S. Ign. lib. 1. c. 4.

370 Vt rectè, & fructuosè fiat, aliqua sunt à nobis seruanda. Illud autem præcipuum est, & in omni Confessione intelligendum, vt in Sacerdote, cui Confessionem facimus, non tam hominem, quàm Deum cogitemus, & in conspectu supremi Iudicis Christi, quem fallere nequaquam possumus, nos ipsos statuamus. Auditis peccatis tuis, ò frater, ait Sacerdos: *Ego te absoluo*. Quis autem po-

Alu. de Vita rel. inst. l. 5. c. 7. §. 3.

test à peccatis absoluere principaliter, ac peccata dimittere, nisi solus Deus, aduersus quem admissa sunt? Igitur licet re vera homini confitearis, tamen primò, ac præcipuè, Christo ipsi, cuius Minister vicem gerit, tua peccata confiteris. Ex hoc primo optimè præstito, ac viuida fide cognito, multa bona consequuntur. Nam si Christo ipsi, quem nulla latet, nec minima cogitatio, tua peccata pandis, nihil omninò à te cognitum celabis, & sincerissimè omnia peccata, etiam occultissima patefacies. Ridiculum enim esset, in hac Confessione leuia dicere, quæ vel sanctus quisque de se posset asserere, si quid verò graue in eo semestri commisisti, imprudenter reticere. O iam illud confessus sum, & obtenta facultate à Prælato eligendi Confessarium, illi, qui placuit in oculis meis, peccatum detexi, & veniam obtinui. Nunc de hoc facto tuo nihil dico, quo proprium Pastorem reliquisti, ne secaret, ne vreret, ne sanaret, ne occasionem iterum cadendi præcidi iuberet; ad alium verò accessisti, qui te palparet, qui exteriùs tantùm vlcus obduceret; qui medicamentum efficax, ne iterùm caderes, fortè applicare nesciret. Non puduit te peccare, & puduit te ad tuum Prælatum accurrere. Dum modicum pudorem vitas, magno rubori sustinendo te exponis. — Sed relinquamus ista. An ignoras Confessionem Generalem, ad hoc esse inductam, vt iam confessa dicantur, & nouæ compunctionis lauacro, ac maioris humilitatis actione, magis magisque mundentur? An ignoras hanc Confessionem ad hoc exerceri, vt Sacerdos non solùm doctus, sed & spiritualis, & qui possit esse perfectionis Magister (tales nanque ad has Confessiones excipiendas eliguntur) omnes animæ tuæ recessus agnoscat, & malis tuis malagma conueniens adhibeat? At quo pacto remedium dabit, quaue te ratione ad perfectionem prouehet, si ab eo grauia quæ admisisti, & ipse audiens curaturus erat, abscondas, & leuia ac nullius momenti tantùm aperias? Nec dicas mihi, quia iam sanus factus es, & per specialem Confessionem, quam apud illum à te electum Sacerdotem obijsti, à peccato mundatus, ad quod (vt magis rem vrgeamus) nunquam in posterum es reuersus. Esto enim, hoc ita esse, quod non inficior. Sed animaduerte, longè alium esse statum tuum, postquam in grauia cecidisti, ab eo, quem haberes, si non cecidisses, ac Deo fidelitatem seruasses. Prudens nanque Consiliarius aliud consilium Nobili dabit, qui à die, qua in Palatium est ingressus, semper Regi fidelis extitit, aut ei, qui postquam est in Regis obsequium ascitus, ab eo per rebellionem defecit. Sic alia auditurus es à Patre spirituali gubernandi talento prædito, cùm in sola peccata leuia incidisti, aut cùm

in aliquod graue peccatum lapsus es. Nam tibi ad tantum malum progresso, & in domo Sanctorum in crimen lapso, maior cura satisfactionis, & vitandæ occasionis incumbit. Effunde itaque sicut aquã cor tuum, vt nihil eorum, quę manifestanda sunt, occultum remaneat, nihilque eorum quæ aperta esse debent, per minorem claritatem lateri cordis agglutinatum adhęreat. Hæc Aluarez. Audi Climacum: *Aperi, denuncia, detege Medico vulnus tuum; dic, age, noli confundi: Meum vulnus est; Pater, mea plaga, cuius mihi causa fuit; non aliud, quàm mea negligentia: Nemo huius auctor extitit, non homo, non spiritus, non corpus, non aliud quicquam nisi desidia mea. Esto dum confiteris, habitu, spe, cogitatione, vt condemnatus reus, demissis in terram luminibus, atque si fieri potest, Magistri, aut Medici pedes, lacrymis riga.* Ita S. Ioannes. Peracta tamen Confessione, si libet, ante Absolutionem, Protestationem obibis, quam sanctus Franciscus Salesius in Introductione ad piam vitam *p.p. cap.* 19. & 20. tradit. Verùm, quia ad ritè obeundam, tum annuam aut generalem Confessionem, tum ordinationem morum, ac vitę, seria maturaque conscientię discussione opus est, eam mox, vt Textus, atque verborum ordo postulat, aggredior explicandam. Cl. gr. 4.

LIBER X.

De Examine Conscientiæ, Generali, ac Particulari.

PRæcipua ergo, ac singularis cura Solitariorum hæc erit, vt vita sua facta, dicta, & cogitata discutiant; bis saltem quotidie generale, ac particulare Examen instituentes: vt possint ipsi acriùs cum vitijs certamen inire, & temporum collatione expensa proficere.

DISQVISITIO PRIMA.

De bene discutiendæ, ac instituendæ vitæ scopo, in spiritualibus Exercitijs, intendendo.

371 FACTA, DICTA, COG. DISCVTIANT. Primum, ac princeps negotium, à solitarijs ac reclusis,

illo dierum spatio, tota animi contentione, tractandum est, perpurgare, discutere, ac extergere conscientiam; vitia radicitùs euellere, inserere animo virtutes, vitam rectè sanctéque instituere, ac ordinare: vt in Pauli Papæ V. Diplomate, & in multis Religiosorum Ordinum sanctionibus, quæ spiritualia hæc Exercitia, aut suadent, aut imperant, est expressum. Verè enim, nomine ipso Exercitiorum spiritualium, primo loco, vt docet S. Ignatius, *Intelligitur modus quilibet examinandi propriam conscientiam*. Quod Magnum Gerardum peregregiè præstitisse reclusum apud Cartusianos, narrat Thomas à Campis. *Insurgentes*, inquit, *passionum motus, ieiunando, vigilandoque, confregit; & Dæmonum varios insultus, orando, flendoque, deuicit; loquens cum sancto Dauid, Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*. Et subdit: *Agrum cordis sui districta examinatione quotidie visitans, diligenter excoluit, spinas vitiorum eradicando, ac virtutum semina inserendo*. Sed quod vehementer admiror, nouit hoc L. Seneca; & ad cognoscendum, emendandumque se ipsum, secessum, ac reclusionem suasit: *Animi bonum*, inquit, *animus inueniat. Hic si vnquam illi respirare, & recedere in se vacauerit, ò quàm sibi ipsi verum, tortus à se, fatebitur, ac dicet: Quicquid feci adhuc, infectum esse mallem: quicquid dixi, cùm recogito, mutis inuideo: quicquid optaui, inimicorum execrationem puto: quicquid timui, Dij boni, quantò melius fuit, quàm quod concupiui?* Vides, vt Philosophus respirationem, atque à rebus agendis recessum in se vehementer exoptet, speretque fore, si id impetret animus, vt in eo recessu verum fateatur à conscientia tortus, & errata eorum quæ fecit, dixit, cupiuit, cum pœnitentia recognoscat. Idem alibi Paulinum, annonæ Præfectum, hortatur, ad hunc secessum à curis, vt vitæ suæ benè noscat & ordinet rationes. Decerpta hinc inde verba afferam, quæ veniunt in rem nostram: *Excerpe te vulgo, & in tranquilliorem portum tandem recede. Satis iam per laboriosa, & inquieta documenta exhibita virtus est: experire quid in otio faciat. Maior pars ætatis, certè melior Reip. data sit: aliquid temporis tibi sume, etiam tibi. Inuenies maiora, quæ sepositus & securus agites. Istum animi vigorem, rerum maximarum capacissimum, ad te reuoca. Satius est tuæ vitæ rationes, quàm frumenti publici nosse*. Et paulò post: *Recipe te ad hæc tranquilliora, tutiora, maiora; sciturus, quis animum tuum casus expectet; vbi nos à corporibus demissos Natura componat. Nunc dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Expectat te in hoc genere vitæ multum bonarum artium, amor virtutum atque vsus, cupiditatum obliuio, viuendi atque moriendi scientia, alta rerum quies*. Hactenùs Seneca. Tum si ea purus philosophus, at Christiani, & spiritualium

S. Ign. in Exerc. spir. annot. 1.

Th. à Campis in Vita Ger. cap. 6.

L. Sen. lib. de Vita beata cap. 2.

Id. lib. de breu. vitæ c. 18. 19.

rerum profeſſores Religioſi, ac Theatini quid dicent? Planè omnes eo fine ſuſcipienda à nobis in receſſu exercitia docent, vt vitæ noſtræ rationes optimè inſtituantur. Sic Author Epiſtolæ ad Celantiam ſuadet hanc vacationem, & ſubdit: *Nec hoc ideò dicimus, quo te retrahamus à tuis: imò id agimus, vt ibi diſcas, ibique mediteris, qualem tuis præbere te debeas.* S. Hier. ep. 14. ad Celāt.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quomodò non in receſſu ſolùm, ſed in perpetua vita, bis quotidie, Conſcientiæ Examen inſtituendum.

372 **B**IS QVOTIDIE EXAMEN. Quiſquis in receſſu verſaris, expiata iam conſcientia, inter ſanctioris vitæ propoſita, hoc omnino cuſtodias, vt obeundum Examen bis ſaltem quotidie non omittas. Noſtræ enim Conſtitutiones hoc mandant vt, *Bis etiam in die, ſemel ante prandium, iterum antequam eatur cubitum, rationem dicti, facti, cogitati, nobiſcum putemus.* Et Nouitij à nobis inſtituuntur, *Bis ſaltem in die conſcientiam examinare.* Vt eandem hanc rationem, quæ ad vitæ puritatem, ac perfectionem adipiſcendam, plurimùm confert, in omni ferè vita cuſtodiant. De hoc igitur in præſentia agendum eſt, vt hunc diſcutiendæ quotidie conſcientiæ morem ita noſtris animis imprimamus, vt nulla occaſione vnquam à nobis, aut mane, aut veſperi, deſeratur. Expedit enim, vt hunc primò fructum ex ſolitudine eliciamus. Itaque, de conſcientia examinanda, plura ibidem habes apud Caracciolum, ſanctitate ac ſapientia inſignem, ac celeberrimum virum: de hoc tamen examine bis habendo, vt eſt Conſtitutio, cùm ille nihil omninò differat; reſtat mihi oſtendere, in hoc ipſo, veterum ritum. S. Ephræm Syrus bis quotidie conſcientiam perſcrutati, ac nos met exactè diſcutere, ſic ſuadet: *Diebus ſingulis, veſperi & mane diligenter conſidera, quo pactoſe ſe habeat negotiatio tua, ac mertimonij ratio.* Exponit veſpertinum Examen: *Et veſperi quidem,* inquit, *ingreſſus cubiculum cordis tui, examina te ipſum, & dicito: Putas ne hodie, in aliquo Deum exacerbaui? Nunquid verba otioſa protuli? Num per contemptum, negligentiaue peccaui? Num in re aliqua fratrem irritaui? Num alicuius famam detractionibus laceraui? Num, quando ore pſallebam, res ſeculares mente verſabam? Num, quando carnalis in me concupiſcentia irruit, blandum virus ego lubens ſuſcepi? Nunquid à curis ſolicitudinibuſque terrenis aliquando*

Conſt. Cl. RR. p. 1. cap. 8.

Anton. Carac. ibid. p. 1. c. 8. nu. 4.

S. Ephr. to. 3. ser. aſcet.

Lib. 10. Diſq. 97. ſupe-

ſuperatus ſum? Quod ſi in iſtis compereris te detrimenta perpeſſum, futuris lucris præterita damna ſedulò reſarcire cura. Ingemiſce ex intimo corde, & plange, & lacrymas funde. Subdit Examen Matutinum: *Et facto iam diluculo, rurſus eadem tecum meditare, & dicito: Quomodò, putas, iſta mihi nox præterijt? Lucratus ne ſum in ea mercimonium meum? Nunquid mens mea vnà cum corpore vigilauit? Nunquid oculi mei lacrymas fuderunt? Nunquid cùm genua noctu ad orationem flecterem, ſomno depreſſus ſum? Nunquid improbæ ac ſordidæ cogitationes inuaſerunt me, atque illis libenter immoratus ſum? Et ſi te in eiuſmodi victum eſſe ſenſeris; ſolicitè curari ſtude, cordique tuo cuſtodiam ſtatue, ne eadem rurſus patiaris.* S.Dorotheus, diſſerens de vitijs ac paſſionibus extirpandis, proponit hoc ipſum duplex conſcientiæ Examen, quod antiquiorum Patrum monitis ac documento didicerat. *Quo pacto,* inquit, *per ſingulos dies nos ipſos purgare, & propemodùm expiare debeamus exactiſſimè, docuerunt Maiores & Patres noſtri. Nempe, vt veſperi ſedulò quiſque perquirat, & inueſtiget, quomodò pertranſierit diem illum. Rurſus manè examinet, quomodò exegerit noctem illam. Et pœnitentiam agat, ac reſipiſcat coram Deo, ſi quo pacto (vt fieri poteſt) peccatum aliquod admiſerit.* Mox paradigma examinis ſubiungens, ait: *Deberetque vnuſquiſque noſtrum à ſe ipſo, tanquam iudex, rationem cuiuslibet facti extorquere, & dicere: vt quid locutus ſum, infelix, quæ fratrem meum morderent, & carperent? vt quid fratrem aliquid facientem iudicaui? vt quid Deum contempſi? vt quid murmuraui, & oblocutus de ipſo ſum? Cur coquum increpaui? Cur pudore illum affeci? Cur ego imprudentiſſimus, in me ipſo obmurmuraui, quòd cibaria non benè decoxiſſet, artificiosè curaſſet? Dixit mihi cæremoniarum princeps, vel quiuis alius fratrum, verbum; nec ferre potui, ac ſtatim illi aduerſatus ſum. Sicque per ſingulos dies agendum nobis eſſet, diſcutiendum & cognoſcendum, quo pacto ambulaſſemus.* Hæc de Veſpertino, mox de Matutino ſic habet: *Debet item quis à ſe exigere, vt noctem tranſierit, ſi videlicet & cum diligentia & promptitudine ad vigilias ſurrexerit, ſi neglexerit reſpondere excubitori, ſi contra ipſum in aliquo obmurmurauerit.* Ad eandem iteratam excuſſionem, è latinis Patribus, hortatur S.Bernardus: *Nemo te plus diligit, nemo te fideliùs iudicabit. Mane præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem: & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Veſpere diei præteritæ rationem exige; & ſuperuenientis noctis fac indictionem. Sic diſtricto, nequaquam tibi laſciuire vacabit.* Vmbertus, olim totius Ordinis Prædicatorum Magiſter, iuniorem erudiens; *Per ſingulos dies,* inquit, *ad iudicium vitam ſuam vocare debet. Mane conſiderare quid egerit per noctem: in veſpera, quid egerit per diem.* Et Dionyſius Cartuſianus, cùm Religio-

S.Doroth. ſer.11.

S.Ber. de vita ſol. ad fr. de Monte Dei.

Vmb. l.2. de erud. p.2.c.3

ſum inſtituit; *Mane inquirat*, ait, *quemadmodum nocturnum tempus exegerit, qua alacritate diuina perſoluerit; & item, qualiter inſtantem diem fructuosè decurrat, ſapienter inſtituat. Denique veſpere contuendum, quomodò dies ipſe defluxit; quid agendorum omiſſum, quid etiam omittendorum commiſſum; quid profecerit, quantumque proficere potuerit ſed neglexerit, atque aduenienti ſe nocti præparet*. Eadem inſtitutione, ſubdit, vixiſſe ſanctum Arſenium. Denique hoc idem duplex examen Philoſophis ipſis in vſu fuit. De Pythagora teſtatur S. Hieronymus, aurea hæc eius verba commendans: *Duorum temporum quàm maximè habendam curam, mane, & veſperi; id eſt, eorum, quæ acturi ſumus, & eorum quæ geſſerimus*. Et Galenus, in libro de cognoſcendis curandiſque animi morbis, hæc ait: *Singulis diebus ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, tibi ipſi reuocare in memoriam. Atque hoc idem præſtabit, te ſæpius facere. Quod ſi non poſſis tam ſæpe: at ſaltem matutinis horis ſemper, antequam quicquam eorum, quæ acturus ſis: & veſpertinis, antequam cubitum eas*.

Cart. de vita & fine ſolit. a. 24.

S. Hier. l. 3. Apolog. adu. Ruff. c. 10.

373 Ritè ergo Tyrones noſtri, & Tertiæ Claſſis Profeſſi, ac omnes in domo Receſſus, primo ſigno ante prandium, & poſt cœnam, vnà conueniunt; & flexis in Oratorio genibus, labes ſuas exactiſſimè perſcrutantur. Alij etiam ſacerdotes vbique idem, ſed priuatim, obſeruant: quod tamen ſic obire tenentur, vt ſi fuerint ante prandium, vel auſcultandis confeſſionibus, vel alijs quibuſcunque operibus occupati; at ſaltem ſe ſe poſt prandium, peracta gratiarum actione, aut animi remiſſione, diſcutiant: quanuis ſummo mane hoc ipſum examen, pro Sacramento Confeſſionis, diuiniſque ritè myſterijs celebrandis, obierint. *Nam*, ex S. Dorotheo, *cùm ſæpe numero ac plurimùm peccemus, & quàm facillimè obliuiſcamur, opus eſſet frequentiſſimè ac ſingulis horis nos ipſos exquirere, rimari, ac perſcrutari diligentiſſimè*. D. Bonauentura, ad vitæ puritatem adhortans, idem ſuadet his verbis: *Ad quod quidem diligentiùs ac puriùs conſeruandum, quotidiana diſcuſſione ſepties in die examines vitam tuam, ſemper ante vel immediatè poſt quamlibet horam Canonicam; conſiderans, & diſcutiens attentiſſimè, qualiter de hora in horam ambulaueris dignè coram Deo ſine macula, in iuſtitiæ ſemita*. Et qui, apud Climacum, ferebant è cingulo pendentem libellum, in quo cogitationes ſuas quotidie perſcriberent, vt eas Præſuli nuntiarent; ij proculdubio in ſemetipſos ad eundem modum pluries inquirebant.

S. Doroth. ſer. 16.

S. Bonau. t. 2. ep. 25. memorial. §. 24

Cl. gr. 4.

374 Non ergo magnum quidpiam tibi facere videaris, ſi tertiò te diſcutias, quando Phocylides, ſi Ioanni Stobæo fides habenda eſt, primus omnium mortales edocuit, ne dum quotidie diſqui-

Stob. ſer. 6.

rere conſcientiam, ſed & diebus ſingulis ter eandem diſcuſſionem obire. Pythagoram monentem audi, & ſequere: *Diurnorum operum ſingula ter animo percurras; quò tranſit? quid egi? quid opportunum omiſi? Incipiens autem primò percenſe: dein turpibus commiſſis increpare; bonis delectare: hæc labora: hæc meditare: hæc te amare decet: hæc te ad Diuinæ virtutis veſtigia ducent.*

375 Sin autem die, quandoque animum ad reddendam rationem non euocaſti; ad nocturnam quietem non te omninò recipias, quin, ex Publio Sexto, te ipſum interroges: *Quod hodie malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua parte melior es?* Audi Senecam, & Philoſophum ac Stoicum imitare: *Quid pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus, poſt recognitionem ſui, ſequitur? Quàm tranquillus, altus, ac liber, cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſorque ſecretus, cognoſcit de moribus ſuis! Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico: cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta & dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere: Vide, ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco. In illa diſputatione, pugnaciùs locutus es: noli poſtea congredi cum imperitis: nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti, quàm debebas; itaque, non emendaſti, ſed offendiſti.* Hæc Philoſophus, & in altiſſima gentilitate; Chriſtianus, ac Religióſus ipſe quid dices?

Seneca de ira lib. 3. c. 37.

376 Porrò, modus Generalis Examinis, ex S. Ignatio, hæc quinque puncta complectitur. Primum eſt, Domino noſtro Deo, pro beneficijs acceptis, gratias agendas eſſe. Secundum, quod debemus pro cognitione, & expulſione peccatorum, gratiam flagitare. Tertium, de admiſſis præſenti die peccatis, rationem ab anima noſtra exigere, per horas ſingulas, ex quo ſurreximus, veſtigando: & primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, atque operationem, eodem ordine, quo in particulari examine. Quartum, poſcere veniam de delictis. Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem; & orationem Dominicam poſt dicta omnia recitare. Hæc S. Ignatius, qui, ex Ribadineira, & Maffeio, *In horas ſingulas ſe ſe colligebat, & à reliquis animum in Deum auocabat, conſcientiamque ſuam diſcutiebat diligentiſſimè. Quod ſi negotium intercederet grauius, vel occupatio aliqua tanta, quæ piæ conſuetudini impedimentum afferret; proxima hora, vel certè primo quoque tempore, interpoſitam moram compenſabat.* Sic enim facere oportet, vt Dei miſericordiam impetremus: ſcilicet peccata, ſeria & exactâ diſcuſſione in examinis libello

Rib. l. 5. vita S. Ign. cap. 1. Maff. lib. 3. c. 1.

describere. Audi sanctum Chrysostomum: *Si tu scripseris, Deus delebit; si verò non conscripseris, ipse Deus & scribit, & pœnas exigit*. Et S. Theodulphum: *Quantò nos memores sumus peccatorum nostrorum, tantò horum Deus obliuiscitur*.

S. Chrys. hom. 42. in Matth.
S. Theod. Episc. ep. ad presb.

DISQVISITIO TERTIA.

Quomodò certamen, per particulare Examen, cum vitijs ineundum?

377 VT ACRIVS CVM VITIIS, ETC. Pugna hæc instituitur, tum generali examine, de quo hactenùs diximus, tum præsertim Examine particularium vitiorum, quæ te vt plurimùm in tuis actibus fœdant, & oppositarum virtutum, quas magis addiscere, & animo inserere oportet. Vt enim Beda inquit, *Habet quidem vnumquodque vitium in corde nostro propriam stationem, sed si cum spiritualibus populis, id est, virtutibus contra se dimicantibus, fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ, vel fornicationis spiritus retinebat, deinde castitas obtinebit: quem furor ceperat, patientia vendicabit; quem tristitia morte operante occupauerat, incipiet excludere fortitudo salutaris, & plena gaudij lætitia possidebit: quem accedia vastabat, incipiet excolere humilitas. Et ita singulis uitijs expulsis, eorum loca, idest effectus contrarios possidebunt filij Israel, idest, animæ uidentes Deum*. Hactenùs Beda.

Beda qq. in Deut. c. 16.

378 Hæc autem pugna, vt sensim, & ex ordine, non contra omnia simul vitia, fieri debeat, sed in vnum præsertim, quod aut lædat magis conscientiam, aut scandalum pariat, Ioannes Cassianus est author: *Ita nobis*, inquit, *aduersus uitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque uitium, quo maximè infestatur explorans, aduersus illud arripiat principale certamen; omnem curam mentis, ac solicitudinem erga illius impugnationem, obseruationemque defigiens, aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraque gemituum tela contorquens, aduersus illud uigiliarum labores, ac meditationes sui cordis impendens, indesinenter quoque orationum fletus ad Dominum fundens, & impugnatinis suæ extinctionem ab illo specialiter ac iugiter poscens*. Causam addit instituendi ita certaminis cum quolibet singillatim: *Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquàm intellexerit, industria uel labore proprio, uictoriam certaminis semet obtinere non posse, cùm tamen, ut ualeat emendari,*

Cass. coll. 5. c. 14.

necesse sit, cum die noctuque in omni cura & solicitudine permanere. Tum pergit: *Cúmque se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & excipiat sibi, quam inter reliquas perspexerit diriorem, atque aduersus eam specialiùs omnia spiritus arma commoueat, & ita semper ualidioribus superatis, celerem de residuis habebit facilemque uictoriam.* Ita enim fiet, vt expulsis vitijs, quæ nos in præcipitium trahunt, sensim ac gradatim euecti per virtutum actus efferamur ad Deum. Audi hoc ipsum, vt ore planè aureo Chrysostomus doceat: *Discamus igitur, & uitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur: & sic tanquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Iacob ad cælum perueniemus.* Cùm autem per singulos menses contra quodlibet vitium certamen indicit, hoc monet, vt quoad illud expugnetur prorsus, pugna non deseratur.

S. Chrys. ho. 82. in Io.

379 Cùm mane igitur expergisceris, actis primùm Deo gratijs, vt Aluarus monet, *Firmiter propones tui custodiam circa uitium illud, aut peccatum, aut imperfectionem, à qua te cupis emendare.* Deinde bis minimùm examen institues. De tempore autem ac modo instituendi particularis Examinis, hæc S. Ignatius. Primum est matutinum, quo debet homo statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam, circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia, vt reminisci possit ille, quoties in peccatum, seu delictum istud particulare inciderit, & in posterum cauere: deinde, priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato, seu vitio iam dicto, & singulas diei partes præteritas percurrens ab ea hora, qua surrexit, vsque ad præsentem, quoties illud commiserit, & puncta totidem signet in priore linea figuræ subscriptæ: quibus peractis, denuo proponat per spatium diei reliquum, diligentiùs se se cohibere. Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post cœnæ horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore vsque ad præsens lapsis, & eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore linea figuræ sequenti similis ad hoc præparatæ. Porrò, similem praxin à Vuillelmo, insigni Præmonstrati Ordinis Asceta, referente eius vitæ Auctore, sic habes: *Die Dominico, mane considera, quoties eo die u.g. cholera peccaris ad prandium, & si contigit, ut quinquies, quinque puncta in priori linea eius diei signes, si sæpius, plura puncta, iuxta numerum delicti annotes. Vesperi autem pari ratione te ipsum ex-*

Iac. Aluar. de Vita relig. instit. lib. 2. c. 14.

Vita Vuil. lib. 2. cap. 8.

cui iasurgit hoc uitium, sed numerum punctorum in posteriorem lineam eiusdem diei u.g. Dominicæ reijcias, quæ dubio procul pauciora erunt, quam ante prandium: hocque eodem modo in singulos dies utare, neque ambigas mox futurum, ut circa idem uitium nihil omnino aut certè parum deinceps tenteris, si tamen debito modo & studio omnia peragantur, & cum proposito emendationis firmo. Quoad bonum uerò certum aliquod consequendum, idem ipse modus seruatur. Verùm in altera parte tabulæ, ut sicut antea in priori notabas puncta peccati, sic iam in sequenti huius uirtutis, u.g. laudandi Deũ, actus, eorumque multitudinem signes. Hoc exercitio fit, ut peccatum semper decrescat, & uirtus quam maximè augeatur. Hæc ille. Iconem adijcio.

TABVLA EXAMINIS PARTICVLARIS.

Notæ erratorum	Notæ Virtutum
Die Dom.	Die Dom.
Die Lun.	Die Lun.
Die Mar.	Die Mar.
Die Mer.	Die Mer.
Die Iouis	Die Iouis
Die Ven.	Die Ven.
Die Sabb.	Die Sabb.

380 Præterea S. Ignatius, ad faciliorem & celeriorem peccati seu vitij cuiusuis extirpationem, hæc addit. I. Vt quoties id peccati seu delicti genus commiseris, manu pectori admota, doleas de lap-

ſu, quod fieri poteſt etiam aſſiſtentibus alijs, nec aduertentibus. *II.* Vt ſub noctem numeratis comparatiſque inuicem punctis linearum, quarum prior priori examini, poſterior poſteriori aſſignatur, attendas, an à priore examine vſque ad ſecundum aliqua ſucceſſerit emẽdatio. *III.* Vt conferas diei ſecundæ atque præcedentis examina inuicem: conſiderans, ecquid tibi emendationis interuenerit. IV. Vt collatis hebdomadarum duarum inter ſe ſe examinibus, pari modo factæ vel omiſſæ emandationis rationem habeas. Sed de hac collatione mox dicam.

DISQVISITIO QVARTA.

Quomodò dies & hebdomadæ conferantur: & quæ nam ſit materia particularis Examinis.

381 TEMPORVM COLLATIONE EXPENSA. Planè, ex S. Ioanne Climaco, *optimus ille Trapezita eſt, qui quotidie veſperi lucrum & detrimentum omnino computat. Quod ſcire manifeſtè non poteſt, niſi ſingulis horis in tabulis omnia denotet. Nam cùm calculi ſingulis horis ponuntur, totius diei ratio poſtmodùm clariùs cognoſcitur.* Sed quia non eſt ſatis, ad cognoſcendum progreſſum, excutere geſta vnius diei; etiam collatio temporum adhibenda eſt. *Comparanda eſt dies inſtans*, inquit S. Bernardus, *diei præteritæ, vt ex eorum collatione, ſuum deprehendere poſſit Monachus, vel profectum, vel defectum*. Quod S. Baſilius ita monuerat: *Quæ ſingulis diebus feceris opera, ea veſperi tecum ipſe commemora, & cum ijs quæ feceras pridie conferto, ſtudioſèque operam dato, vt melior in dies magis ac magis exiſtas.* Sed quia diei collatio non ſufficiet, niſi etiam hebdomadæ conferantur, addit S. Chryſoſtomus: *Scrutemur quiſque conſcientiam, & rationem examinemus, & conſideremus, quidnam in hac hebdomada probè actum ſit, quid in alia: & quale augmentum fecerimus ad ſequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Imò non tantùm dies & hebdomadas, ſed, ſi fieri poſſet, momenta etiam conferre & excutere deberemus. Audi S. Dorotheum: *Perdiſcat vnuſquiſque, vbi nam ſit, quoue in ſtatu, quot iam milliaria peregerit, quantumque promouerit ſeu perfecerit: etenim non modo per ſingulos dies, verum etiam per ſingula temporum momenta, per ſingulos menſes & hebdomadas, nos ipſos ſcrutari, rimariquè ac diſcutere ſedulò debemus, & dicere nobis ipſis: Prima hebdomada, ſumma vehementia, ad talem paſſionem dilapſus ſum; nunc verò quomodò me habeo?*

S. Bern. in ſpec. men.

S. Baſ. 5. de abd. rer.

S. Chryſ. ho. 11. in breu.

S. Dor. ſer. 10

habeo? num quicquam profeci? Pari modo per singula temporum spatia dicendum: Anno præterito hac passione deuictus sum, nunc verò quomodò me habeo? atque ad eum modum per singula vitia nos ipsos debemus inspicere, num aliquantulum profecerimus, vel in eisdem volutemur, aut certè ad deteriora prolapsi simus. Hæc S.Dorotheus.

382 Iuuat tamen, ex Ludouico de Palma, vt omnium vsui exhibeatur

MATERIA EXAMINIS PARTICVLARIS
Circa defectus.

GVLA. I. Foris aut extra tempora, aut sine licentia non comedere. II. Delicatiora, aut particularia, sine euidenti necessitate, non admittere. III. Non sinere se abripi gustu & suauitate ciborum, inter comedendum cogitationem ad aliam rem indifferentem diuertendo. Palma fol. 221.

CONCVPISCENTIA. I. Nihil habere, nisi cuius apud omnes communis sit vsus. II. Non habere, nisi præcisè necessaria, quibusque carere nequeas. III. Non esse pertinacem aut importunum in petendo. IV. Nihil eligere, sed acceptare quod datur, paratum ad vilissima.

CASTITAS. I. Oculos, manus, & aures custodire, & abstinere ab omni, quod ad malum incitare potest. II. Silentium seruare, & maximè in verbis mollibus, & illectiuis. III. Sibi cauere à conuersatione familiari, secreta, periculosa, amicitijs particularibus, & personis suspectis. IV. Solicitum esse, vt cogitationes sint puræ in conspectu Dei.

IRA. I. In verba iniuriosa, & amara non prorumpere. II. Non altè loqui, aut vociferari. III. Non conqueri, aut minari. IV. Iræ motus comprimere, non permittendo se abripi suspicionibus, detractionibus, aut vindicta.

LINGVA. I. Non loqui extra tempora, nec de rebus inutilibus, non contendere, nec altè loqui. II. Non lædere famam absentis. III. Dictis aculeatis non pungere præsentes. IV. Non miscere sales, & lepores minùs vrbanos.

SVPERBIA, & VANAGLORIA. I. Se non laudare, nec de se suisque rebus loqui; nec velle innotescere, si caritas, & obedientia hoc non imperent. II. Suos defectus non excusare. III. Nec directè, nec indirectè honorifica prætendere, sed sui obliuisci seque committere alienæ dispositioni. IV. Sine mora cogitationibus vanis occurrere.

MODESTIA. Non agitare leuiter caput; manus seruare quietas; non corrugare frontem aut nasum; in cachinnos non prorumpere; pileum, reliquumque vestitum habere decenter composita.

Circa Exercitia Spiritualia.

Primum fecisse distributionem temporis in rebus, quæ meo arbitrio relinquuntur, eamque exactè seruare. II. Omnia Exercitia spiritualia, quantum fieri poterit, suis horis facere. III. Seruare in illis accuratè, quæ præscribuntur.

Quoad Ministeria.

I. Ea exactè facere, non se excusando, nec onus in alios reÿciendo, nec habendo acceptionem personarum. II. Defectus suos circa suauitatem, maturitatem, rigorem, & negligentiam seu remissionem &c. diligenter examinare, & remedio inuigilare.

Quoad Recreationes.

Firmiter statuere, nullam velle sine rei vtilis narratione recreationem transigere, multoque minus, si extra recreationum tempora, cum domesticis aut secularibus sit agendum.

Circa Exercitium Virtutum.

Actiones virtutum aliquæ sunt exteriores, aliæ interiores: & vtrarumque producemus exempla, vt de illis examen particulare fieri possit, certas sibi vices præscribendo, quibus tales virtutum actus tam mane quam vesperi erunt exercendi.

ACTIONES EXTERNÆ HVMILITATIS sunt: Prima, Demissè *de se loqui, vel aliquem suum defectum in medium proferre, vel sua eleuare. II. Primum semper aliÿs locum deferre in honore, idque verbis & re ipsa, ÿs in omnibus cedendo, & cum illis tanquam cum Superioribus agendo. III. Aliqua officia humilitatis obire.*

ACTVS INTERNI HVMILITATIS. Primus, meos defectus agnoscere, & pro ÿs veniam petere. II. Multa, in quibus aliÿ me superant, notare, ÿsque me subÿcere. III. *Proponere mihi occasiones contemptus, & iniuriarum, quæ inferantur, earumque perpessione gaudere.* In *quibus omnibus opus est prudentia, vt non fingamus nobis chimeras in aere, sed discursum reducamus ad res moraliter possibiles, statui, & officio conuenientes, ad earum lubentem tolerantiam animum disponendo, &c.*

ACTVS EXTERIORES OBEDIENTIÆ. Primus, Ad pulsum campanæ, & ad Superioris vocem accuratum esse. II. *Prompta, & deuo-*

ta executio ordinationum, & voluntatis ſuperioris. III. *Officialibus ſubordinatis ſine replica & cum humilitate obedire.* IV. *Aequalibus etiam & inferioribus in quibuſdam rebus obedire, ipſorum ſe iudicio, meo poſthabito, & voluntati accommodando.*

ACTVS INTERNI OBEDIENTIÆ: Primus, Voluntatem & iudicium meum Superioris iudicio ſubmittere. II. *Actu bonam intentionem inter operandum exercere, v.g. hoc facio vt obediam.* III. *Difficiles mihi obediendi occaſiones proponere, & ad illas me diſponere; idque cum prudentia de qua ſuprà.*

Poſſunt etiam certo numero exerceri actus Fidei, Spei, & Charitatis, ad rectificandam intentionem, & ſimiles actus pro capacitate & diſpoſitione illius qui ſe exercet. Sed cùm tam multiplex ſit examinis particularis materia, ſequitur, vt illam eligam quæ mihi maximè conuenit.

383 Id autem, exercitiorum initio, maximè omnium eſt curandum, vt præter ſedulam conſcientiæ diſcuſſionem, & moderatam corporis caſtigationem, quam dixi, incuſſo peccatorum odio, ingentique dolore de ijs ſæpius excitato, ac firmato penitùs propoſito Deo in poſterum ſtudioſiſſimè ſeruiendi, Solitarij animus perpurgetur: quod præſertim fiet, iterato hoc, aut ſimili actu Contritionis. *Domine* Ieſu *Chriſte, verus* Deus *& homo, Creator & Redemptor meus, pœnitet me ex toto corde, quod offenderim te* Dominum *meum &* Deum *meum, quem amo ſuper omnia. Et propono firmiter, ampliùs non peccare, omneſque peccandi occaſiones deuitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit iniuncta. Et in ſatisfactionem peccatorum meorum, offero tibi Paſſionem tuam, merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam. Et confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quòd per merita pretioſi ſanguinis ac mortis tuæ, mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea, & gratiam vberem largiturus, qua vitam ſanctè inſtituere, tibique perfectè vſque ad finem ſeruire valeam. Qui cum Patre ſanctoque Spiritu viuis ac regnas Deus, in ſecula benedictus, Amen.*

(✠)



LIBER XI.

De meditandi materia, & vsu Orationis Mentalis.

Meditationum puncta & materia, iuxta nostrorum Patrum veterum morem, ex sacris Euangelijs, ac D.N. Iesu Christi vita, frequentius hauriatur, eo tamen ordine, quem Director, iuxta cuiusque exigentiam, indicauerit; vel ex probatis Auctoribus peti possunt. Sed Praefecti & Directores, in iunioribus praesertim exercendis, hoc curent, vt omnes probè, in orandi modo, iuxta Ritum nostri Ordinis instruantur.

DISQVISITIO PRIMA.

De habendo apud nos Euangeliorum Codice, ac Meditationum materia, ex sacris semper eisdem Christi Euangelijs haurienda.

384 IVXTA NOSTRORVM PATRVM MOREM. Nostri Ordinis Conditorum, & in primis sanctissimi Pauli Papæ Quarti monitum, & inuentum fuit, vt à nostris meditationum materia, ne dum in recessu, quem ipso fundatæ Congregationis, & cuiusque domus initio, coluerunt; sed quotidie, ac perpetuò semper, ex sacris Euangelijs hauriretur: ita tamen, vt quatuor omnes Euangeliorum historiæ, mensis vnius spatio, percurrantur. Quæ Euangeliorum sane partitio & ordinatio, B. Andreæ manu exarata extat; ac de ea, & Antonius Caracciolus, & Iosephus Silos, hæc habent: *Proposuerant nanque sibi* (nostræ Congregationis Institutores,) *vel ab ipso Religionis exordio, diurna inter pensa, aliquid ex Euangelijs quotidiè legere: factaque ab Episcopo Theatino quotidiani operis partitione, qua singulis quidem hebdomadis vnum ex ijs interim percurrebant, singulis verò mensibus absoluebant quatergeminum; id impigrè perficiebant.* Diuisio autem, vt referunt ijdem, hæc erat.

Carac. in vita Paul. IV. Sil. hist. to. 1. lib. 3. fol. 112

Matthaeus.	Fer. V. *Cap.* 22. 23. 24. 25.
Dominica. *Cap.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.	Fer. VI. *Cap.* 26. 27.
Fer. II. *Cap.* 8. 9. 10. 11. 12.	Sabb. *Cap.* 28.
Fer. III. *Cap.* 13. 14. 15. 16. 17.	*Marcus.*
Fer. IV. *Cap.* 18. 19. 20. 21.	Dominica. *Cap.* 1. 2. 3.

Fer. II. *Cap.* 4.5.	Fer. V. *Cap.* 17.18.19.20.21.
Fer. III. *Cap.* 6.7.8.	Fer. VI. *Cap.* 22.23.
Fer. IV. *Cap.* 9.10.	Sabb. *Cap.* 24.
Fer. V. *Cap.* 11.12.13.	*Ioannes.*
Fer. VI. *Cap.* 14.15.	Dominica. *Cap.* 1.2.3.
Sabb. *Cap.* 16.	Fer. *II.* *Cap.* 4.5.6.
Lucas.	Fer. *III.* *Cap.* 7.8.9.
Dominica. *Cap.* 1.2.3.4.	Fer. *IV.* *Cap.* 10.11.12.
Fer. *II.* *Cap.* 5.6.7.8.	Fer. V. *Cap.* 13.14.15.16.17.
Fer. *III.* *Cap.* 9.10.11.	Fer. VI. *Cap.* 18.19.
Fer. IV. *Cap.* 12.13.14.15.16.	Sabb. *Cap.* 20.21.

385 Quàm verò hæc assiduè manu tererent, ac gestarent, idem narrat inferiùs: *Porrò, inquit, vt designatam eam Euangeliorum partem omnino Patres illi perlegerent, nouum Testamentum assiduè ferè terebant, ac gestabant manibus: proindeque in antiquioribus è nostris domibus, hoc est, Venetijs, Romæ, Neapoli, pleraque Euangeliorum volumina, parua quidem vsuque ac sanctissimorum senum manu detrita reperta fuere.* Hæc iterum Silos. Sed laudabilem Ritum, prisco sanctorum Patrum exemplo, confirmemus. *Idem fol. 112.*

386 Fermè Domini nostri Euangelium gestari olim ab ipsis Apostolorum temporibus solitum, non vnus disertè Autor ostendit: idque apertissimè probant Cardinalis Baronij non vno firmata testimonio authoritas, & exempla Barnabæ Apostoli, qui cum ipso Matthæi Euangelio, vt petierat, est sepultus; Cæciliæ, quæ illud pectore ferebat; Theophilæ, quæ illud secum in lupanar ipsum inuexit, ad sui præsidium, contra impurissimorum iuuenum petulantiam; Augustini, qui vel inter honesta ludicra, iocis ipsis allaturum pondus, Euangelium deferebat; Theodosij Imperatoris, qui sua manu descriptum ad regulam cultumque morum semper ob oculos habuit; & Iustiniani item Cæsaris, qui venit in circum, & in sua sede gestans manu Euangelium. Loca non adscribo: habes quippe omnia vel in Caracciolo, vel in Silo, vel in Cresolio. *Carac. in vita Pauli IV. Sil. hist. lib. 3. Cresol. in myst. Simeon. Met. in Actis S. Euplij.*

387 Adde S. Euplium comprehensum cum Euangelio, quod Caluisiani sententia eius collo alligatum fuit. De eo enim hæc Metaphrastes: *His auditis impius Caluisianus, iussit B. Euplium deuinciri, & sanctum Euangelium in eius collo alligari, & tanquam in pompa aliqua sic educi, & in carcerem conijci.* Eundem Euangelij codicem deferebat S. Bonifacius Moguntinus: quem dum sicarijs obiecit, quo se veluti clypeo tueretur, miraculo accidit, vt codex gladio secaretur, literis tamen illæsis. Hæc Surius: *Repertus est S. Euangelij codex,* *Surius in vita S. Bonif. 5. Iunij.*

quem vir Beatus pro sanctitate sua iugiter apud se ferre consueuerat. Inuenio etiam fuisse veterum morem, vt reprimendæ concupiscentiæ causa Euangelium circumferrent: ac si Euangeliorum codex instar fræni esset, quod lasciuientes carnis motus comprimeret, & impuras cogitationes inhiberet. Exemplum ab Apostolorum æuo Petrus de Natalibus prodit: *Senex quidam Nicolaus venit ad Apostolum Andream, dicens, septuaginta annis, quibus vixerat, continere se non potuisse; semper luxuriæ deseruisse, & quod aliquando ad carnis concupiscentiam refrænandam Euangelium super se ferebat: & dum lupanar intrasset, oblitus Euangelium deponere; Audiuit à meretrice, quod videbat mirabilia; quæ etiam se ab illo tangi non permisit*. Eandem fræni vim, quæ carnales appetitus coerceat, tribuit S. Euangelio B. Petrus Damiani; cùm ait: *Per Zachariam dicitur: In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino vocabitur. Frænum equi sanctum est Euangelium*. Ægrò item, & in lecto iacentis capiti, Veteres Euangelium admouisse, colligimus ex S. Augustini verbis: *Cùm caput tibi dolet, laudamus si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturas cucurreris. Ad hoc enim est perducta infirmitas hominum; & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus, quando videmus hominem in lectulo suo constitutum, iactari febribus, & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi vt sibi Euangelium ad caput poneret*. Addit tamen S. Pater vtiliùs ob animæ sanitatem ad cor poni Euangelium, quàm ad corporis caput: *Si ergo*, inquit, *ad caput ponitur, vt quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur, vt sanetur à peccatis? Fiat ergo: quid fiat? ponatur ad cor, sanetur ut cor*. Gestari etiam passim à feminis & pueris collo suspensum, tradit S. Chrysostomus: *Non cernis, ut mulieres, & parui pueri, pro magna custodia collo Euangelia suspendunt, & vbique circumferunt, quocunque abierint?* Quidni ergo & manu passim ab Religiosis & Euangelicis hominibus deferantur?

Pet. de Nat. lib. 1. c. 8.

B. Pet. Dam. lib. 6. c. 22.

S. Aug. to. 7. in loc. a.

Idem Ibid.

388 At illud ampliùs obseruo, parua scilicet vocari Euangelia, quæ à nostratibus gestabantur, hoc est, in libellum coacta, vt commodiùs, quocunque pergerent, manu haberent. Hæc Silos: *Clarè constat, parua illa Euangeliorum volumina etiuisse nostrates, recepto ab ipsa Apostolorum ac veterum Patrum memoria laudabili usu*. Et parua olim erant, quæ veteres prisco seculo deferebant, vt Isidorus Pelusiota sic ait: *Etiam nunc feminæ parua Euangelia gestant*.

Sil. hist. lib. 3 fol. 113.

389 Sed cur Euangeliorum codex nostris assiduè in manu fuit, nisi vt inde quotidie discerent, quod orarent; & quæ haurirent Christi monita, ipsi moribus certatim exprimerent? Porrò, Ioannes Rhò è Societate Iesu, nostri Ordinis Conditorem, & primos eius soda-

les, de hac Euangeliorum gestatione, meditatione, & imitatione, sic laudat: *Ceterùm Paulus (IV.) ita uenerabatur diuinos illos codices, ut & continenter ipse legeret, totisque commoueretur medullis, quasi loquentem audiret Deum: & sodales suos Theatinos, particulis per singulos dies descriptis, diurna uersare atque nocturna uoluerit manu. Opinor, ut sicut olim Serapion interroganti, quid ita nudus ageret, sublato Euangeliorum codice, respondisse fertur: Hic liber me spoliauit; ita ipsi quærentibus, quòd ita humana omnia insuper haberent, ad codicem, cui assueuerant, digitum intendentes, dicerent: Hic nos docuit.* Bene ergò secedimus, vt Euāgeliorū verba, hoc est, Christi Domini vocē, quæ clariùs in solitudine auditur, mēte expendamus, & tamdiu meditemur, quoad cordi omnium altiùs imprimantur. Quì enim fiat vt verè quispiam Religiosus & Theatinus, hoc est, rerum omnium humanarum contemptor euadat, qui loquentem Christum in Euangelio, cordis auribus, non primùm audierit? Vel quis vnquam excepit seriò Christi vocem, qui statim se ipsum inprimis, & mundana omnia non neglexerit? Hæc planè Euangeliorum est ratio, vt siue quis rudis siue doctus, in quouis etiam statu fuerit, ea sibi in illis euoluendis & recolendis statim inueniat, quibus ipse, vel extirpandis vitijs, vel inserendis virtutibus, opus habet. Rhò de var. vir. hist. lib. 3. capit. 12. num. 1.

Ludouicus Pontanus, è Societate Iesu, insignis mente orandi Magister, de sacrorum Euangeliorum lectione, ac meditatione, sic censet: *Propterea dixit S.Gregorius, in pelago diuinarum scripturarum agnum ambulare, & elephantem natare. Simplices enim sicut agni, multas habent ueritates expeditas, quas legant & securè meditentur, transuadentes profunditatem huius pelagi per eius littus: Qui uerò sunt magni ingenij, inueniunt altissima mysteria in tanta profunditate, ut non inueniant ubi pedem figant: non tamen periclitabuntur, si natent humiliter, subijcientes proprium iudicium, & uenerantes arcana, quæ non assequuntur. Quare vtrique, lectione & meditatione, vt oportet, peractis, easdem obtinent proprietates, ita vt, si cupias stabilitatem in diuino seruitio, animi magnitudinem, sanctitatis culmen, & eleuatam contemplationem, ibi sis omnia inuenturus: & si velis altas radices iacere in timore Dei, & terribilitate iudiciorū eius, libenterq; amplecti crucē Christi, bibere mare amarū laborū eius, tua peccata amarè deflere; ad hæc omnia lectio hæc & meditatio* (de Christi Euāgelijs loquitur) *animū tibi addit.* Et iterū ex S.Gregorio, *Sicut enim Manna*, inquit, *vnus erat cibus, omne tamen delectamentū & omnis saporis suauitatē in se habens, ita volūtati iusti illud comedentis sese accōmodabat, vt saporē ei afferret, quē ille uellet: Ita uerbū Dei, quod est in sacro Euāgelio, audientiū & legentium conditioni se accommodat, dando cuique spiritualem refectionem, quam eius necessitas bonumque desiderium postulant.* Hæc ille. S. Greg. in prol. Moral. capit. 4. S.Ber. serm. 6. paru. Lud. Pontan. in Duce spirit. tr. 2. c. 2. §. 1. fol. 67. Idem ibid. fol. 472. S. Greg. lib. 10. moral. c. 9.

DISQVISITIO SECVNDA.

De ſerie Meditationum, quæ à nobis haberi poterunt, quatuor Hebdomadis in ſingulos dies.

390 EO TAMEN ORDINE ETC. Quis ordo, inquies, & quænam ſeries, in legendis, ac meditandis Euangelijs, eſt habenda? Hoc planè Directoris eſt munus, & eius ſolius arbitrio diſponendum; qui loca cuique apta ſeliget, & ad meditandum in dies ſingulos indicabit. Verùm ego, iuxta quatuor ſpiritualium Exercitiorum hebdomadas, vt fieri communiter ſolent, ad priſcum noſtrorum morem, cùm plures ex iunioribus, in receſſu, verſantur; ſcripta hæc loca, & parieti ſingillatim affixa, quotidie ſic propono.

PRIMÆ HEBDOMADÆ

DIES I.

De creati hominis Fine, & Diuinis Beneficijs.

Diliges Dominum *Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc eſt maximum & primum mandatum.* Matth.22.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim. Matth.21.

Homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum &c. poſt multum verò temporis venit Dominus *ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* Matth.25.

Secundus dies de Peccatis.

Erat autem quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quià iam multum tempus haberet, dicit ei, vis ſanus fieri? Io. 5.

Cùm ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes, Ieſu præceptor miſerere noſtri. Quos vt vidit, dixit: Ite oſtendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

Tertius dies de Morte.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. Luc. 7.

Nouiſſimè vero veniunt & reliquæ Virgines dicentes, Domine Domine

aperi nobis: at ille respondens ait, Amen dico vobis nescio vos: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. Matth. 25.

Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Luc. 12.

Quartus dies de peculiari & vniuersali Iudicio.

Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Luc. 13.

Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Luc. 11.

Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animæ sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. Matth. 16.

Quintus dies de Inferno.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit; dixit autem ad cultorem vineæ, ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? Luc. 13.

Amice, quomodò huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium: multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22.

Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno: eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei &c. Luc. 16.

Sextus dies de Reditu ad Deum.

Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus &c. Luc. 15.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient &c. Ioan. 10.

Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis, congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico autem vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Septimus dies de Perfectione Religiosi Hominis.

Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum. Matth. 5.

Non mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est Regno Dei. Luc. 9.

Intrate per angustam portam, quia lata porta & speciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Matth. 7.

Octauus dies de abijcienda omnium humanarum rerum solicitudine & cura.

Nolite ergo soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim Pater uester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6.

Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quantò magis uos pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent, dico autem uobis: neque Salomon in omni gloria sua uestiebatur sicut unum ex illis. Si autem fœnum quod hodie est in agro & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit; quantò magis uos pusillæ fidei? Luc. 12.

Scit enim Pater uester, quid opus sit uobis antequam petatis eum. Sic ergo uos orabitis: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra &c. Matth. 6.

SECVNDÆ HEBDOMADÆ
D I E S I.

De Annunciata B. Mariæ Virgini Christi Incarnatione, de Visitatione Cognatæ eius Elisabeth, & de Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

Et ingressus Angelus ad Eam dixit, Aue gratia plena &c. ecce concipies in utero, & paries Filium &c. Et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua &c. Ecce Ancilla Domini &c.

Vt audiuit Salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in utero eius, & repleta est Spiritu S. Elisabeth, & exclamauit uoce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui &c. Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum.

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium &c. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu S. & prophetauit, dicens, Benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Luc. 1.

Secundus dies de Chriſti Natiuitate, Angelorum ac Paſtorum gaudio, & pueri Ieſu Circumciſione.

Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.

Et paſtores erant in regione eadem &c. & dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo &c. & uenerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio &c. & reuerſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes Deum.

Et poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer, uocatum eſt nomen eius Ieſus, quod uocatum eſt ab Angelo priuſquàm in utero conciperetur. Luc. 2.

Tertius dies de Magorum Regum adoratione, muneribus, & reditu.

Magi ab Oriente uenerunt Ieroſolymam dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? uidimus enim ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum.

Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Matth. 2.

Quartus dies de Purificatione B. Virginis, pueri Ieſu Præſentatione, & Simeonis Prophetia.

Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſàlem, ut ſiſterent eum Domino *&c. ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.*

Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon &c. & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis &c.

Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Luc. 2.

Quintus dies de fuga in Ægyptum, Infantum occiſione, & pueri Ieſu reditu.

Ecce Angelus Domini *apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, ſurge, accipe puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi, uſque dum dicam tibi; futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*

Tunc Herodes uidens, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt ualde, &

mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius &c.

Defuncto autem Herode, ecce Angelus apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel. Matth. 2.

Sextus dies de Pueri gratia, & ipso à parentibus amisso, ac post triduum inter Doctores inuento.

Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ.

Et cùm factus esset annorum duodecim ascendentibus illis Ierosolymã &c. cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt Parentes eius &c. & requirebant eum.

Post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes &c. & descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

Septimus dies de Ioanne in Iordane, de Christi Baptismo, & de Spiritu sancto in columbæ specie super eum.

Venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem: vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

Iesus dixit ei: sine modò; sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua.

Et ecce aperti sunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de cælo dicens, Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui. Matth. 3.

Octauus dies de Christi ieiunio in Deserto, Diaboli tentationibus, & ministerio Angelorum.

Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo: *& cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.*

Et ascendens tentator dixit ei, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant &c. Mitte te deorsum &c. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Tunc reliquit eum Diabolus; *& ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Matth. 4. Luc. 4.

TRETIÆ HEBDOMADÆ

DIES I.

De sanctorum Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis, Apostolorum vocatione.

Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem,

dicit, ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum &c. Erat autem Andreas &c. inuenit hic primum fratrem suum Simonem &c. & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Ioan. 1.

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam &c. & cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam &c. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens, Exi à me Domine, *quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant &c. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Luc. 5.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare &c. & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre secuti sunt eum. Matth. 4.

Secundus dies de aqua in vinum conuersa, de fugatis è templo negotiatoribus, & de sermone habito in monte.

Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum, vinum non habent &c. Dicit *ei Iesus, Implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam &c.* Ioan. 2.

Et ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues & boues, et nummulariorum effudit æs, et mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. ibid.

Videns autem Iesus turbas ascendit in montem, et cùm sedisset etc. docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu etc. Beati mites etc. Beati qui lugent etc. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam etc. Beati misericordes etc. Beati mundo corde etc. Beati pacifici etc. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me; gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. 5.

Tertius dies de ſedata maris tempeſtate, de ſeceſſu in montem, & de ambulatione ſuper aquas.

Et aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat &c. & dicit eis Ieſus, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari. Matth. 8.

Et dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare &c. ſtatimque Ieſus locutus eſt eis dicens, Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere.

Reſpondens autem Petrus dixit, Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. At ipſe ait; Veni. Et deſcendens Petrus de nauicula ambulabat &c. videns verò ventum validum timuit. Et cùm cœpiſſet mergi clamauit &c. Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitaſti? Matth. 14.

Quartus dies de miſſis ad prædicandum Apoſtolis.

Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite. Gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam &c.

Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Matth. 10.

Quintus dies de Mariæ Magdalenæ conuerſione ac remiſſione, & de refectione quinque millium hominum.

Ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix &c. ſtans retro ſecus pedes Ieſu, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat &c.

Propter hoc dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum &c. Dixit *autem ad illam: Remittuntur tibi peccata, &c. Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Luc. 7.

Exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis &c. & cùm iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum benedixit & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Mandu-

cantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Matth. 15.

Tertius dies de Chriſti Transfiguratione.

Aßumpſit Ieſus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius, et duxit illos in Montem excelſum ſeorſum, et transfiguratus eſt ante eos, et reſplenduit facies eius etc.

Et ecce apparuerunt illis Moyſes et Elias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe etc.

Et ecce vox de nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, et timuerunt valde. Et acceßit Ieſus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere. Matth. 17.

Septimus dies de Chriſti ad Mariam & Martham acceſſu, de Lazari ſuſcitatione, & de cœna apud Bethaniam.

Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno excitem eum etc. Ego ſum reſurrectio et vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: et omnis qui viuit et credit in me non morietur in æternum.

Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus, Soluite eum & ſinite abire. Ioan. 11.

Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania, acceßit ad eum mulier, habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes, vt quid perditio hæc? Matth. 26.

Octauus dies de Ingreſſu in Ieroſolymam, de Prædicatione in templo, & de vltima Cœna.

Et cùm appropinquaßent Ieroſolymis &c. miſit duos diſcipulos &c. & adduxerunt aſinum & pullum: & impoſuerunt ſuper eos ueſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via &c. Matth. 21.

Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum & Scribæ, & principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum. Luc. 19.

Cœpit lauare pedes diſcipulorum &c. Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli &c. erat ergo recumbens vnus &c. in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, &c. Reſpondit Ieſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm

intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam introiuit in eum satanas. Dicit ei Iesus, Quod facis fac citiùs. Ioan. 13.

QVARTÆ HEBDOMADÆ
DIES I.

De Oratione in Horto, Apparitione Angeli, & Christi Comprehensione.

Et assumit Petrum & Iacobum & Ioannem secum, & cœpit pauere & tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic & vigilate. Et cùm processisset paululùm, procidit super terram: & orabat, vt si fieri posset transiret ab eo hora, & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me; sed non quod ego volo, sed quod tu. Matth. 14.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos &c. ait illis: Quid dormitis? surgite, orate ne intretis in tentationem. Luc. 12.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus &c. & confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi, & osculatus est eum &c. Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum *&c. In ista hora dixit* Iesus *turbis: Tanquam ad latronem existis &c. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Matth. 26.

Secundus dies de Traductione ad Annæ domum, de Gestis in domo Caiphæ, & de Accusatione apud Pilatum.

Comprehenderunt Iesum*, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm &c. Sequebatur autem* Iesum *Simon Petrus, & alius discipulus &c. Pontifex ergo interrogauit* Iesum *de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei* Iesus*: Ego palam locutus sum mundo &c. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu.* Ioan. 18.

Iesum duxerunt ad Caipham &c. Principes autem Sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum etc. Princeps ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei. *Dicit illi Iesus, Tu dixisti. etc. Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt etc. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, qui dixerat illi, Priusquàm gallus cantet, ter me negabis: Et egressus foras, fleuit amarè.* Matth. 26.

Duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum dicens: Tu es Rex Iud*æorum? At ille respondens ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus etc. nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes, Commouet populum etc.* Luc. 23.

Tertius dies de Transmissione ad Herodem, de Reuersione ad Pilatum, & de Condemnatione ac Crucifixione Iesu Christi.

Pilatus autem audiens Galilæam etc. ut cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem etc. Herodes autem uiso Ies*u gauisus est ualde, erat enim cupiens ex multo tempore uidere eum, et sperabat signum aliquod uidere etc. interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum ueste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Pilatus et Herodes.* Luc. 23.

Vultis ergo dimittam uobis Regem Iudæorum? Clamauerunt rursum omnes dicentes, Non hunc sed Barrabam etc. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ie*sum, et flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, et ueste purpurea circundederunt eum. Et ueniebant ad eum, et dicebant, Aue Rex* Iud*æorum, et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus, et dicit eis etc. Ecce homo. Cùm ergo uidissent eum Pontifices et ministri, clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum.* Ioan. 18. & 19.

Quærebat Pilatus dimittere eum. Iud*ei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus etc. Pilatus autem etc. dicit* Iud*ais, Ecce Rex uester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicit *eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem* Ies*um, & eduxerunt eum. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum &c. vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem* Ies*um. Scripsit autem & titulum Pilatus &c.* Ioan. 19.

Quartus dies de septem Christi Domini Verbis in Cruce, & de eius Sepultura.

Iesus autem dicebat, Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius miserunt sortes &c. & deridebant eum &c. dicentes, Alios saluos fecit, se saluum faciat &c. Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens, Si tu es Christus

saluum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum &c. & dicit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Luc.23.

Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius &c. cùm vidisset ergo Iesus Matrem & Discipulam *stantem quem diligebat, dicit Matri suæ, Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit* Discipulo, *Ecce mater tua &c. postea &c. dicit, Sitio &c. Cùm ergo accepisset Iesus acetum dixit, Consummatum est.* Ioan.19.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram &c. & circa horam nonam, clamauit Iesus voce magna dicens, Eli Eli, lammasabacthani? hoc est, Deus meus, *Deus meus, vt quid dereliquisti me? &c. Iesus autem clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est &c. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt &c. Cùm autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph &c. & accepto corpore &c. inuoluit illud in sindone munda: & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra &c.* Matth.27.

Quintus dies de Christi Apparitione facta Mulieribus, Petro, & duobus Discipulis.

Maria Magdalena, & Maria Iacobi *& Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum &c. & respicientes viderunt reuolutum lapidem &c. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris &c. qui dicit illis: Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum? surrexit, non est hic &c. Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Mar.16.

Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare Discipulis *eius, Et ecce* Iesus *occurrit illis dicens, Auete. Illi autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere. ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth.vlt.

Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abijt secum mirans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in Castellum &c. & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis &c. Et ipse dixit ad eos, ò stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ etc. et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, et inuenerunt congregatos vndecim, et eos qui cum illis erant, dicentes, quod surrexit Dominus verè, et apparuit Simoni. Luc.vlt.

Sextus dies de alijs Christi Apparitionibus Discipulis congregatis.

Cùm ergo sero esset &c. & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus &c. insufflauit & dicit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Et post dies octo, iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus &c. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc &c. & noli esse incredulus sed fidelis. *Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Dicit ei Iesus, *Quia vidisti me Thoma credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20.

Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus & Nathanael &c. & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Si*mon Petrus, Vado piscari &c. & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit* Iesus *in littore &c. dixit eis, Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Dicit ergo *Discipulus ille quem dilIgebat* Iesus, *Petro,* Dominus *est.* Ioan. vlt.

Vndecim autem Discipuli *abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Dominus. Et uidentes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Matth. & Marc. vlt.

Septimus dies de Regno Dei, de Christi Ascensione, & Electione S. Mathiæ.

Quibus, & præbuit se ipsum viuum, post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei &c.

Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet &c.

Tunc reuersi sunt Ierosolymam *à monte qui vocatur Oliueti &c. & cùm introissent in Cænaculum, ascenderunt vbi manebat Petrus et* Ioannes, *et Iacobus et Andreas etc. Hi omnes erant perseuerantes unanimiter in oratione et obsecratione, cum mulieribus et Maria Matre Iesu, et fratribus eius. In diebus his exsurgens Petrus in medio fratrum dixit etc.*

Oportet ergo ex his uiris etc. teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri unum ex iſtis etc. et cecidit ſors ſuper Mathiam, et annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis: Actor. 1.

Octauus dies de Aduentu Spiritus ſancti, de varijs linguis Apoſtolorum, & de Sermone S. Petri.

Erant omnes pariter in eodem loco, et factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus uehementis, et repleuit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum.

Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: et cæperunt loqui uarijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi*, uiri religioſi, ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac uoce, conuenit multitudo, et mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad inuicem etc.*

Stans autem Petrus cum undecim leuauit uocem ſuam, et locutus eſt eis: Viri Iudæi *etc. auribus percipite uerba mea, non enim ſicut uos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus dicit* Dominus: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem etc.* Actor. 2.

Habes igitur, vt eſt plurimorum monitum, Viæ Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ Meditationes vtcunque diſpoſitas; & qui noſtro olim Ordini ritus fuit, Vitæ Chriſti Myſteria, & ſacrorum Euangeliorum hiſtorias, inſigniora ſaltem, ita digeſta, vt menſis vnius ſpatio, omnia commodè percurrantur. Sacrorum etiam Euangeliorum connexionem plurimùm commendamus à Cæſare Becillo Presbytero Congregationis Oratorij luci datam. Mox easdem ſacræ Paſſionis hiſtorias in Horologium coactas exhibeamus.

DISQVISITIO TERTIA.

De ſingulis Paſſionis Chriſti Myſterijs, horis ſingulis ex ordine recolendis.

392 AC D.N.IESV CHRISTI VITA. Quoniam, à Venerabili M.N.D. Vrſula Benincaſa inſtituimur, vt in ſingulas horas, quoad fieri poteſt, de Paſſione Domini aliquid

recolamus, non abs re fuerit, Horologium huc adijcere, quod D. Maria Magdalena Vrsina, prima Nostrarum Theatinarum Eremicolarum Antistita, claritate generis, ac cunctis sanè virtutibus ornatissima, ad suarum sodalium documentum, & materiam meditationis horariæ, concinnauit: tametsi à nobis paucis exhibeatur, *to.1. lib.3. disq.4. à fol.124. usque ad* 149. fusiùs explicatum.

393 Itaque *feria. V.* Mensis Martij exeuntis Anni XXXIII. & ineuntis XXXIV. *ab Hora XXIV.* recumbit Iesus cum discipulis suis ad esum agni paschalis: surgit à cœna: & abluit duodecim Apostolis pedes. *A prima Hora* noctis, in altera Cœna, Corpus & Sanguinem dat in cibum: instituit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ac sacrificium: Apostolos initiat Sacerdotio. *Hora II.* dilectus Ioannes supra pectus Domini requiescit. Iesus intinctum panem porrigit Iudæ, vt innuat à quo sit tradendus: ac benè longam concionem instituit, qua Discipulos suos & blandè solatur, & in fide roborat, eisque pollicetur Spiritum sanctum. *Hora III.* hymno dicto dat se in viam, torrentem Cedron versus: & in Horto Gethsemani primùm orat. *Hora IV.* orat iterum, & ad Apostolos redit, & dicit Patri, Fiat voluntas tua: quæ interdum ori verba, in filij sui Passione, sanctissimam Virginem habuisse, credendum est: eadenque nos frequenter in aduersis omnibus vsurpare debemus. *Hora V.* inter orandum, sanguis ei copiosè è toto Corpore fluit: quo in cruciatu & agonia, solatur cum Angelus Gabriel è Cælo delapsus. *Hora VI.* media nocte, Iudæorum satellites in eum manus inijciunt, arctè vinciunt ne diffugiat: deseritur à Discipulis: ac Filij captura B. Virgini nuntiatur. *Hora VII.* ad Annam ducitur, & multis interrogatur de discipulis ac doctrina: & ibi Petrus primùm Dominum negat. *Hora VIII.* ab Anna ad Caypham raptatur, vbi ferrea manu colaphus ei dirus impingitur: ac Petrus denuò Christum negat. *Hora IX.* iudicatur in Concilio reus mortis: ac ipsum tertiò negat Petrus. *Hora* X. in atrio ad ficulneam vinctus illuditur, cæditur, facies ei velatur, conspuitur: & irrisoriè ab eo quæritur, vt qui se percusserit prophetizet. *Hora XI.* sextæ feriæ, iterum Concilium cogitur à Principibus Sacerdotum aduersus Iesum: & tradere eum Pilato constituunt. *Hora XII.* magnis per omnes vias illusionibus ac clamoribus vinctum ad Pilatum adducunt. *Hora XIII.* apud eum falsò accusatur: ac varia quærit Præses, quibus nihil ipse respondet. *Hora XIV.* mittitur à Pilato ad Herodem, à quo veste alba vt fatuus induitur & illuditur. *Hora XV.* post Pilati examen, Barrabæ homini seditioso ac homicidæ posthabitus, exuitur vesti-

Vide to. 1. fol. 126. lit. C. vbi numerus ac pulsus Horarũ discrepat, quòd ibi Engelgranium sim secutus, hic lectissimam M. Vrsinam, Antonium Balingh. Nerèberg. & alios.

bus, ac diriſſimè flagellatur: ac fuere quidem verbera, vt noſtra Mater aiebat, *6666.* cui voluit numero vt tot nummi aurei reſponderent, quibus Eremi locus eſt emptus. *Hora XVI.* corona ſpinea redimitur: variéque illuditur & affligitur. Producit ac oſtendit eum Pilatus populo, & ait, *Ecce homo*, vt eo conſpectо tam immaniter dilaniato, hac pœna ſatiaretur: ſed poſtulat illum in crucem agi. Tunc morti adiudicatur, & præparatur ei Crux. *Hora XVII.* Crucem Ieſus ſuis humeris baiulat ad ſupplicij locum: videtque illum Mater inter eundum: myrrhato vino potatur, ac configitur ligno. *Meridie Hora XVIII.* cum magno populi gaudio ſuſtollitur Crux: ac Ieſus impiè blaſphematur. *Hora XIX.* orat Patrem, vt dimittat ijs, qui ſe crucifixerant. Latroni pœnitenti Paradiſum eo ipſo die pollicetur. Virgini Matri dilectum ſibi Diſcipulum, atque huic viciſſim illam commendat. Et dicit, *ſitio*. *Hora XX.* mirum in modum ſolis eclipſi, tenebræ operiunt omnem terram: edicit, à ſe omnia conſummata & perfecta, ob quæ in mundum venerat: & ſpiritum in Patris manus commendat. *Hora XXI.* Exſpirat Ieſus: velum templi diſcinditur in duas partes à ſummo vſque deorſum: tremit terra: ſcinduntur petræ: monumenta aperiuntur, & multa Sanctorum corpora ſurgunt. *Hora XXII.* impius ei miles lancea latus aperit, vnde manat ſanguis & aqua. Eum fatetur Centurio Dei Filium. Redit turba à monte Caluariæ Hieruſalem percutiens pectora ſua. Ioſeph adito Pilato petit & impetrat Corpus Ieſu. *Hora XXIII.* Ioſeph vnà cum Nicodemo illud de Cruce deponit, reponitque inter B. Virginis brachia. *Hora XXIV.* Inuolutum ſyndone atque conditum aromatibus ſepelitur. In reditu verò piè credibile eſt, ſanctiſſimam Virginem Chriſti Domini Crucem primam omnium adoraſſe.

Sexta hora, hoc eſt, meridiana confixus eſt Ieſus: & ab ea (vt ſcribunt Matthæus et Marcus) tenebræ factæ ſunt: & ſol obſcuratus eſt (vt narrat D. Lucas) vſque ad horam nonam, hoc eſt, tertiã poſt meridiẽ, in qua exſpirauit.

394 Hæc ſacræ Paſſionis memoria ab ijs ſedulò haberi debet, qui in noſtra domo Receſſus, vt Venerabilis Mater noſtra Vrſula inſtituit, vnus poſt alium, horis ſingulis ad Deum laudandum atque placandum incumbent. Hi autem, & ſolitarij ſeorſim meditantes, hoc curent, vt ſanctiſſimi D.N. Saluatoris Imaginem, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ Deiparæ ſimulacrum, his ſalutationum formulis, quæ ſequuntur, ſemel ſaltem quotidie venerentur.

Salutatio ad ſingula Ieſu Chriſti Membra.

Salue tremendum cunctis poteſtatibus Caput Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salue ſpecioſiſſima Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Facies, pro nobis ſputis & alapis cæſa. Saluete benigniſſimi Domini *Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri*

Oculi, pro nobis lacrymis perfusi. Salue mellifluum Os, Gutturque suauissimum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis felle & aceto potatum. Saluete Aures nobilissimæ Domini Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis contumelijs & opprobrijs affectæ. Salue Collum humile Iesu Christi pro nobis colaphizatum, Dorsumque sanctissimum, pro nobis flagellatum. Saluete venerabiles Domini nostri Iesu Christi Manus, & Brachia, pro nobis in cruce extensa. Salue Pectus mitissimum Domini Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salue Latus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum. Saluete Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri sacra Misericordiæ Genua, pro nobis in oratione flexa. Saluete Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri Pedes adorandi, pro nobis clauis affixi. Salue totum Corpus Iesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salue Sanguis pretiosissime, de corpore Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri pro nobis effuse. Salue sanctissima Domini nostri Iesu Christi Anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione, tibi commendo hodie & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios & consanguineos meos, animas parentum, fratrum, sororum, & omnium amicorum ac inimicorum meorum, vt nos protegere, liberare, & defendere digneris, ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum visibilium & inuisibilium, nunc & in perpetuum. Amen.

395 Sed & Ricardus de laudibus B. Virginis, *benedicenda sunt*, inquit, *quotidie singula membra eius, vt singulis membris nostris reportemus ab ea benedictionem.* Ideò hanc ad eam Orationem, siue Aspirationem habebimus. *Rich. à S. Laur. de laud. Virg. l. 2. p. 5.*

Loquar ad cor tuum, ò Maria, speculum claritatis Angelicæ. Loquar ad cor tuum mundum, Domina mundi: & adorabo ad templum sanctum tuum ab interioribus animæ meæ. Salutabo ex intimis præcordijs meis immaculatum cor tuum: quod primum sub sole fuit dignum suscipere egredientem de sinu Patris Vnigenitum Dei. *Salue Sanctuarium singulare, quod dedicauit sibi Deus in Spiritu sancto. Salue Sanctum Sanctorum, quod dedicauit Summus Pontifex cælorum, mirabili & ineffabili introitu suo. Salue arca sanctificationis continens in te scripturam digiti Dei. Salue vrna aurea, habens cæleste manna plenum delicijs Angelorum. In te dulce conuiuium, in te omnes deliciæ, in te electuarium & sapor omnis gratiæ. Salue cor virgineum, sanctæ Trinitatis inuiolabile Sacrarium, & nobilissimum receptaculum: in quo diuinitas humanitati vnita est per amoris osculum. Iubilo sempiterno implearis. Tu concha smaragdina, cuius viror nunquam expalluit. Quæ superno Regi nostram salutem sitienti*

probatissimæ fidei dulce nectar propinasti in illa hora, qua ad salutationem Archangeli eructasti verbum bonum, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Magnificet igitur omnis anima te, *Maria mater dulcedinis: & beatitudinem tui sacratissimi cordis (vnde nostra profluxit salus) collaudet omnis lingua per æterna secula seculorum. Amen.* Saluete Oculi *virginei, omnium oculorum felicissimi: qui splendorem Patris æterni obumbratum carne meruistis videre lætitia ineffabili, in forma paruuli præ filijs hominum speciosi.* Saluete *Aures virgineæ: quæ meruistis audire Angelorum choros, laudibus extollentes infantem, cælum terramque regentem: & Patris suauissimum Verbum, carnem factum, vagiens, inter arcta præsepia positum, lætitiamque plorantem, omnemque lacrymam à* Sanctorum *oculis abstergentem.* Saluete Nares *virgineæ, haurientes diuini flatus spiramen; quod vaporauit ex ore* Deifici *Paruuli: O caminus ille, in quo ardent* Seraphin*! O paradisus voluptatis! O diuina pectoris amatoris refrigeria! Quantis pulsibus amoris concussum est cor tuum: cùm viuificus spiritus* Dei *tanquam Auster te perflauit, & spiritum tuum totum sibi attraxit!* Salue *Os virgineum ad osculandum & ad salutandum Dei Filiolum super omnia dignissimum, blandiens diuino Infantulo residenti in tuo virginali gremio, & demulcens vt paruulum Angelorum Dominum, adoransque Creatorem omnium, prolem ex proprijs visceribus genitam.* Saluete *Manus virgineæ, quæ meruistis attrectare, & vlnis trementibus baiulare eum, quem cæli non possunt capere: panemque Angelorum pascere in humana esurie.* Saluete *Vbera virgineæ: quæ Rex cælorum (qui pascit omnia) suxit de te, ò Virginum pulcherrima.* Saluete *Pedes virginei, perfectè sequentes uestigia Filij* Dei*, in charitate inseparabili. Quia ipsa mortis calamitas te matrem non disiunxit à Filio: sed transfixa morte vnici pignoris, iuxta Crucem stetisti immobilis.* Saluete *virginei Corporis Membra singula, diuinæ operationis instrumenta nobilissima, manu sapientiæ excisa, quæ iniuncta sanctæ Trinitatis Officia adimplestis cum summa reuerentia.* O *Virgo beatissima, & omni laude dignissima: Mater Iesu Christi carissima, per omnia, quæ beatissima Trinitas in sanctissimis membris tuis operata est magnalia super omnia eius opera: & per illud ineffabile gaudium, quod in conceptu & in partu Filij Dei in omnibus membris tuis sensisti: dignare de visceribus tuis ineffabili dulcedine redundantibus in me stillare gratiam tanta efficacia: vt perfundatur cor meum & anima, & sanctificentur omnia membra mea. Vt de cætero nunquam moueantur ad praua opera: sed seruiant amori tuo cum lætitia: & per tuam intercessionem viuificentur, regantur, & roborentur à diuino spiritu in bonis operibus vsque ad finem vitæ meæ. Amen.*

DISQVISITIO QVARTA.

Quænam Meditationes ab alijs, in Receſſu, certo dierum ſpatio, proponantur.

396 VEL A PROBATIS AVCTORIBVS ETC. Sancius Generalis Fulienſium ſpiritualium Exercitiorum Meditationes, in tres decades, ita diſponit. I. De Creatione Hominis. II. De Excellentia & dignitate Animæ. III. De Creatione Mundi. IV. De Vocatione ad Religionem. V. De Peccato. VI. De Morte. VII. De Iudicio peculiari. VIII. De Inferno. IX. De Paradiſo. X. De Confeſſione. I. De Excellentia ſtatus Religioſi, & de obligatione, qua Religioſo viro nitendum, vt ad Virtutis Perfectionem tendat. II. De Neceſſitate, quæ eſt viro Religioſo, Virtutem acquirendi, & de perfectione vitæ in Religione. III. De Mortificatione membrorum ac ſenſuum corporis, ob regulam modeſtiæ. IV. De Mortificatione paſſionum. V. De Mortificatione Intellectus & Voluntatis. VI. De Virtute. VII. De Virtutibus Theologalibus. VIII. De Virtutibus Intellectualibus, & moralibus infuſis. IX. De Humilitate. X. De Paupertate. XI. De Caſtitate. XII. De Obedientia. XIII. De Silentio, & vitio linguæ. XIV. De Oratione. XV. De Obſeruantia Regulari. XVI. De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & de reuerentia, deuotione, & amore, quo à nobis eſt proſequendū. XVII. De Glorioſiſſima Virgine. XVIII. De Angelis & Sanctis. XIX. De Amore Proximi. XX. De Amore Dei.

397 Hac ipſa prope graditur via Amedeus Comotus ex Clericis Regularibus ſancti Pauli, qui ſolitudinem decem dierum quotannis obeundam inſtituens, has Meditationes proponit. Scilicet, pro Purgatiua, de Creatione, de Peccato, & de Morte: pro Illuminatiua, de Caſtitate, de Paupertate, & de Obedientia: ac pro Vnitiua, de Amore, quo à Chriſto amamur: de Gratitudine, quam tanto amori debemus: & de Amore proximi. Primò autem, Directorium, & aliquot Conſiderationes proponit, vt ritè animus ad ſolitudinem diſponatur; & ſpiritum ac cor, cunctis rebus creatis occluſum (tanquam nihil aliud præter Deum & nos ſit in mundo) ipſi ſolùm aperiamus.

398 Verùm, Chriſti Domini Vita, veluti omnium virtutum exemplar, & quæ totius contemplationis eſt ianua, in Receſſu, non

Domin. Flamara in Direct. fol. 58. 94. & 407.

omittenda. Proindè Clerici Regulares Minores, in suo Directorio, tres exercitationes assignant. Primam doloris & compunctionis, vt dixi, in qua deploratis superioris vitæ nequitijs, purgatur Anima, & ad altiora gratiæ dona disponitur. Et huic exercitationi, quæ etiam dicitur *Incipientium*, correspondent Meditationes enormitatis Peccati, trium Nouissimorum, Mortis scilicet, *Iudicij* vniuersalis, & Inferni, ac tandem filij Prodigi. Hoc tempore induit Solitarius speciem & personam peccatoris, & iterum plangit tempus superius malè impensum, & peccata præterita. *Interim* exercet actus contritionis, execrationis, & detestationis peccati, abominationis sui ipsius, actus inchoatiuos nouæ vitæ, vel similes. Aspiret sæpiùs in die pro remissione peccatorum, pro emendatione vitæ, & spoliatione veteris hominis. Secundam illuminationis, & Reformationis, in qua instruitur & dirigitur Anima in actionibus suis, Mysterijs & exemplis Christi Redemptoris. Tempus hoc est Proficientium: cui correspondet meditatio Infantiæ, Prædicationis, & Passionis Christi D. N. In his enim Mysterijs Domini Iesu, qui factus est nobis viuum exemplar virtutum omnium, & Magister noster, ne dum Redemptor, discit Solitarius, quid in vita sua corrigere, & quid debeat imitari. *Ideò* diligenter obseruet sacri textus verba, & Christi actiones omnes, eaque conferat cum moribus suis, vt vel corrigat, vel imitetur. Exerceat actus fortitudinis contra passiones, & vitia propria: item obedientiæ, dilectionis Dei & Proximi, paupertatis, contemptus inferiorum, & sui ipsius, ac similium. Aspiratio quotidiana erit pro ornamentis virtutum, & pro imitatione Christi: ad cuius prototypon actiones suas conformare debet. Consideret hoc tempore statum proprium: & maturè prospiciat, quomodò dirigat actiones suas, tam spirituales, quàm temporales erga Deum, se ipsum, Superiores, & proximos; iuxta vocationem suam, & conditionem sui status. Tertiam gaudij & exultationis, in qua perficitur, & eleuatur Anima ad Deum, vt illi iugiter adhæreat, & vniatur. Postremum hoc tempus est perfectorum; qui possunt dicere: *Osculetur me osculo oris sui*. Cui attribuuntur ad meditandum gloriosa Christi Domini mysteria. Vbi gloriosam eius Humanitatem contemplamur: ad instar cuius, cum ea tamen dissimilitudine, quæ est inter Dominum & seruum, caro nostra résurget. Meditamur etiam gaudia futuræ vitæ, & diuina beneficia. Quibus allectus animus meditantis, & ad superna suspensus, ope diuinæ gratiæ, sine qua nihil boni inchoatur, nec perficitur, sensim abstrahitur ab imis, & vnitur summis. Actus, qui hoc tempore exer-

cendi sunt, erunt, contemptus inferiorum, amor supernorum, abstractio à rebus caducis, & huiusmodi. Aspiret in die ad superna, ad vnionem cum Deo, & ad cognoscendum Deum in cunctis rebus existentem, operantem, & quodammodò laborantem.

399 Tres etiam exercitationes proponit Abbas Garcias Cisnerus diuisas in tres hebdomadas hunc in modum.

Prima pro Via Purgatiua has Meditationes assignat.

Die Lunæ, de Peccatis, fol. 11.
Die Martis, de Morte, fol. 19.
Die Mercurij, de Inferno, fol. 24.
Die *Iouis*, de Iudicio, fol. 29.
Die Veneris, de Passione Christi, fol. 33.
Sabbato, de Doloribus B. Virginis, fol. 40.
Dominica, de Paradisi Gloria, fol. 44.

Secunda Hebdomada pro Via illuminatiua Meditatio fiet de Diuinis Beneficijs sic:

Die Lunæ, de Creatione, fol. 58.
Die Martis, de Gratificatione, fol. 63.
Die Mercurij, de Vocatione, fol. 66.
Die *Iouis*, de *Iu*stificatione, fol. 68.
Die Veneris, de Dotatione, fo. 70.
Sabbato, de Gubernatione fol. 72.
Dominica, de Glorificatione, fol. 74.

Tertia Hebdomada pro Via Vnitiua, Meditatio erit, de Deo.

Die Lunæ, quòd est principium & finis omnium rerum, fol. 85.
Die Martis, quòd est pulchritudo Vniuersi, fol. 90.
Die Mercurij, quòd est mundi Gloria, fol. 93.
Die Iouis, quòd est totus Charitas, fol. 95.
Die Veneris, quòd omnium rerum est Regula, fol. 97.
Sabbato, quòd est quietissimus Gubernator, fol. 99.
Dominica, quòd est sufficientissima Beatitudo, fol. 101. Hæc Cisnerus, qui addit duas alias Meditationum Hebdomadas de Christi Vita & Passione, fol. 105. & 140.

400 Verùm S. Ignatius Meditationes suas, in prima Hebdomada, de peccatis; in secunda & tertia, de Incarnatione & Passione Christi; & in quarta, de eius Resurrectione, disposuit. Aduertit tamen, quòd licet Exercitijs assignentur quatuor hebdomadæ, totidem Exercitiorum partibus singulæ singulis respondentes; non tamen ita accipiendæ sunt dictæ hebdomadæ, vt necesse sit vnamquãque continere septem vel octo dies. Cùm enim contingat, alios *S.Ign.annot.* 4.

alijs tardiores vel promptiores esse ad id consequendum quod quærunt; puta in prima hebdomada Contritionem, dolorem, & lacrymas de peccatis suis: aliquos etiam plus aut minùs agitari probarique varijs spiritibus: expedit nonnunquam succidi hebdomadam quamcunque, vel extendi, iuxta materiæ subiectæ rationem. Imò, plerunque hodie hæc exercitia, decem tantùm, aut octo dierum spatio, concluduntur. Sed tunc etiam trium viarum ratio, quam innui superiùs, est habenda: vt Religio S.Pauli primi Eremitæ constitutione sic monet: *Per quatuor aut quinque dies exerceat se* (Solitarius) *in Via Purgatiua, circa detestationem peccatorum, vitiorum, passionum inordinatarum, amoris proprij, meditando de grauitate peccati, de damnis consequentibus vitia, de breuitate vitæ, vanitate mundi, morte, iudicio, inferno; & inde colligat affectus doloris, confusionis, odij peccatorum, ac proprij amoris, timoris Dei &c. Tres autem dies assumet ad Viam Illuminatiuam, cogitando de virtutibus Christi in vita & passione: item de excellentia & præmio virtutum, de mysterijs Fidei, excitando in se affectus desiderij, spei, amoris &c. Reliquum tempus tribuat Viæ Vnitiuæ, recolligendo excellentiam Dei, ac Beneficia illius, tam vniuersalia, quàm particularia sibi collata: promatque affectus laudis, gratiarum actionis, dilectionis, oblationis sui penes merita Christi Deo Patri in obsequium sempiternum; auxiliaque petat, per bonitatem, per clementiam, per merita Christi, per merita precesque Virginis & Sanctorum Dei.*

Const. Rel. S. P. pr. Er. p. 1. c. 11. n. 3. fol. 18.

401 Eandem rationem secutus in sua Praxi Ludouicus de Palma, S. Ignatij Exercitia & Meditationes ita digessit: I. De Fundamento, hoc est, de creati & Religiosi hominis fine. *II.* De Examine Generali, siue de peccatis, & præsertim venialibus. *III.* De Pœnitentia exteriore vel corporis castigatione, & Medit. de peccatorum pœnis. *IV.* De Regno Christi, ex similitudine Regis terreni subditos suos euocantis ad bellum. V. De duobus Vexillis, vno quidem Iesu Christi Optimi nostri Imperatoris, altero verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi. *VI.* De tribus hominum classibus siue differentijs, vt potissimam partem amplectamur: quarum vnaquæque decem millia ducatorum alio quàm diuini cultus & amoris studio sibi parauerit: nunc autem placatum habere Deum, & salua fieri exoptet, sublato vtcunque noxio affectu rerum, vtpote salutis impedimento. Prima igitur Classis optat quidem acquisitæ rei exuere affectum, vt conciliari Deo possit; sed media debitaque adminicula toto viæ tempore non admouet. Secunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit, sed rem interim mordicùs tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quàm, relicto impedimento,

Palma in 1. die fol. 58. & 56. fol. 68. 71. & 84. fol. 86. & 97
fol. 118.
fol. 145.
fol. 176.

 mento,

mento, per conducibiliorem statum ad illud tendere. Tertia postremò, affectum insincerum volens abijcere, rem ipsam vel tollere vel tenere æquè parata est, pro vt ad diuinum cultum commodius fore, vel ex diuino instinctu, vel ex rationis dictamine animaduertit: ac interim omnia relinquens integra, illud tamen versat, & inquirit; nec aliam admittit relinquendæ aut retinendæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium diuinæ gloriæ, vt quàm maxima sit. Et forma huius meditationis, nostris hominibus vtilissima, valde similis est parabolæ, quam Christus Saluator exposuit de Seminatore; notando quatuor classes, aut hominum genera, qui idem verbum Dei audiunt, diuersis tamen affectibus: vt animaduerso earum discrimine, singuli conarentur esse de classe meliorum, ac se se disponere ad ferendum fructum quem postremi referunt. Sic Ludouicus; *In hoc exercitio*, inquit, *nobis proponuntur tres Classes, siue tria genera hominum, qui omnes temporalia bona possident; & omnes à se eorum affectum & amorem remouere volunt; & diuersa ad hoc omnes proponunt media, vt, considerantes eam, quæ inter illos est differentiam, optimum eligamus.* Et in hoc exercitio, meditatio est de Christi Passione. VII. De Examine particulari circa defectus, exercitia spiritualia & exercitium virtutum. Et fit Meditatio iterum de Passione Domini, hoc est, de ipsius opprobrijs & doloribus. VIII. De Via vnitiua, & Med. de præmio & consolatione Iustorum, vel de Amore Dei.

Palma in declar. huius Exercitij fol. 181.

fol. 209. 221 223. & 228

fol. 237. & 243. & 252

402 Alij etiam qui recessum octo dierum obseruant, & mane ac vesperi meditantur; Ludouici Granatensis, ex Ordine Prædicatorum, viri omnium peritissimi, Meditationibus sic vtuntur. *Feria II. Mane*. De pedibus Apostolorum à Christo lotis; de Institutione sanctissimi Sacramenti, & de eius causis, *to. 1. tr. 1. fol. 16. &c. Vesperi*. De peccatorum propriorum memoria & multitudine; de ijs quæ post Dei cognitionem homo commisit; de accusatione propriæ conscientiæ, & abominando ac despiciendo se ipso. *fol. 59.* &c. *Feria III. Mane*. De Oratione Saluatoris in horto; de eius captura; & de ijs qui ligant spiritualiter Christo manus, *fol. 23.* &c. *Vesperi*. De conditione & miseria humanæ vitæ; siue, quàm incerta, quàm fragilis, quàm mutabilis, captiosa, & miserabilis sit, *fol. 67.* &c. *Feria IV. Mane*. De Præsentatione Christi ante Pontifices & Iudices, de Negatione Petri, & de Domini flagellis, *fol. 29.* &c. *Vesperi*, De Morte, siue de hora eius incerta; de pœna, quæ ex omnium rerum derelictione & separatione percipitur; de horrore sepulturæ, de timore futuræ sortis, quæ benè aut malè æternùm con-

tinget; de erroribus & cæcitate anteactæ vitæ, & de timore reddendæ Deo exactissimè rationis; de extrema vnctione, & de mortis agonia; de deformitate corporis mortui, ac sepulturæ, & de exhalatione animæ, *fol.* 80. &c. *Feria V. Mane*. De spinea Christi Corona; de verbis, Ecce homo; & de graui pondere Crucis, quam suis ipse humeris tulit, *fol.* 35. &c. *Vesperi*. De Iudicio Finali, siue de signis, quæ ipsum antecedent; de fine mundi & resurrectione defunctorũ; de aduentu Iudicij, de modo iudicandi; de testibus & accusatoribus eius, *fol.* 93. &c. *Feria VI. Mane*. De Crucis mysterio, de septem Crucifixi Domini Verbis; & de doctrina, quæ ad Christi Crucem addiscitur, *fol.* 40. &c. *Vesperi*. De pœnis Inferni, siue, de cruciatu sensuum & interiorum animæ facultatum, de pœna damni, de pœnis particularibus damnatorum, & de harum omnium pœnarum æternitate, *fol.* 103. &c. *Sabbato*. *Mane*. De Christi latere lancea vulnerato; de eius depositione ac sepultura, de B. Virginis lacrymis; & cur ipsa & iusti omnes in hac vita varijs tribulationibus affligantur, *fol.* 47. &c. *Vesperi*. De Paradisi Gloria, siue, de pulchritudine & excellentia Loci; de altera lætitia animæ, quam ex consortio Sanctorum percipiet; de tertia, ob claram Dei visionem; de quarta, ex gloria corporis; & de quinta lætitia ex longitudine æternitatis, *fol.* 112. &c. *Dominica*. *Mane*. De sanctæ Resurrectionis mysterio, siue descensu Saluatoris ad Inferos, de sacrati eius corporis resurrectione, & de apparitione primùm facta sanctissimæ Matri, deinde Mariæ Magdalenæ, tum alijs Discipulis, *fol.* 54. &c. *Vesperi*. De Diuinis Beneficijs, Creationis, Conseruationis, Redemptionis, Vocationis, & Beneficijs particularibus, *fol.* 120. &c.

403 Alij Diuum Bonauenturam ex Ordine Minorum & eximium Ecclesiæ Doctorem sequuntur, qui totius hebdomadæ Meditationes ita disponit: *Habebis enim*, inquit, *Dominica die* (memoriam) *de regno cælorum, Feria II. de extremo Iudicio, Fer. III. de Beneficijs Dei, Fer. IV. de Morte, Fer. V. de pœnis Inferni, Fer. VI. de Passione Domini, Sabbato de Domina nostra, & peccatis proprijs. Passionem tamen Domini in qualibet die, cum materia diei, & cum beneficijs Dei, habebis.* Et in exercitiorum spiritualium fasciculario hæc ait: *Sunt autem quædam generalia circa quæ frequentiùs exercitia deuoti versantur, videlicet, memoria peccatorum, qua compunguntur ad conpunctionem vel dolorem. Memoria mortis, qua vt omnia huius mundi oblectamenta, gloriam & honorem, altum statum vilipendant, accenduntur. Memoria extremi examinis, qua inflammantur ad bona opera peragenda, vt tunc cum iustis mereantur accipere præmium meritorum. Memoria pœnarum infernalium,*

S. Bonau. Opusc. tr. 2. fol. 102. Exercitia quædam spirit.

Idem in præfat.

quæ omnia illicita licet dubia respuent timore tormentorum. Memoria cælestis gloriæ, vt hic quiescant & exultent in spe, ac vt illic sint digni gloria, nitantur se veris virtutibus adornare. Memoria beneficiorum Dei, & maximè beneficij Incarnationis, ne gratiæ largitori inueniantur ingrati. Hactenùs sanctus Bonauentura.

404 Sed propiùs in rem nostram, P.D. Petrus Iardina, informandorum animorum institutor egregius, & assiduus exercitiorum spiritualium cultor, trium Viarum Meditationes, ternas vel quaternas in dies singulos, ad decem dierum numerum, omnino disponit. Loca etiam nonnemo schemati adiecit, è Ludouici Pontani Meditationibus, hunc in modum.

PVRGATIVA.

Prima Die. Prima hora, *de Hominis Fine*. par.1. medit. fundament. Secunda, *de Grauitate Peccati*: par.1. medit.2.3.4.5.& 6. Tertia, *de Miserijs & Breuitate vitæ*.

Secunda Die. Prima hora, *de Morte*. par. 1. medit.7.& 8. Secunda, *de Iudicio particulari*: medit. 9. Tertia, *de pœnis Inferni*. medit. 16. & 17.

Tertia Die. Prima hora, *de Filio Prodigo*. par.3. medit.49. Secunda, *de eodem*. meditat.49.pun.4.5. Tertia, *de Conuersione Mariæ Magdalenæ*. medit.25.

ILLVMINATIVA.

Quarta Die. Prima hora, *de duobus Vexillis, vno quidem Christi, altero diaboli*. par.2. medit. fundament. Secunda, *de Apostolorum Vocatione*. par. 3. medit.6. Tertia, *de ijs Domini verbis, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. par.3. medit.7.8.

Quinta Die. Prima hora, *de Annunciatione sanctissimæ Virginis*. par.2. medit.6.7.8. Secunda, *de Christi Natiuitate*. par.1. medit. 17. 18. 19. Tertia, *de Magorum Adoratione*. par. 2. medit.23.

Sexta Die. Prima hora, *de ingressu in Ierusalem, & de Christi lacrymis super eam*. par.4. medit.2. & 4. Secunda, *de Ablutione pedum*. par.4. medit. 8. Tertia, *de sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti institutione*. par.4. medit.9.10.11. & 12.

Septima Die. Prima hora, *de Oratione in Horto*. par.4. medit. 20.21. 22. Secunda, *de Christi Comprehensione*. medit.24.25. Tertia, *de Negatione Petri*. medit.28. vel fiet Repetitio.

Octaua Die. Prima hora, *de Comparatione cum Barraba*. medit. 34. Secunda, *de Flagellatione*. medit. 35. Tertia, *de Coronatione*. medit. 36. vel fiet Repet.

Nona Die. Prima hora, *de sententia Pilati.* medit. 38. Secunda, *de Crucis baiulatione.* medit. 39. Tertia, *de Crucifixione, & Morte.* medit. 40. 41. vsque ad 51. Quarta, *de Sepultura, & lacrymis B. Virginis.* medit. 54. 55. 56.

V N I T I V A.

Decima Die. Prima hora, *de Christi Resurrectione*. par. 5. medit. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Secunda, *de Ascensione.* par. 5. medit. 17. 18. 19. Tertia, *de Aduentu Spiritus sancti.* medit. 22. 23. 24. Quarta, *de Paradisi Gloria.* par. 6. medit. 51. 52. 53. & 54.

405 Hic aduerte, quòd Orationis semel obitæ repetitio, etiam S. Ignatio, in vsu fuit. Sed, vt monet Ludouicus de Palma, *Ex punctis propositis, tantùm eligenda sunt ea, in quibus maiorem quis percepit consolationem*. Patres Missionis in Gallia, cùm secessum instituunt, eadem vtuntur. Nec temerè, sed consultò P.D. Petrus, in tertia Meditationis hora, scripsit vt fiat: vt, nimirum, sensa diuina cordi altiùs imprimamus; & fatigata diu mens, suauiùs in illorum contemplatione quiescat. De ea idem ille Autor hæc habet: *Ideò fit eorum repetitio. Primò, quò, tanquam clauus malleo, fortiùs infigantur, vt firmiùs hæreant. Secundò, vt quis se magis exerceat in affectibus excitatis; atque ideò fit meditatio de rebus iam aliàs in meditatione cogitatis; sicque minùs habet laboris intellectus, & faciliùs multiplicari possunt colloquia. Et hæc causa est, quòd in exercitijs hic orandi modus accommodetur tertiæ horæ, postquam primam & secundam meditando transegimus.*

Pal. in praxi & medit. instruct.

Ibid. fol. 50.

406 Vniuersè autem, vt cuiusque statui Director, selectis Meditationibus, opportunè prouideat, Carolus Scribanius docet, tria esse hominum genera, quorum magna ratio sit habenda, in omni exercitiorum ac meditationum delectu. Primi sunt incipientes, qui nullam adhuc virtutum, aut sanctioris vitæ experientiam habent, aut qui adhuc omnino mundi voluptatibus irretiti, ac voluptatum cœno infixi hærent. Secundi proficientes, qui vitiorum nexibus expediti, magno conatu, ad virtutem nituntur. Tertij perfecti, qui, virtutum præsidijs instructi, in eo toti sunt, vt quàm arctissimè cum Deo, amoris vinculis, coniungantur.

Scrib. in breu. ad medit. instruct. fol. 10.

Primis necessariæ sunt eæ Meditationes, quæ animum vitiorum sordibus expiare possunt, atque ad scelerum detestationem, rerumque fluxarum despectum perducere. Cui rei maximè seruiunt hæ Meditationes. 1. De vltimo fine, ad quem homo est conditus. 2. De peccato Angelorum. 3. De peccato primorum Parentum Adami & Euæ. 4. De Peccatorum grauitate. 5. De proprijs cuiusque peccatis. 6. De mundi vanitate ac fallacia. 7. De Morte. 8. De

Iudicio particulari. 9. De Iudicio vniuersali. 10. De Purgatorio igne. 11. De Pœnis inferorum.

Secundis conueniunt eę meditationes, quæ in ipsis virtutis studium promouere possunt, quod fierj solet meditationibus. 1. De Vita, Passione, & Morte Christi. 2. De Vita B. Virginis, & aliorum Sanctorum. 3. De septem petitionibus Orationis Dominicæ. 4. De octo Beatitudinibus. 5. De Salutatione Angelica, *Aue Maria, Salue Regina, Aue Maris Stella*. Item de insignibus sententijs à Deo, aut Sanctis pronunciatis. Circa quas considerare possumus, si quod ijs præceptum contineatur, quid obtemperantibus promittatur, quo fine quaue mente ab auctore prolata sint, demum ad ea quæ imperantur aut suadentur perficienda, animus conquisitis rationibus concitandus.

Tertijs vtiles sunt meditationes, quæ mentem cum Deo amoris ac caritatis nexu arctiùs deuincire possint. Quales sunt. 2. De ijs, quæ post Christi à mortuis Resurrectionem accidere. 3. De sempiterna Gloria, ac præmijs, quæ Deus Sanctis suis in æterna vita præparauit; quibus iam complures eorũ pro meritorum diuersitate fruuntur. Non tamen hinc sequitur, neminem se primis Meditationibus occupare posse aut debere, nisi qui prima vitæ melioris rudimenta moliatur: nec item ijs quas tertio loco recensuimus, neminem præter eos, qui perfectionem virtutum attigerit, nullius enim est tam perfecta omnibusque numeris absoluta virtus, quæ non subinde etiam primis Meditationibus expurgari atque perpoliri debeat. Itaque ex ijs, eas quisque sibi seligere potest, quas ipse, aut eius Director, conditioni suæ, ac profectui, vtiliores existimabit. Sed satis de Meditationum materia. Mox aliquid de meditandi vel orandi modo ac ratione dicendum.

DISQVISITIO QVINTA.

Quid sit Meditatio, quæ nam eius partes, & quomodò ritè à nobis institui, & absolui debeat.

407 OMNES IN ORANDI MODO ETC. Vt quæ Granatensis, Pontanus, Busæus, Scribanius, Scupolus, alijque permulti de Oratione scripserunt, omnia perstringamus hìc carptim; Oratio primum, ex Gregorio Nysseno, est conuersatio sermocinatioque animæ nostræ cum Deo, in negotio no- *S. Gregor. Nys. lib. de orat. Domin. cap. 1.*

S.Chrys. lib. 1. de orando Deum, & ho. 30. in Gen.

stræ saluationis ac perfectionis, miscendo nimirum sermones cum Diuina Maiestate, nunc verbis externis ore prolatis, quæ dicitur Oratio Vocalis; nunc internis solùm, quæ ab ipso spiritu siue mente procedunt, & hæc mentis oratio, seu meditatio est dicta. Non tamen existimandum est, huiusmodi colloquium fieri verbis dumtaxat, sed complectitur etiam excellentissima interna opera, quæ spectant ad vitam contemplatiuam, & ad id quod in ea est supremum, vnionem scilicet spiritus nostri cum Deo: conferendo cum ipso, & instando vt ea nobis elargiatur: adhibita quoque ex parte nostra omni industria ad ea obtinenda & possidenda. Et sicut manus ad res capiendas, & peragenda opera sua, quinque habet digitos, licet potissimùm eius robur in tribus primis consistat: ita anima nostra ad eas actiones, quinque internis suis facultatibus, sed præsertim tribus spiritualibus vtitur; memoria nimirum, qua rerum reminiscitur; intellectu, quo easdem cognoscit; & voluntate, qua vel diligit, vel odio habet: quibus facultatibus duæ aliæ inferiores subseruiunt, vis scilicet imaginandi, qua imagines & figuras rerum, quæ sensibus externis percipiuntur, formamus; quæ vis suo quoque modo fert de illis iudicium; & vis appetitus sensuum, à quibus procedunt actus, amori, odioque sensibili, gaudio, & tristitiæ, desiderio, & timori, & similibus alijs consentanei. Quæ omnes facultates conuenire solent in oratione mentis, eleuantes actus suos ad altissimum & supremum obiectum, quod habere possunt, qui est ipse Deus; innitentes præcipuè virtutibus, quas Theologicas appellamus quia respiciunt Deum, quà is est summa veritas, cui propterea sit adhibenda fides; suprema beatitudo, quam debeamus sperare; immensa bonitas, quam debemus diligere; & infinita excellentia, quam adorare, & cui seruire ac obedire debemus. Quare Oratio præsertim innititur viuæ fidei rerum, quas Deus reuelauit; spei certæ rerum, quas promisit; & accensæ Caritati eius Domini, qui eas reuelauit, & promisit, simul cum feruenti desiderio eundem honorandi, ac eidem obediendi, in omnibus, quæ præcepit: vt hac via ascendamus ad videndum quod credimus, & possidendum quod speramus; vniendo nos, per amorem, Diuinæ illi Bonitati, quam amamus. Quod totum planè obtinetur in cælo, quanuis in terra incipiat delibari.

408 Sed partes huius Mentalis Orationis, siue meditationis, quinque præcipuè numerantur: Præparatio, Repræsentatio, Consideratio, Colloquium siue Petitio, Retractatio.

De Præparatione ad Orationem.

409 PRæparatio est, qua homo se ad meditandum componit, vt monet Ecclesiastes: *Ante orationem, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Qui enim imparatus ad orationem accedit, non Deum placat, nec ab eo aliquid impetrat, sed eius indignationem & iram prouocat. Si ergo cum Rege, vel Antistite, vel Dynasta aliquo acturus primùm præmeditaris, quibus verbis vti velis, vt ipsum concilies, allicias, flectas; quantò magis id præstes cum Deo, in Meditatione, collocuturus? Eccl. 18.

410 Præparatio autem hæc, triplex: remota, propinqua, & proxima. Remotam præparationem, in puritate vitæ ac conscientiæ, ponimus; de qua Venerabilis Beda sic ait: *Multum iuuat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore, nos ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus, auditum pariter castigemus & linguam: si in lege Dei ambulare, & testimonia eius assuescamus toto corde scrutari. Quæcunque enim sæpius agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi ad solitam propriamque recurrant sedem: & sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida frequentare solent fluenta; ita cogitationes impuræ mentem immundam perturbant, castam spirituales sanctificant.* Beda ho mil. in Fer. 3. post Dominic. Quadr.

411 Propinqua Præparatio est, prælegere pridie Meditationis materiam; eam, simulatque mane euigilas, in mentem reuocare; si minùs memoria polles, parum ante meditationem relegere; cogitationes & curas de studijs, alijsque negotijs tẽporalibus prorsus excludere omnes, ac tibi finem proponere, quem ab ipsa meditatione, vel consideratione elicere velis. Non enim ad Dei orationem casu eundum est, vt inde quicquid forte accidat hoc educas. Nam licet toto tempore orationis varij actus incidentes produci & exerceri soleant, iuxta Meditationum materias, & varios influxus Spiritus sancti, vt contritionis, inceptionis nouæ vitæ, confusionis, oblationis, cognitionis sui ipsius, amoris Dei, & similium; nihilominus præcipuus ac primarius, vnus esse debet, qui ante orationem est præuidendus. Itaque, ante orationis tempus, seriò tecum tractes, quę sit maior necessitas spiritualis animæ tuæ, quæue sit causa proprium profectum impediens, vel quę magis tibi aduersentur. Hoc enim præuidere debes ante ipsam orationem, siue vnum, siue multiplex fuerit, & ob oculos habere, & eo tempore insistere, vt ab oratione prorsus eliciatur. Si hoc non agas, diuturna quęlibet oratio tibi erit inanis. Non enim aliud ex fortuito

cadente affectu, quàm mollem deuotionem, & eneruem cordis compunctionem experieris. Multi enim valde decipiuntur, cùm sibi veluti finem & terminum ipsam orationem proponant; quæ tamen est medium & instrumentum ad acquirendam perfectam mortificationem, & victoriam passionum, ad vitia expugnanda, & comparandas virtutes.

412 Proxima verò est, cùm iam iam inchoanda est meditatio, primùm aqua benedicta te aspergere, & signo crucis munire. Secundò, vno passu à Meditationis loco, ad spatium Dominicæ Orationis, salutationisque Angelicæ, consistere, & firmiter tibi persuadere, te coram Diuinæ Maiestatis throno, quem omnes Sancti circumstant, vt cum Deo colloquare, compariturum. Tertiò, reuerenter in genua velut coram Deo prelabi, & mox humiliter postulare ab eo veniam peccatorum, & gratiam omnes vires actionesque animi, ad suæ diuinæ Maiestatis gloriam, referendi; & vt eius auxilio, è præsenti Meditatione, singularem aliquem fructum capere possis. Poteris etiam tuam precationem inchoare, ijs Abrahæ verbis: *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis & cinis*; vel vt exponit S. Chrysostomus: *Ne putes, Domine, me ignorare me ipsum, & transgredi mensuram, & tanta vti fiducia. Scio enim, quòd terra sum, & cinis: sed sicut hoc scio, & manifestè scio, ita neque illud ignoro, quòd copiosa est tuæ misericordiæ magnitudo, & quòd diues es in bonitate, & quòd vis omnes homines saluos facere.* Cogita igitur qui sis, nimirum homo vilissimus, peccator ingratissimus, re vera puluis & cinis, stercus & fœtor: & hac cogitatione te ipsum humilia. Deindè vide quem sis oraturus, nimirum Deum sapientissimum, optimum, potentissimum, angelicæ naturæ amatorem, humanę reparatorem, omnium conditorem. Admirare, diuinam Maiestatem intimè pręsentem, quæ te ante se sustinet; dilige immensam bonitatem, quę prona est te exaudire, & benignè tibi fauere; in spem erigere, quòd è conspectu tanti Regis, nec vacuus nec desolatus exibis: *Ita in omni Meditatione tibi Deum pręsentem constituas*: idque vel sensibili imaginatione; v.g. vt infinitum lumen, vndequaque nos circumambiens, & collustrans; vel vt mare immensum, cui nos velut spongia immergamur: vel vt in throno glorię considentem &c. aut simplici actu fidei, absque alia eius imaginatione, credendo, vti est, illum verè nobis esse pręsentem: qui dubio procul melior est modus; & eliciendis actibus supernaturalibus magis proportionatus, minùsque lędens phantasiam, & vim imaginatiuam, atque adeò potiùs consulendus. Quod non solùm fieri debet intellectu; sed necesse est, vt in-

S. Chrys. ho. 42. in Gen.

Trinkellius in prolog. n. 3.

de resultet in affectum interior erga Deum reuerentia, & adoratio, cum profunda sui demissione, & subiectione. Et quanuis hoc totum, pręcipuè initio orationis, necessarium sit; tamen eo quoque tempore, quo cum Deo agimus, hoc ipsum, maximè dum colloquia cum illo instituimus, obseruandum erit; adiungendo etiam externam corporis eam moderationem, & compositionem omnium membrorum, quę tantę Maiestati reuerenter adorandæ congruit. Quę reuerentia maximè crescet, si ante orationem, viuo actu fidei, non solùm concipiamus illum præsentem nobis; sed insuper desiderantem, vt modo quodam speciali eum colamus; imò hoc ipsum operantem in nobis, quatenus videlicet communicat nobis quodãmodò eum actum, quo ex infinita suę Maiestatis ęstimatione & amore se ipsum glorificat; vt possit illum similiter ęstimare, reuereri, & colere creatura. Ad quod possumus initio orationis apprehendere nos in Deo, vel Deum in nobis, non otiosum, sed operantem; primùm circa se ipsum, infinita ęstimatione & amore, se ipsum in se ipso glorificantem; deindè etiam in nobis excitantem similem actum, quo, vt par est, immensam Maiestatem ęstimemus, & reuereamur, atque adeò illum se ipsum, quasi per nos, in nobis reuerentem. Sicuti enim erat Deus in Christo, mundum per Christum reconcilians sibi: ita modo quodam est in nobis per Christi gratiam, & merita, per nos se se glorificans. Sic etiam facilè intelligemus, qualiter bonitatem suam per participatos eius actus, adeò sublimes, in nobis diffundat, atque adeò quomodò ipse in nobis operetur, toto orationis tempore, actus admirationis, gratiarum actionis, laudis, amoris, fiducię, petitionis; ac se ipsum glorificet, amet; seque omnium bonorum fontem agnoscat. Vt pote cùm non solùm nobis sit pręsens mortuo quodam modo, & per solam suam substantiam, sed etiã vt operans: primùm quidem in se, deindè etiam in nobis efficiens, vt velimus & moueamur ad ęternam eius gloriam; sine cuius influxu alioquin essemus immobiles. Quod magnę humilitatis nobis ansam prębere debet atque etiam excitare, ne sinamus Dei inanem in nobis operationem; sed ei cooperemur liberè, & quodammodò iuuemus ad laudandum se & glorificandum. Demum aduerte quem è Meditatione sis boni affectum eliciturus, vt ad eum tuas considerationes dirigas: & quid sis petiturus; vt satis perspectum habeas quid dicendum, *Ne temere quid loquaris*. Poteris quoque, si velis, B. Virginis, Angeli Custodis, S. Patris tui, vel Cęlituum ad quos afficeris, auxilium implorare: & sub ipsum Meditationis initium, si meditationis puncta memoria exciderint, relegere iterum.

413 Componendum eo situ corpus, quem, ad attentam meditationem instituendam, commodiorem putabis. Itaque & pedibus consistere, & sedere, & ab alijs etiam inambulare, in orando permittitur. Sed tu ora genibus nixus: quòd si diù non potes, pedibus insistas, ita tamen vt ad genuflexionem paulò post redeas. Conuenit aliquando ad exemplum Christi, maximè si magnus aliquis motus insurgat, prono etiam corpore ad breue tempus meditari. Nonnemo autem, Meditationis initio, hanc Orationem præmittit: *Omnipotens æterne Deus, ego N. peccator indignus, attamen opus manuum tuarum, venio coram te, vt laudem te, quia tu es Deus,* Dominus, *Creator, Saluator, ac Conseruator meus; quem solùm mihi, proximisque, dona ad salutem vtilia præstare posse scio, quia summè potens es: & velle non dubito, quia summè bonus es. Quem omnes creaturæ in cœlo & in terra laudare debent, & nunquam pro merito laudare sufficiunt. Verùm, miser ego ad laudandum Te, heu, quàm indignus & imparatus venio ob innumera peccata mea! Doleo ex intimo corde meo, quòd vnquam offenderim Te Deum meum, summè bonum, quem laudare & amare super omnia debueram. Sed tu me fac dignum per misericordiam tuam; & munda me pretioso sanguine Iesu Christi Filij tui* Saluatoris *mei, ab omnibus iniquitatibus meis. Quin & ab omnibus vanis, noxijs, & alienis cogitationibus, libera cor meum, vt in spiritu & veritate Te adorare & laudare valeam; & quæ supplex ab immensa bonitate tua petiturus sum, obtineam; idque secundùm beneplacitum clementissimæ voluntatis tuæ, cui per omnia me libens subijcio. At quomodo seruus inutilis inueniet gratiam in conspectu tuo? Respice, ò Pater, in faciem Christi tui, in quo tibi bene complacuit: in cuius nomine supplex rogo, vt clementer exaudias me. Ecce ardentissimas eius orationes, pios affectus, & sancta desideria, sanctissimas eius cogitationes, verba, & opera; omniaque Vitæ, Passionis, ac Mortis illius merita, offero Tibi, vt ex illorum perfectione & vnione, suppleantur omnes defectus mei; & per illum velut Mediatorem & Aduocatum nostrum, placeat Tibi, ò Pater æterne, obsequium hoc seruitutis meæ. Et vtinam affectu, Zelo, & feruore Beatissimæ Matris & Virginis Mariæ, sanctorum Angelorum, & omnium Beatorum, præsertim Patronorum meorum N. & N. Te colere, amare, & laudare valeam. Idque eo fine, vt auferas à me quicquid Tibi displicet in me, in primis N. & N. & quod imperfectum meum vident oculi tui, ò scrutator cordium: gratiam quoque & virtutes mihi magis necessarias, vt in vocatione mea digniùs seruiam Tibi, velut has N. & N. benignè largiaris omnia, ad maiorem Nominis tui gloriam, meam & proximorum salutem, & defunctorum solatium, maximè quibus singulariter obligatus sum. Hoc vnum Domine vehementer*

desiderat anima mea, nimirum, seruire, placere, & adhærere Tibi, nunc & in æternum. Tu enim es Deus meus, & omnia. Amen.

De Repræsentatione.

Repræsentatio vel imaginatio est, qua homo ante punctorum considerationem repræsentat, idest, ob oculos ponit personas, earundemque actiones in mysterio Meditationis expressas. Vt si mediteris de Crucifixione Christi, imagineris te intueri Montem Caluariæ, cruci Christum affigi, infinitam hominum turbam circumstare. Similiter, mediteris de morte. Fingas te adspicere teipsum, vel alium quempiam, in lectulo decumbentem, pallidum, sensibus destitutum, & morti vicinum. Hæc enim repræsentatio valet non solùm ad cauendas animi distractiones, sed etiam ad concitandum affectum doloris, compassionis, metus, & similium. Et si in hac imaginatione diu hærendum non est, sed tantùm quamdiu sentis te piè moueri ad amorem, pœnitentiam, lætitiam, vel aliud. Quod si materia Meditationis sit de re, in qua nulla sit circumstantiarum, vt loci, vel personarum repræsentatio, statim à præparatione ad considerationem abibis.

De Consideratione.

414 Consideratio, est operatio intellectus, qua homo sedulò expendit quæ in singulis punctis continentur, cum desiderio inde fructum aliquem spiritualem exhauriendi. Maximè autem discurrit, & ratiocinatur, circa circumstantias. Vt si mediteтur de aliquo puncto Passionis Domini, attendat. Quis sit qui patitur; quid, pro quo, & qua de causa, patiatur. Excutiendum igitur, inspiciendumque primùm Meditationi præstitutum caput, eique inhærendum, quamdiu in eo inuenitur quod aut intellectum erudiat, aut voluntatem pio sensu afficiat, & quasi gustu quodam detineat, licet in eo solo omne meditationi præfixum tempus impendi contingeret. Primo verò materiæ puncto sic excusso, transeundum erit ad secundum, & sic deinceps. Quod si contingat pertractatis excussisque singulis ad meditandum præfixis, nec dum meditationis tempus effluxisse, possunt eadem à principio, aut illa saltem in quibus maior fuerit animi sensus, iteratò retractari. Discurrit igitur intellectus, considerans actiones, & personas cernens, veluti si proprijs oculis eas præsens aspiciat. Considerat gestus, motus, circumstantias, & ea omnia, quæ vel expressè in historia ponuntur, vel verisimiliter geri & dici potuerunt. Ponderat verba sacri textus non tanquam simpliciter ab homine prolata, sed mysterijs plena, grauida sensibus, & à Spiritu sancto dictata. Diuersas

affert similitudines, & comparationes; quin etiam figuras & prophetias: & ex alijs similibus varias affert illationes. Et in his omnibus ad praxin descendit, & intuetur, ac si ante oculos ipsas actiones videat actitatas. Ex discursu autem hoc intellectus, voluntas interim velut ignis exardescit, & variè afficitur. Et nunc meditans exclamat, nunc admiratur, quandoque confunditur, vel seipsum reprehendit; suamque erubescit ingratitudinem & inconsiderationem: nunc despicit inferiora hæc & caduca: nunc aspirat ad superna: & demum, in singulis nouis ponderationibus, varios affectus exercet. Itaque totum Orationis tempus hæ tres sibi consumunt potentiæ, facto reciproco transitu ab intellectu ad voluntatem: & postea denuò ab hac ad illum redeundo; vt hinc noui motus procreentur, ad alios actus & effectus educendos.

De Petitione aut Colloquio.

415 VBi sedulò, quæ in punctis continentur, expenderis, & te ad amorem, dolorem, vel alium affectum moueris, & accenderis, facilè occurret quod per colloquium à Deo petere debeas. Ordinariè autem poscere potes maius lumen Deum & te ipsum cognoscendi, peccatorum remissionem, dolorem de ijsdem, perturbationum animi expugnationem, in literis & pietate progressum, demum virtutes omnes, quæ gratiorem te Deo reddant. Ideóque in Colloquio multi reflexionem suadent accuratam, & diligentem, applicando res meditatas maiori tuæ necessitati, quā ante meditationem tibi proposuisti. Hoc autem semper obserua, vt proposita, quæ in futurum tempus respiciunt, ne sint generalia, seu vniuersalia tantùm: sed ad particulares necessitates, impedimenta, & occasiones descende. V.G. Propono in tali conuersatione, & in tali loco, hæc & hæc cauere, hæc & hæc agere. Quæ si fideliter opere & executione compleantur, in permanentes habitus immutantur, qui est optatus & vltimus finis huius orationis. Tempore verò meditationis prope elapso, concludenda erit, oratione ad Deū instituta: quæ aut sola mente, aut verbis etiam exteriùs prolatis, fieri potest. Hæc autem oratio diuersimodè solet concipi, pro vt diuersarum personarum conditio postulat, quas inter orandum quiuis in se suscipere potest. I. Potest fieri tanquam à facinoroso coram iudice, à quo veniam admissorum petat. II. Tanquam ab inope ad opulentum ac præpotentem Regem, cui suam calamitatem exponat. III. Tanquam à seruo ad Dominum suum, in quem cum omni reuerentia & submissione se gerat. IV. Tanquam ab infirmo ad medicum, à quo ostensis vulneribus, morbisque explicatis, remedia

opperiatur. V. Tanquam à filio ad patrem aut matrem amantissimam, quam vnicè diligat. VI. Tanquam à Sponsa ad castissimum animæ suæ Sponsum, quem excipere & complecti desideret. Ad hæc, eiusmodi Colloquia possunt institui non solùm in extremo meditationis, verùm etiam quoties id affectus inter meditandum suaserit: nec solùm ad Deum, vel ad singulas S. Trinitatis personas, vel ad Christum Crucifixum, verùm etiam ad Beatissimam Virginem, aliosue sanctos Patronos, imò & ad hos omnes, pro vt in diuersis meditationum subiectis vnicuique animus suggesserit.

416 Finita meditatione per colloquium, Deo, seu verbis, seu sola cogitatione, gratiæ pro successu meditationis agendæ, petendumque ab eo præsidium, vt ea quæ inter meditandum sanctè perfecturum te statuisti, re ipsa perficere possis.

417 Circa tamen affectum, in quo vis meditationis consistit, scire debes, hunc ordinariè debere esse leuem, quia diutiùs continuari potest, & capiti pectorique non nocet. Quem diuina gratia adiutus, facilè excitabis sedula consideratione personarum sanctissimæ Trinitatis, Christi, B. Virginis, & circumstantiarum, non eos verbis, sed cordis affectu dulciter alloquendo. Quo affectu Angeli, Diuinæ Maiestatis conspectu suspensi, continenter canunt, *Sanctus, sanctus, sanctus.*

418 Si autem Deus aliquando immittat tibi vehementiorem affectum, v.g. vt prorumpant lacrymæ, humiliter eum admitte; & quandiu Deus dederit, continua. Sed hic diuturnus esse non debet, maximè si sponte à te concitatus sit, ne labatur caput. Prodest autem plurimùm hic affectus in quibusdam casibus. *I.* Si Confessionem Generalem de tota vita, vel de toto anno facturus, optares te excitare ad contritionem veram & perfectam, quam Theologi dicunt valere ad expiandam omnem culpam & pœnam. *II.* Si quando graui tentatione contra fidem, castitatem, vel vocationem pulsarere. *III.* Quando aduerteres te, in studio pietatis, vel vocationis tuæ, omnino refrixisse. *IV.* Si quando aggrediendum esset opus magnum ad Dei gloriam multis difficultatibus implicitum.

419 Quòd si contingat te inter meditandum omni gustu solatioque destitui: non ideò animum despondeas. Si enim tua culpa id acciderit, quia imparatus in meditationem irruisti, humilia te, culpam agnoscendo, & breui sequetur serenitas. Si verò non tua culpa, cogita permissum à Deo, vel vt disceres gustum illum non studio nostro parari, sed dono Dei obtineri, vel vt Deus probaret, an ex puro Dei amore sanctum hoc opus, & non consolationis tuæ

causa, exerceres. Itaque tempore desolationis, dic: *Ego non incœpi hanc meditationem meam propter meum solatium, sed ex mero amore Dei; quare eandem ex eodem amore perficiam.*

420 Si verò multis agiteris distractionibus, nec ideò abrumpe meditationem: sed cogita, si obrepant te inuito, nullum peccatum admitti. Tantùm vbi aduerteris te distrahi, resiste illis, licet sæpius redeant: neque enim minùs grata erit ob hunc laborem meditatio tua, quàm si cum deuotionis sensu eam perfecisses. Prodest etiam in hac pugna prosilire ad colloquia, & submissè agnoscere te tuis viribus nihil posse: vel etiam grauiter te accusare, tanquam mortalium ignauissimum, qui non possis etiam ad breue tempus cum Deo loqui: & auxilium diuinum experieris.

De Retractatione.

421 RETractatio post meditationem consistit in attenta eorum excussione, quæ toto meditationis decursu tibi acciderunt. Cogita nimirum, an te ad orationem præparaueris, & affectum ex meditatione eliciendum præuideris; an dato orãdi signo, statim incœperis; aut saltem sine vlla mora ad locum destinatum accurreris; an dormitaueris aliquantulum; an vigil & erectus steteris; an distractus, an verò spiritu collectus astiteris. Cogita quid fueris meditatus, an intellectui plus nimio habenas discurrendi laxaueris, an paruum affectum, an moderatum, an ardentem habueris: an tepidè, an verò instanter postulaueris: an cum debita reuerentia, aut potiùs minùs reuerens & humilis, apud Dominum fueris; an sine causa infirmitatis aut imbecillitatis sufficiente stans, aut sedens, & non genuflexus oraueris: & denique, an alium defectum admiseris, curiositatis, diffidentiæ, pusillanimitatis, præposteræ intentionis, aut similium. Si te minimè defecisse deprehenderis, Dei beneficium agnosce, & pro eo gratias age simul; & quomodo in posterum tibi sit progrediendum addisce. Si verò in aliquo defecisse, non tantùm doleas, sed & culpæ causam inquiras, vt postmodum culpam vitare, & quomodo tibi sit defectus emẽdandus, & rectè procedendum, agnoscas. Et demum reuocanda in memoriam pia desideria, ac proposita, tempore meditationis concepta; & circumspicienda præsidia, ad ea reipsa perficienda.

422 Præter hunc orandi modum per tres potentias, alter est dictus, *Repetitio*, quem superiùs tametsi obiter exposuimus; & tertius, *Applicatio sensuum* imaginariorum absque discursu, cum simplici attentione, audiendo, videndo, amplexando, & osculando loca cum omni reuerentia; gaudendo cum animi attentione, vt solet

quis, quando res amata est præsens, & à sensibus percipitur: quod non tantùm vsuuenit in rebus sensibilibus & corporalibus, sed etiam in spiritualibus, gustando nempe suauitatem Dei, & se fragrantia odoreque virtutum recreando. Finis huius orationis est duplex. *I.* In rudioribus, qui intellectu multùm discurrere, & materias penetrare non possunt; sed cum simplici affectu in illis exterioribus apparentijs sensuum quiescunt. *II.* In illis qui multum intellectu discurrerunt, & materiam penetrarunt; vt aliquantulum quiescant, & à discursuum labore cessent, magisque accedant ad contemplationem rerum, de quibus meditati sunt, cum affectu & simplici rerum istarum intuitu. Et ideò ille orandi modus in vltima diei hora adhibetur, quia, postquam quis in Meditatione tribus animæ potentijs laborauit, maioremque in Repetitione notitiam, & affectum acquisiuit; magis opus est, vt simpliciter in ijsdem punctis notitia & affectu quiescat.

423 Circa discrimina autem, inter affectus ac illustrationes à Deo, à natura, aut à dæmone profectas, hæc habe. Quicquid à dæmone proficiscitur, plerunque ad inconstantiã, inquietitudinem, ac perturbationem animum pertrahit: facit vt altè de nobis rebusque nostris sentiamus; non rarò etiam pusillanimitate, quæ ad desperationem pertineat, animum conturbat. Quod si verò quandoque bonas animo affectiones ad virtutem spectantes suggerat, eæ vt plurimum breuissimæ sunt, recedentesque hominem anxium, mœstum, pusillanimem & subinde etiam nimium sibi præfidentem relinquunt; aut denique tempore ac loco importuno, vt maius bonum præpediant, ingeruntur.

424 Affectus qui à natura tantùm excitantur, plerunque in suaui quodam sensu, ac quasi gustu consistunt, nec vlterius quidquam spectant, ibique desinunt, vbi suauis illa naturæ concitatio euanescit: interim hoc efficiunt plerunque, vt nos ipsi nobis, nostraque nimium placere incipiant. Vnde benè dici solet, huiusmodi naturæ affectibus abundantes meditationes, arbores esse, quæ præter flores & folia, fructum nullum ferant.

425 Qui verò à Deo sunt, ij plerunque secum habent. *Primò*, Permanentem animi voluptatem; *Secundò*, Insignem mentis constantiam; *Tertiò*, Magnam animi tranquillitatem; *Quartò*, Incitata desideria, ad multa Dei causa perferenda; *Quintò*, Generosam rerum terrenarum despicientiam; *Sextò*, Ardentem rerum diuinarum sitim; *Septimò*, Magnum sui ipsius, ac proprij iudicij odium, promptitudinemque, ad se, in omnibus, eorum, quibus subest, ar-

bitrio submittendum; *Octauò*, Flagrantissimam se emendandi, ac Deo perfectè obsequendi cupiditatem. Hos in te si sentias, foue, & prosequere: illos, statim extirpa.

426 Sed demum, Amoris, in Deum tendentis, actiones interiores, à Theologis plerunque, hæ solent assignari. *Prima*, Deum tanquam summum Bonum, videndum ac fruendum pronissimo affectu desiderare. *Secunda*, Sua Deo omnia velle, nec aliam ob causam, nisi quia bona Dei sunt, vti sunt sapientia, bonitas, potentia, &c. *Tertia*, Impensè gaudere, Deo ab Angelis, Beatis, probis omnibus, seruiri. *Quarta*, Desiderare vnicè, vt res creatæ omnes, gloriæ honorique diuino, sese impendant. *Quintá*, Animo dolere ob omnes in Deum iniurias, & à se, & ab alijs commissas. *Sexta*, Seriò constituere, omnem Dei legem exactè obseruare. *Septima*, Vnicam in omnibus Dei voluntatem sibi sequendam proponere. *Octaua*, Auersari omnia, quæ quis Deo displicere cognouit. *Nona*, Omnia sua Deo liberalissima submissione offerre. *Decima*, In res aduersas omnes, Dei causa tolerandas, promptum animum obfirmare. *Vndecima*, Diuini regiminis prouidentiam vbique agnoscere, & extollere. *Duodecima*, Fateri, se diuinis fauoribus minùs respondere, & amoris augmentum poscere. *Tertiadecima*, Beatam in Dei amore perseuerantiam, assiduis precibus efflagitare. Quæ omnes hac oratione continentur.

Actus amoris in Deum.

O Mi amantissime Deus, ad te summum bonum, toto cordis affectu, feror. In immensissima bonitate tua exulto; & gaudeo, quòd te omnes Angeli adorent. O mi Creator, quàm ego cupio, vt omnes homines te agnoscant, & colant! Ah, quàm me pœnitet omnium peccatorum meorum! Et ideò firmissimè statuo legem tuam posthac in omnibus obseruare. Omne solatium meum in suauissimo tuo beneplacito quæram. Auersabor quicquid tibi displicuerit. Mi Deus, omnia mea tua sunt, tibi omnia consecro: propter te, aduersa omnia libentissimè tolerabo: permissione, & dispositione tua semper contentissimus ero. O bonitas, tuum in me amorem adauge. O Caritas te nunquam amare desinam.

427 Cæterùm, haud parum iuuat ac refert, actus edere, quos adijcimus.

1. Protestatio operandi purè pro Deo, sine omni commodo amoris, aut obsequij. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D.N. Iesu Christi facite.* Coloss. 3.

I. O sanctissima & indiuidua Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus S. ego misera & indigna creatura, firmo & constanti proposito me totum hodie

in sanctissimam & iustissimam voluntatem tuam proijcio; & abnegando me ipsum ex toto corde pronuncio ac protestor, quòd totus velim esse tuus; & nec habeam quicquam, nec habere velim vnquam aliud, quàm Te solum: Te solum volo quærere, Te solum amare, idque sincerè, simpliciter, ac purè sine meo commodo. Et firmiter nunc propono deinceps Tuæ Maiestati supremæ seruire, & eandem amare, non tam vt effugiam pœnas, carcerem, aut infernum euitem; neque vt mihi des consolationes, aut beatitudinem in altera, aut aliud quidpiam desiderabile in vita præsenti: sed præcipuè, vt quæram Te solum, velim Te solum, amem Te solum. Et certè solus mihi sufficis, qui es verum vnicumque complementum omnium. Quare vni Tibi me do, & dedico in æternum, idque tam firmo & inuiolabili proposito, tam sincero cordis affectu, vt tota anima mea Te amare, Tibique seruire supradicta intentione velim, etiam si viuerem seculis infinitis. Hoc inquam est consilium, hoc decretum, hæc enixa voluntas mea. II. Si dare vis mihi dulcedines & consolationes, sis benedictus; facies enim tanquam benignus & amabilis Deus, qualis fuisti semper, es, & eris: & ego vicissim Tibi ago gratias infinitas: sicut etiam si illas mihi dare non velis. Imò, si immittere vis mihi pœnas, ærumnas, & vexationes, æquè benedico Tibi, & infinitas gratias ago. III. In huius propositi confirmationem, nunc testem appello Beatissimam Virginem Mariam, Reginam Cælorum, cum omnibus Angelis & Sanctis in Cælo degentibus: quos omnes rogo, vt intercedant pro me apud Tuam Diuinam Maiestatem: quò meum hoc propositum Te solum purè in omnibus & nihil aliud quærendi, crescat & impleatur. Quare, ò mi dulcissime Domine, ad Te iterum me conuerto, & obsecro, vt digneris acceptare meum istud propositum, & dare vires, quibus illud implere valeam; quia sine Te prorsus nihil possum. Et quia me talem agnosco, ideò ad Te recurro, Tibi me commendo; totumque committo, & in visceribus misericordiæ tuæ abscondo. Suscipe me igitur, Deus meus: amplectere me, spes mea: immuta & transforma me in Te, per omnia, ò dulcissime Pater. IV. Hac ipsa intentione & fine statuo me exercere in infrascriptis exercitijs, & actibus virtuosis: quos si interdum ore & opere explicare satis non potero, nihilominùs intendo, & nunc propono, corde implere, omni momento temporis, & semper; maximè in hora mortis, conatu affectuque maximo, & modo excellentissimo, quo per me vel aliam quamcunque creaturam fiunt, ac tu ipse nosti fieri posse. Et ecce nunc illos omnes Tibi offero, perinde ac si eos ipse elicerem: simulque toto corde Te rogo, per infinitam tuam bonitatem & misericordiam, vt eos acceptare digneris. Amen.

II. Actus Fidei. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11.

I. Ego itaque, ò fidelissime & verissime Deus, firmissima & prima Veritas, toto animo amplector fundamentum hoc fidei: ideóque humillimè in ter-

ram prostratus adoro, & veneror Te, in cælo & in terra: & optimo excellentissimoque modo, quo possum, firmissimè profiteor; & ex nunc & in perpetuum, corde credo, & ore confiteor, omnia quæ dixisti, reuelasti, & proposuisti credenda, mediante S. Ecclesia: præsertim ea, quæ continentur in symbolo Apostolico; affirmans, omnia certissima esse, vt nihil omnino de ipsis possit in dubium reuocari. II. Ideò coram Tua Diuina Maiestate, & tota Curia cælesti, confiteor, & firmissimè protestor, velle me in huius veritatis confessione viuere, & mori. Ah quàm præterea cuperem, vt vniuersus mundus firmissima fide Te cognosceret, & confiteretur: & summoperè doleo, quòd Te non credat, adoret, veneretur, sicut oportet. III. Quare, obsecro Te, per pretiosum sanguinem, vitam, & mortem Domini mei Iesu Christi: per merita sanctissimæ Matris eius, & intercessionem SS. Apostolorum, Discipulorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum & Electorum tuorum, vt velis in me, & omnibus hominibus, sanctum istud lumen fidei augere, & infidelibus illud accendere: vt eo magis omnes Te agnoscant, confiteantur, adorent, iuxta desiderium S. Prophetæ tui, cum quo exclamo: Confiteantur Tibi populi, Deus; confiteantur Tibi populi omnes: omnis terra adoret Te, & psallat Tibi. Laudate Dominum omnes gentes &c. *IV. Sed & lubens offero Tibi, si opus fuerit, vitam & sanguinem meum pro hac fidei veritate, & confessione tuenda. Atque vtinam, ò sanctissima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus sancte, Tibi placeat dare mihi gratiā Martyrij pro eadem obeundi: egò me non modo promptissimè, cum gratia tua, offerrem ad omnia dura & aspera: sed etiam pro maximo beneficio reputarem, si multa crudelia, pro tuæ veritatis amore, daretur perpeti. Exaudi me, dulcissime Deus.*

III. Actus Spei & Confidentiæ in Deum. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Hebr. 10.

I. Ego itaque, Deus meus omnipotens, totus inclinatus & prostratus, Te adoro & veneror: cui nihil impossibile & difficile est, iuxta verissimum illud effatum, Apud Deum non est impossibile omne verbum. *Et quia per eandem omnipotentiam tuam promisisti mihi cælestem gloriam: ideóque etiam me vocasti, vt essem Tui consors & similis, ò Bonitas infinita, per auxilium tuum, & bona opera, quæ cum gratia tua speciali statuo facere, spero, & à Te solo consequi desidero vitam æternam. II. O verè Omnipotens Deus, ecce ego apertissimè cognosco tantum bonum mihi promissum me possidere non posse, nisi Te mediante; Teque desiderare, & velle illud mihi dare: ideò enim Filium tuum pro me in mortem dedisti. III. Gratuler mihi, & exulto, mi suauissime Iesu, bonitas infinita, quòd per Te solum possim beatus fieri: neque aliud nomen sub cælo datum sit nobis, per quod salui fiamus.*

mus. Unde nec placeret mihi Beatitudo, nisi per te illam haberem: quandoquidem omnis spes mea, & fiducia, in te posita est: eamque in te solo fixam ratamque volo, benignissime & dulcissime Iesu, summum & ultimum bonum cordis mei. Et hinc tanto iubilo, tanta consolatione afficior, tantamque sentio fiduciam, ut videar mihi iam tenere ac possidere bonum, quod desidero: quandoquidem scio, quòd Filius tuus unigenitus, per quem tantum bonum mihi dare vis, sit Redemptor meus, & in negotio tam arduo fidus Aduocatus. IV. Quare Pater Omnipotens, toto corde firmissimè spero, posse me à te, cùm sis liberalissimus, consequi & obtinere omnia, quæcunque mihi ad salutem necessaria fuerint. Ac primò quidem Veniam omnium meorum peccatorum, quantumuis multorum, & enormium: tum etiam vires ad superandas omnes difficultates, in hac vita occurrentes. Ac tandem gratiam perueniendi ad fruendum perpetuò felicissimo tuo aspectu. Et quanquam cælum, terra, & omnes creaturæ, contra me coniurarent, & ipse iam in portis Inferorum consisterem, nihilominùs, beneuolentissime Pater, semper in te sperare vellem, & confidere, dicendo cum Propheta: In te Domine speraui, non confundar in æternum. *In* Domino sperans non infirmabor. *Amen.*

IV. Actus Amoris erga Deum & proximum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Lucæ 10.*

I. Ego itaque desiderans exercere hunc excellentissimum actum, amabilissime Deus, ac suauissime Domine, summe gaudeo, mihi complaceo, tibique congratulor, de tuis infinitis perfectionibus & attributis: quòd solus tu sis, qui es, & summum infinitum bonum: sisque Deus inscrutabilis, & immensus, qui comprehendi non possis, neque satis ab ulla creatura cognosci. II. Gratulor tibi tantam tuam super nos, & super omnia potestatem, gloriam, dominationem, imperium: & quòd hæc habeas à te ipso. Profectò, Domine, si per impossibile, aliquid ego possiderem, quo tu careres, illud omne tibi libentissimè cederem, & tribuerem: imò, si possem esse Deus, nollem tantùm ideò, ut tu solus esses, nec parem haberes. III. Opto quoque & ex intimo cordis mei affectu desidero, ut omnes creaturæ, quæ sunt in cælo, terra, & mari, & quicquid usquiam est, aut esse & reperiri potest: omne suum esse tibi acceptum referant, honorem tibi exhibeant & obsequia: te laudent, magnificent, ament omnes, inducti sola tua infinita bonitate, & excellentia tuæ Maiestatis: quia tu solus es omni amore dignissimus. Sed & maximo gaudio me afficit, quòd quicquid creaturæ præstare conantur tui amore, id omne tuæ dignitati & magnitudini longè sit impar. IV. Et quia tu ex te ipso longè es amabilis, toto pectore desidero te amare, illa perfectione, qua te amarunt, amant, & in æternum amaturi sunt omnes Beati. Et hac eadem affectione cordis, offero tibi illum feruorem, floremque cari-

tatis, qua tu te ipsum amas, amasti, & in æternum amaturus es. V. Superabundo gaudio, & infinitas tibi gratias ago, quòd tu ipse meũ, & omnium creaturarum officium suppleas, in amando te ipso. Et hunc ipsum amorem tui ipsius, offero tibi in gratiarum actionem, pro omni gloria, honore, beatitudine qua frueris: vnà cum omni illa gloria, honore, laude, quam vnanimi consensu omnes beati spiritus, & omnes iusti huius mundi, tibi deferunt. Et in summa, tuum esse, tuam gloriam, & omne tuum bonum, in te ipso cupio, & propter te ipsum. VI. Et hoc tibi de me certum esse velim, ò dulcis Amor meus, quòd tam firma, tamque constanti voluntate statuerim te diligere, vt, etiam si mihi nihil vnquam, neque in hac neque in altera vita, boni velles conferre; imò si in hac vita omnibus ærumnis afficeres, & in altera supplicijs addiceres æternis, nihilominus tamen amare te velim, & ex intimis medullis cordis mei tibi seruire: ne ad momentum quidem (tua me gratia adiuuante) ab amore tuo desistens, aut quicquam remittens. Quod vt clementissimè confirmare, & acceptare digneris, humiliter peto. VII. Quando verò, pijssime Domine, *præcipis mihi vt amem etiam proximum meum, pro tam dulci præcepto tibi gratias ago: & ideò quantum possum, impello voluntatem meam ad ipsum amandum. Cupio ipsum amare, precorque ipsi à te omne bonũ, quo felicior, & tibi gratior fiat: maximè N.N. à quibus rebellis mea voluntas nonnihil abhorret. Rogo, dimitte illis omnia sua peccata: & concede, vt arripiant remedia necessaria ad vitam æternam consequendam: quod si noueris expedire, vt ego caream aliquo dono tuo, quod ipsis attribuas; ecce Domine Deus meus, nihil detrecto. Magna me voluptate perfundit amor, quo illos prosequeris: & perfectio, qua illos exornas: pro qua gratias tibi maximas habeo. VIII. Quod si, te permittente, contingat, me ab aliquo offendi & vexari, nihilominus iam nunc te obsecro, priusquam illud eueniat, vt uelis ipsi dare ueniam & uitam æternam: & hoc quia tu ipsum amas, egoque desidero tibi in omnibus conformari, ut nihil unquam uelim ego, nisi quod uis tu ipse, Dominus & Deus meus, Amen.*

V. Actus Adorationis ad sanctissimam Trinitatem.

Luca 4. *Dominum Deum tuum adorabis.*

I. Ecce ego, omni illa, qua possum, submissione & humilitate, positus coram tua diuina Maiestate, Deus meus, agnosco me creaturam, & opus manuum tuarum, à te per omnia dependens: te uniuersorum absolutum Dominum: dignissimum qui pro tali ab omnibus habearis & honoreris, infima cordiali submissione humi prostratus, & ex profunda abysso mei nihili, te adoro adoratione latriæ: & tantæ Maiestati in infinitum me submitto, omnemque reuerentiam & honorem, quem possum, exhibeo. II. Contentus etiam sum, imò contentissimus, me nihil esse, nihilque posse, nisi à te pro-

ueniret; imò nollem esse, nec aliquid posse, nisi dependenter à te. III. Ideóque inuito & inuoco sanctissimam Virginem, beatos spiritus, & totam Curiam cælestem, imò creaturas vniuersas, ut mecum adorent, uenerentur, & agnoscant tantam Maiestatem: & iam nunc unà cum illis te adoro & agnosco; imò isto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenùs affectus es, & quibus affici te conueniebat; omnes, inquam, eos cultus uno fasciculo comprehensos, & colligatos, tibi offero & dedico. IV. Tandem, ò Deus meus, consecro tibi omnia, qui es absolutus Dominus uniuersorum: singulariter autem omnes meas cogitationes, uerba, opera tam interna quàm externa tibi offero & deuoueo; illud unum supplicans, ut in me perfectissimè impleatur amabilis tua uoluntas, qua me creasti, & uocasti ad tibi seruiendum. Amen.

VI. Actus Laudis & Gratulationis.

Laudate Dominum *omnes gentes.* Psal. 116.

I. Ego itaque, ò Domine, *uolo nunc aspirante gratia tua cor meum excitare, dicẽdo, affectu intimo animæ meæ: Laudabilissime* Deus & Dominus *meus, cum iubilo cordis mei pronuncio, proclamo, deprædico, totique mundo patefacio, quantum scio & possum, inæstimabilem magnitudinem, excellentiã, & magnificentiam tuam; quòd sis infinitus & immensus, immutabilis, & æternus: potentissimus, sapientissimus, optimus, sanctissimus, & infinitæ perfectionis, creator cæli & terræ, primum principium & ultimus finis omnium rerum: qui omnia summa prouidentia regis & gubernas. Horum omnium causa gaudeo, & gratulor tibi. II. Et ideò nunc ego, magno applausu, & toto pectore, te laudo, exalto, magnifico, ueneror: atque utinam hoc possim absque cessatione præstare, semper & in omni loco terrarum, tantum quantum te exaltant, magnificant, honorant, honorabunt, honorarunt, & honorare poterunt simul omnes creaturæ, & omnes qui fuerunt, sunt, & futuri sunt. III. Imò, cupio simul reddere tibi omnes illas laudes, quas potuissent, possunt, poteruntque deferre Beata Virgo, sanctissima Humanitas Christi: & tantum quantum possunt adferre innumeri mundi, & infinitæ creaturæ tam uisibiles quàm inuisibiles, quas omnipotens manus tua creare potest. Et tantas laudes, tantos honores desidero tibi exhibere, quantos nosti exhiberi posse, & quantos mereris. Quia uerò me facultas istud præstandi deficit, opto saltem tribuere tibi omnes illos honores & laudes, quas tuo adiutus auxilio offerre possum, & quantis tu te ipsum amoris uiribus amas: quibus nunc istum, qualemcunque meum affectum laudis, uelut exilem appendicem, adiungo. IV. Congratulor autem tibi, condelector, & lætor, quòd tu Deus meus, tam sis magnus, tamque laudabilis, vt neque vires omnis creaturæ, vel in terra vel in cælo, sufficiant ad te dignè laudandum & magnificandum: sed interim gaudeo, te ipsum, laudabilis-*

ſime Domine, id, in ſupplementum illarum omnium, abundè præſtare.

1.Theſſ.5. VII. Gratiarum Actio. *In omnibus gratias agite.*

I. Ego nunc, liberaliſſime Deus meus, agnoſco te omnipotentiſſimum, miſericordiſſimum, à quo omne bonum procedit: & confiteor à te mihi proueniſſe innumera beneficia, & ſingulariſſima dona, ab inſtanti conceptionis meæ, vſque ad præſentem diem: qualia ſunt, Creatio, Redemptio, Vocatio, Donatio S.Spiritus, Conſeruatio, & infinita alia ab iſtis profluentia, & in iiſdem contenta: licet eis fuerim indigniſſimus: maximè verò beneficio N.N. pro quo nunc, & pro omnibus alijs, tota contentione cordis mei, totiſque viribus, infinitas tibi gratias ago, ſicut infinitus eſt amor tuus, & bonitas tua, qua illa mihi largitus es. II. Agnoſcens itaque me tibi obligatiſſimum, ò Bonitas infinita, & neſciens neque ualens referre tibi gratias, quantas deberem, & cuperem, inuoco Ieſum Chriſtum, Beatam Virginem & omnes creaturas, tam uiſibiles quam inuiſibiles, ad agendas tibi pro me gratias: & illas quas ipſæ, quocunque gratitudinis genere modoque, tibi reddiderunt, reddunt, & in æternum reddituræ ſunt, ego illas pro me nunc omnes tibi offero: & una cum illis, eodem affectu, recognitione, & gratiarum actione, tibi gratias ago. III. Neque hoc eò facio, quaſi mea ſint iſta bona, ſed quia tua ſunt. Ego enim promptus & paratus ſum illis priuari, quotieſcunque illa repetere tibi placuerit: & oro ut idipſum facias reipſa, quotieſcunque ad maiorem tuam gloriam proficere iudicaueris. IV. Ago etiam gratias diuinæ Maieſtati tuæ, quòd ſis qui es: & pro omnibus bonis, quæ poſſides. Præterea, in gratiarum actionem, & gratitudinem pro omnibus donis, & beneficijs conceſſis, & concedendis mihi, & alijs omnibus creaturis, quæ ſunt, fuerunt, uel erunt; ſpecialiter pro his, quæ copioſiſſimè largitus es huc uſque ſanctis Angelis, & hominibus, Beatiſſimæ Virgini, ſacroſanctæ Humanitati Filij tui, Domini noſtri, eo quo maximè delectaris ritu, modoque, offero tibi, Deus, te ipſum, qui es complementum & perfectio omnium. V. Neque his contentus, in ſignum gratitudinis ex iſto momento, me ipſum tibi dedico, dono, trado; cum deſiderio & uoluntate tibi fideliter ſeruiendi, & cordialiter æternum te amandi: humillimè rogans, ut hoc quale quale munuſculum, undequaque tua Maieſtate indignum, etiam antea mille nominibus tuum, acceptare digneris. Amen.

Eccl. 7. VIII. Actus Oblationis. *Sacrificium ſanctificationis offeres Domino.*

I. O digniſſime Domine *Deus meus, Pater, Fili, &* Spiritus *ſancte, agnoſco me per omnia tuum: cùm quia me creaſti, tum quia me redemiſti: ut omittam innumera alia beneficia mihi præſtita: pro quibus ſi millies me tibi ſingulis horis impenderem, nihilominùs infinitè tibi obſtrictus manerem ac debitor. Quare ego iam talis, qualis ſum, liberè, & maxima qua poſſum efficacia, me tibi conſecro, offero, & per omnia dono, in pleniſſimum holocau-*

stum, animæ, & corporis mei: & omnium, quæ habeo, vel vnquam possum acquirere. Hoc autem facere cupio eo modo, quo tu desideras & quo maximè decet, vt me Tibi offeram & consecrem. Ac proinde libentissimè & liberalissimè submitto me sanctissimis tuis præceptis & nutibus in perpetuum. Et quia ego iam totus tuus sum, rogo ita me possideas, vt nunquam ipse mihi ampliùs restituar, aut mei iuris efficiar: sed vt omne meum velle, facere, dicere, non sit aliud quàm quod voluntas tua sanctissima & rectissima vult me velle facere, dicere, & meum non velle, non facere, non dicere, sit itidem tuum non velle, tuum non facere, tuum non dicere: fiatque purè solùm, quando, quomodo, quantum Tibi, dignissime Domine, placet à me fieri, non aliter. II. Præterea offero tibi omnes diuitias, & bona spiritualia rerum omnium, tum creatarum, tum earum, quas habes in thesauris omnipotentiæ tuæ: ita vt si omnes meæ essent, libentissimè vellem Tibi illas cedere: vel saltem ad solum tuum honorem & amorem expendere. III. Offero Tibi omnia bona spiritualia, cogitationes, verba, & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, facturi sunt omnes homines, qui fuerunt, sunt, futuriue sunt vnquam in hoc mundo: imò omnes istas cogitationes, verba, & opera bona, quæ possent habere infiniti homines, quotque creari possunt à tua Omnipotentia: ita vt si possem ex amore tuo eadem facere vellem illa efficacia, qua tu scis maxima fieri posse: & illo modo, qui esset Maiestati tuæ gratissimus. IV. Offero quoque Tibi omnes pœnas, dolores, martyria, & omnia mala pœnosa animæ & corporis, quæ passi sunt, patiuntur, & passuri sunt omnes homines, siue in mundo, siue in purgatorio, siue in inferno, in satisfactionem Iustitiæ tuæ, & augmentum gloriæ tuæ; & omnia, quæ scis ab omnibus & singulis tolerari posse, non solùm in hoc Orbe, sed etiam in centum millibus, & infinitis mundis, purgatorijs & flammis infernalibus: ita vt si Tibi placeret, cum gratia tua, omnia talia libenter propter amorem tuum, salutem meam & proximi, vellem perpeti. V. Præcipuè tamen offero Tibi pretiosum sanguinem, & infinita merita Domini mei Iesu Christi; cum meritis B. Virginis, & omnium Sanctorum, & vnà cum illis omnia supradicta: sicuti etiam omnes meas cogitationes, verba, opera; studia, occupationes, actus hodiernæ diei, & totius vitæ meæ. Denique desidero facere hanc Oblationem, illo cordis affectu, quo tu nosti fieri posse flagrantissimo; & toties quoties spiritum duco, ut totus in æternum sim tuus, tibique addictus. Amen.

IX. Actus Resignationis erga Deum.

Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum. 1. Pet. 5.

I. Mi pijssime Domine, omni affectu cordis mei abnegato per omnia, Tibi me totum resigno; & maximo, quo tu scis fieri posse, desiderio; & quantum per me fieri potest, desidero perfectissimè uoluntatem meam in tuum diuinum

beneplacitum transfundere: in quo solo cupio mihi complacere, quiescere, & in nulla re alia. Quare Te rogo, uelis de me, meisque rebus omnibus disponere, quo modo, & quantum Tibi placet, & uidetur conducere ad maiorem tuam gloriam. Sic igitur totus in Te resignatus, offero me paratum ad acceptandum à potentissima tua manu, quicquid mihi acciderit in hac uita, siue illud prosperum siue aduersum fuerit. II. Quare si uis me uiuere uitam, gratanter accipio: si uis me mori, non recuso: si uis me sanum, accepio sanitatem: si infirmum, infirmitatem: si locupletem, diuitias: si pauperem, uolo paupertatem: si honorabilem, placet honor: si inhonoratum, non abhorreo ab ignominijs: uis ut habeam consolationem, & illam uolo: si desolationem, non absterreor: si me uis esse in gratia apud homines, uolo & ego: si uis me esse odio; pro inimicis orabo, & in persecutionibus Te laudabo. III. Et ideò nolo habere oculos, nisi ad Te uidendum: neque aures, nisi ad Te audiendum: neque linguam, nisi ad loquendum de Te: neque cor, nisi ad Te amandum: neque memoriam, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis: neque intellectum, nisi ad agnitionem tuæ Maiestatis: neque manus, nisi ad tuum famulatum: neque pedes, nisi ad tuum obsequium: neque corpus, nisi Tibi ad uictimam: neque uitam, nisi Tibi in sacrificium. IV. In summa, ita sine omni exceptione tuus esse uolo; ut me ipso expoliato, & omni mea proprietate exuto, sanctissimæ tuæ Voluntati (quandoquidem meam iam Tibi donaui, & irreuocabiliter dono nunc, & in perpetuum) omnes meas cogitationes, uerba, & opera, tam interna, quàm externa, & omne meum esse, & posse, quæ gratia tua dignatus es mihi largiri, permittam, resignem, transcribam. Neque uolo quicquam uelle, aut non uelle, nisi quomodo, quando, & quantum Tu uis, & non uis: ita ut tuum Beneplacitum, sit meum summum & ultimum desiderium, iucunditas, consolatio, omni tempore, & in re qualibet. Quare pijssime Domine, assiste mihi, tua sanctissima gratia (sine qua scio me nihil posse) ut omnia cedant in honorem & gloriam tuam, & perfectissimè adimpleatur sanctissima tua uoluntas. Amen.

X. Delectatio de Deo.

Psal. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

I. O quantas ego, iucundissime Domine, causas habeo iubilandi, & exultandi! quandoquidem Tu es Deus ille, qui est nimirum infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Pulchritudinis, Misericordiæ, Iustitiæ, Fidelitatis, & innumerabilium aliorum Attributorum, tanquam principium & finis omnis boni: cùmque tantus ac talis esses, dignatus es coùsque extollere naturam humanam, illamque Tibi unire, ut uerè dicatur, Deum esse hominem, & hominem esse Deum: Deum quidem natura, hominem uerò dignatione & gratia. Quimmò, præterea promisisti mihi etiam æternam fe-

licitatem, & Beatitudinem: idque innumerabilibus testimonijs ac signis, tam in antiquo, quàm in nouo testamento confirmasti. O dignatio! O Bonitas infinita Dei ac Domini *Nostri! II. Itaque, auidè* Domine *mi desidero, & uolo in posterum, adiuuante gratia tua, omnem animi mei delectationem, esse in Te, ac de Te solo, deque rebus, quæ tuæ sunt, meque ad Te pelliciunt: sicut de Te bene dixit, qui dixit,* Deus meus & omnia. *Tu solus es bonitas, thesaurus, paradisus creaturæ rationalis in hoc & in altero mundo. III. Contra verò fastidio, prorsusque auersor hunc mundum, & omnia quæ illius sint. Neque minùs mihi molestum est ea videre, audire, & cogitare, quàm sordidissimam cloacam, cadauer putrescens, ac sterquilinium. Omnia enim præter Te, Domine, arbitror vt stercora; abominor vt rem contagiosam. IV. Et cupio tuæ solius dulcedinis gustu affici, tantumque tuis è rebus gaudium & voluptatem capere, omnes verò res mundanas, & quæcunque cor meum à Te auertunt, respuere, abhorrere, detestari. Adhoc præstandum, adiuua me Domine, tua pietate, vt seruiendo Tibi, cum gaudio & perfectione, in hac vita, possim Te cum Beatis videre & frui æternum in altera. Amen.*

XI. Zelus honoris Dei & Salutis Animarum. *Zelus Domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* *Psal. 68.*

I. Zelosissime Deus *meus, qui gloriam tuam alteri non das, & omnes animas solus creasti; ideóque inter alia tua Nomina, etiam* Dominus Zelotes, & Deus æmulator, *vocari voluisti; doleo, & summè crucior nomine omnium illorum hominum, qui in suis actionibus relinquentes verum & rectum finem, qui solus es Tu, summum & vnicum bonum, magis res temporales, & caducas huius mundi quærunt, & amant, quàm Te: & continuò peccantes, tradunt se in potestatem crudelissimi sui hostis, Diaboli: id quod sine magno mœrore, & pœna, cogitare & loqui non possum. II. Quare, Deus meus, ego vilissimus peccator, nullius pretij apud Te, offero pro gloria Nominis tui, ac pro salute totius mundi, merita omnium Electorum, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt vsque ad finem mundi. Et si ego solus, ob amorem & honorem tuum, sustinere possem omnes pœnas, omnia tormenta, quæ omnes serui tui passi sunt, modo per eiusmodi perpessionem efficere possem, vt nullus vnquam te ampliùs offenderet, toto corde rogarem, ac supplicarem Tibi pro hac gratia. Quin potiùs amore tui, integrè (si ita Tibi placet) abdico me omnibus, si quæ fortè extant apud te, meritis meis, & bonis operibus: (si tamen vnquam aliqua tibi verè grata præstiti) & offero illa Tibi æterno Patri, vnita cum meritis Filij tui, pro conuersione totius mundi; vt sic ab omnibus honoreris in terra, sicut in cælo. Et si possent omnia flagella, quæ alijs debentur, propter sua peccata, meo tergo infligi, vt ipsis parceretur, & meritum huius mei supplicij in bonum*

ipsorum cederet, etiam pro his Te rogarem; & si ita expedit, iam humiliter Te rogo, vt pro hac qualicunque meo obsequio des omnibus gratiam perfectissimè Tibi seruiẽdi, itaque Te amãdi, vt nullus ampliùs Te offendat: sed perpetuò omnes Te laudent, ac benedicant non minùs, quàm faciunt omnes Angeli, & Sancti in Cœlo. III. Præterea, tanti facio honorem & gloriam tuam, vt eligam potiùs manere æternùm in Inferno, & pati omnia tormenta, quàm vt Tu, vel vnico momento priueris tuo honore: cùm Tibi omnes honores debeantur, mihi autem omnes pœnæ, anxietates, & dedecora: & ne defraudaris tuo debito honore, ueniant obsecro super me omnia opprobria, anxietates, & miseriæ. Et si hoc non sufficiet ad Te honorandum, ueniant super me omnia mala animæ & corporis, absque peccato: eaque talia & tanta, qualia & quanta, tu scis posse inueniri, siue in inferno, siue in terreno hoc mundo, siue in purgatorio; &, si qua fieri possunt, ijs adhuc maiora, grauioraque. Sed Tu interim, ò Amor meus, ne obliuiscaris mei, sed des mihi gratiam & fortitudinem ad sustinendum illa sicuti ego libenter, pro amore & honore tuo, paratus sum illa acceptare.

XII. Actus Timoris Dei. *Beati omnes qui timent* Dominum.

Psal. 127. I. *Ego, timende ac tremende Domine, nunc considerans infinitam Maiestatem & magnitudinem tuam, in cuius conspectu tremunt omnes spiritus, cælestes, terrestres, & infernales, totus confusus ob meam monstruosam indignitatem, descendo in abyssum nihili mei; magnoperè timens ne Te offendam, & separer à diuina gratia tua: sicuti alijs multis euenit, eò quòd in conspectu tuo rectè non ambularent. II. Itaque, dum cogito solùm quòd possim Te offendere peccatis venialibus, ac mortalibus, horreo, & totis artubus meis contremisco, maximè quòd agnoscam me omnino debilem & imbecillem, & nihil posse sine gratia tua singulari. III. Agnosco tamen etiam Domine, hunc timorem esse mihi valdè necessarium, & vtilem; & ideo instanter illũ à Te peto; ipsumq; vt in me augere, & animæ meæ imprimere velis, rogo, dicendo cũ Psalmista:* Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

Conclusio Amorosi Pacti cum Deo.

Tandem, dulcissime mi Domine, quia cognosco te esse vnicum meũ bonum, summam meam felicitatem, & beatitudinem, nullo pacto committere debeo, vt separer à Te: sed magis curandũ mihi omni studio, vt Tibi semper arctissimè coniunctus permaneam. Quare desidero, & operam dabo, ne momentum vllum temporis prætereat, quo non confirmem ea, quæ hactenùs annotaui, & constitui. Et vt hoc assequi possim, cupio nunc, qua possum reuerentia & humilitate, cum tua diuina Maiestate inire pactum, & perpetuo fœdere sancire, vt quemadmodùm quoad vixero, nunquam cessabo respirare, ita nunquam cessem in Te credere, Te amare, Te laudare, gratias Tibi agere, me offerre, me Tibi resignare, in Te sperare, gaudere, & abhorrere

a mundo velut à peste; habere Zelum honoris tui, & salutis animarum: Te timere; me humiliare, pœnitentiam agere, sancta proponere, & amare proximum meum: Castitatem, Paupertatem, Obedientiam colere, & petere à Te, quæ supra petiui. Præterea Te cognoscere, adorare, Teque Deum infinitum, immensum, immutabilem, æternum, Omnipotentem, sapientem, bonum, sanctum, benignum, prouidum, misericordem, iustum, & vltimum nostrum finem confiteri. Atque hanc prorsus esse nunc mentem meam, summa cum animi demissione, coram Diuina *Tua Maiestate & tota cælesti Curia protestor, quòd cupiam toto corde, tota illa virtute, puritate intentionis, & efficacia qua maxima possum, omnia ista obseruare, quæ supra notaui & dixi. Idque toties quoties respirauero: & quoties ad aliquem huiusmodi actum Tibi placentem ac gratum mentem conuertero. Accipe, Domine, illum nunc: & pro illo, & pro omni tempore. Atque hoc animi mei desiderium ratum confirmatumque sit, gratiosissimo beneplacito tuo in æternum. Amen.*

428 Demum homo pius Deum indesinenter laudare, & modico labore plurimum mereri cupiens, huiusmodi pactum cum Deo inire potest. Nempe, quòd ad certa quædam signa v.g. sonitum campanæ, aspectum cæli, tunsionem pectoris &c. (nam signa pro placito assumi & multiplicari possunt) velit & gratum habeat quoduis opus bonum & Deo gratum, quod vnquam factum est, seu hodie fit, aut vnquam deinceps futurum est, aut fieri posset. Item, toties se ipsum velle Deo offerre; dolere de peccatis; renouare proposita, vota; Deum adorare, laudare &c. Ac vim & valorem huiusmodi Actus à contrario colligere licet. Si quis statueret secum, quoties audit campanam, cælum respicit &c. toties se velle ratum & gratum habere quicquid vnquam mali actum vel agendum est, optaretque se eius esse participem, quantæ is se culpæ obstringeret? Hoc itaque si in malo tam efficax est, quidni idem bono applicatum immensæ virtutis & meriti erit? Sed en formulam huiusmodi pacti:

Vide Iacobū Merlum in Paradiso animæ Christianæ sect. 4 fol. 227.

O benignissime Pater misericordiarum, Deus, Dominus, ac Creator meus: ex quo per quem, & in quo sunt omnia: in te enim viuimus, mouemur, & sumus; proindeque supremi iure Dominij omnia seruiunt Tibi. Hinc & tuus sum ego; vti nunc me ipsum trado Tibi in seruum perpetuum fœdere sempiterno; vt omnia vitæ meæ momenta, & omnia quæ intra me, & circa me sunt, benedicant Nomini tuo. Sed quia præsentis vitæ necessitates minùs sinunt mentem indesinenter intendere laudibus tuis, hinc tale Pactum tecum, mi Domine, inire cupio. Quoties cælum suspexero, vel pectus percußero, vel piam Imaginem adspexero: Quoties horologium, aut signum

Missæ, vel eleuationis sacratissimæ Hostiæ percepero, Rosarium vel librum in manus accepero. Quoties carnem, mundum, vel dæmonem, me in quacunque materia fidei, spei, caritatis, castitatis, patientiæ, humilitatis, &c. tentantem sensero &c. Nunc pro tunc declaro, toties me facere & exercere velle, omni meliori, quo fieri potest, modo & forma, Actus hosce sequentes: & si forte pro tunc adhoc mente minus aduerterem. Toties, inquam, gaudeo, & gratulor Tibi ex animo, ob infinitas perfectiones tuas, quòd sis Qui es, idest Deus summè potens, sapiens, bonus, misericors, iustus &c. summum creaturæ rationalis bonum. Quòd nullius egeas, vtpotè Tè ipso sat beatus, & sufficiens Tibi: nostra autem omnis sufficientia ex Te sit. Gaudeo etiam, Domine, propter opera bona, quæ, vnquam facta sunt, hodie fiunt, fientque deinceps, propter amorem tui: aliaque omnia, quæ fieri possent ab ijs, quos creasti & creare potuißes: idque ea, qua possibile est perfectione. Gaudeo ob ea, quæ Dominus noster Iesus Christus, Virgo Maria, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confeßores, Virgines, omnesque sancti, & fideles omnes egerunt ad gloriam tuam; nec non ob amorem, quo Te æternùm prosequentur, & laudes quas tibi in perpetuum dicent. Offero Tibi omnia sancta Missæ sacrificia, quæ vel hactenùs in Ecclesia peracta, uel deinceps usque ad consummationem seculi peragenda sunt, idque animo adorandi & laudandi Te, uti Deum supremæ maiestatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis &c. Item, gratias Tibi agendi, nec non placandi Te, & bona gratiæ & gloriæ impetrandi à Te. Doleo de peccatis meis omnibus & singulis ex animo, propter amorem tui. Spero de infinita misericordia tua veniam. Propono cum gratia tua non ampliùs offendere Te. Doleo quoque ob tot peccata, à mundi initio, huc vsque à quocunque homine commißa, ijsque Te tam grauiter offensum. Opto ex animo, vt compensari aliquatenùs meo sanguine poßent. Vtinam vice cuiusque peccati singulis æternitatis momentis mille Tibi obsequia à SS. Angelis & omnibus Beatis deferantur. Dimitto ex animo amore tui, omnibus, qui me offenderunt, vel quomodocunque læserunt: & opto illis, pro singulis offensis, à Te peculiarem aliquam gratiam, seu beneficium. Et vtinam nunquam ipsi tuam offensam incurrant. In manus tuas committo me, & omnia mea; præsertim finem vitæ meæ, vt disponas de me vti re maximè tua, in tempore & æternitate, quod Tibi placuerit & visum fuerit fore ad maiorem gloriam tuam. Postremò offero Tibi, quicquid possum melius, & meliori modo; præcipuè verò Vitam, Passionem, & Sanguinem D.N.I. Christi, in gratiarum actionem pro beneficijs omnibus corporis & animæ, quæ à Te hactenùs accepi, & deinceps accipiam, præsertim pro caritate, qua ab æterno dilexisti me, & pro dono perseuerantiæ obtinendo, vt Tibi inseparabiliter adhæream. Hunc ipsum Actum, quo ad singula membra, aliaque his implicitè inclusa, toties

 ratum

ratum esse volo, quoties aliquid è signis præstitutis, vel præstituendis edidero: imò tot vicibus, quot creaturæ productæ sunt à Te, aut produci possunt: quoties spiritum duxero. Denique, possibile vel imaginabile est, id ipsum iterari, ac multiplicari. Atque hoc purè ob amorem Tui, omnesque bonos ac sanctos fines, qui ab vllo haberi possent. Domine, quod dixi, dictum, factum, gratum, ratumque volo; affectu, effectu, fructuque, quo ad licet, maximo.

Mane autem cunctas suas actiones & omnia Deo commendet ac Christi meritis vniat, hunc in modum.

Laudo Te ex toto corde meo, & gratias ago Tibi, Domine *Deus meus, quòd, cùm nihil essem, creaueris me ad imaginem tuam; ita nimirum, vt æterni & summi Boni, idest, tui ipsius capax essem. Et cùm iam perditus essem, vtpotè filius iræ, & reus æternæ maledictionis; Tu nihilominùs ex vi immensi amoris tui, per tuam sanctissimam Vitam & Passionem, Mortem, & pretiosum Sanguinem tuum, redemisti me.* Denique*, cùm indignus essem omni gratia & beneficio, imò plenus immunditia, & dignus supplicio; tam benignè mihi Spiritum sanctum, vnà cum donis suis, largitus es. Et super hæc omnia, æterna mihi in cælis bona & gaudia præparasti. Vnde, sicut omne bonum de tua solius manu recipio: ita hoc quicquid est, & me ipsum totum ad laudem & gloriam supremæ Maiestatis tuæ vicissim lubens in perpetuum offero. Obsecro quoque per immensam bonitatem tuam, ò benignissime Saluator Iesu Christe; vt hoc die me ab omni peccato custodias, ne perdam gratiam tuam, sed cor meum, & omnem intentionem meam, intellectum, & voluntatem, omnes corporis & animi vires, ad tui solius cultum & honorem conuertam; vt cogitationes, verba, & opera mea Tibi per omnia placeant. Sed quia ob summam imperfectionem meam, non sum sufficiens quicquam agere, imo ne cogitare quidem ex me ipso, quod coram oculis diuinæ Maiestatis tuæ gratum, mihi vtile, aut meritorium esse possit; ex Te autem est omnis sufficientia nostra; hinc Te supplex & humillimè rogo, vt defectui & inopiæ meæ, ex infinita abundantia charitatis tuæ, & inexhausto meritorum tuorum thesauro, succurrere digneris. Et sic demum offero, & commendo Tibi, Domine Iesu Christe, indignissima & ex se vilissima opera mea; vt Tu vnias ea dignissimis & sanctissimis operibus totius vitæ tuæ, in ardentissima & perfectissima caritate factis, qua Tu omnia ad salutem nostram operatus es, in medio terræ, pro beneplacito & gloria æterni Patris tui. Denique quicquid hodie me agere vel pati necesse fuerit, hoc, precor, non tantùm clementer suscipe; sed etiam per tuam sanctissimam Incarnationem, Vitam, Passionem, ac Mortem, meritorium mihi ac salutiferum effice; vt per hoc animæ meæ salus magis magisque iuuetur, & omnis vita mea, tuæ sanctissimæ vitæ ac passionis exemplo*

perfectiùs conformetur: vtque hoc pacto ad iuuandam proximi mei salutem, ad pacem & caritatem cum eo seruandam, magis fiam idoneus: Ante omnia verò, vt diuinæ Maiestatis tuæ voluntatem, obsequium, & amorem toto corde promouere, ac perficere valeam. Amen.

Oratio præparatoria ante Confessionem Sacramentalem.

Conditor cæli & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, & me proprio tuo sanguine redemisti; quem ego peccator non sum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare. Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, ut clementer respicias me seruum tuum nequam. Et miserere mei, qui misertus fuisti mulieris Chananææ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti publicano, & latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor, Pater piissime, peccata mea; quæ si volo abscondere non possum, Tibi Domine: parce mihi Christe, quem ego nuper multum offendi cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpâ, mea culpâ, mea maxima culpa. Ideò, Domine, precor tuam Clementiam, qui de Cælo pro mea salute descendisti: qui Dauid à peccati lapsu erexisti, parce mihi Domine; parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, & Redemptor meus; Dominus meus, & Saluator meus; Rex meus, & Deus meus. Tu es spes mea, & fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; consolatio mea, & fortitudo mea; defensio mea, & liberatio mea; vita mea, salus mea, & resurrectio mea; lumen meum, & desiderium meum; adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo, adiuua me, & saluus ero; guberna me, & defende me; conforta me, & consolare me; confirma me & lætifica me; illumina me & visita me. Suscita me mortuum quia factura & opus tuum sum. Domine, ne despicias me, quia famulus & seruus tuus sum, quanuis malus, quanuis indignus & peccator; sed qualiscunque sim, siue bonus, siue malus, semper tuus sum. Ad quem ergo fugiam nisi ad Te vadam? Si Tu me eijcis, quis me recipiet? Si Tu me despicis, quis me aspiciet? Recognosce me ergo indignum ad Te refugientem, quanuis sim vilis & immundus: quia si vilis & immundus sum, potes me mundare: si cæcus sum, potes me illuminare: si infirmus sum, potes me sanare: si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare: quia maior est misericordia tua, quàm iniquitas mea: maior est pietas tua quàm impietas mea: plus potes dimittere quàm ego committere: & plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo despicias, Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum: sed secundùm multitudinem miserationum tuarum miserere mei, & propitius esto mihi maximo peccatori. Dic animæ meæ, salus tua ego sum; qui dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Conuerte me Do-

mine ad Te, & noli irasci contra me. Deprecor Te clementissime Pater, propter misericordiam tuam supplico & exoro, vt perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confessionem, & dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

Formula excitandi pios affectus gratitudinis, contritionis &c. tum ante tum post Confessionem.

O Iesu Deus cordis mei, infinitè misericors & longanimis, infinitè suauis, & amabilis, quomodò cum Patre & S. Spiritu multiplicas super me, inter cæteros Electos tuos, inæstimabiles diuitias misericordiæ, longanimitatis, bonitatis, & caritatis tuæ; hucusque toties me tam ingratum cum Petro respiciendo, toties me indignum cum Magdalena longè à te aberrantem in viam salutis reuocando; toties tam immundum in sanguine tuo dealbando; toties tam Prodigum filium, in osculum pacis recipiendo; toties tam infidelem sponsam in intimam familiaritatem inuitando. Verè miserator & misericors es Domine, patiens, & multùm misericors. Verè suauis es vniuersis, & miserationes tuæ super omnia opera tua. Confiteantur Tibi omnia opera tua; maximè opera misericordiæ & pietatis; & sancti tui miserationes tuas experti benedicant Tibi, misericordias tuas æternum cantantes. Agnosco, veneror, amplectorque viscera misericordiæ tuæ tantæ erga me, Electosque omnes, comprehensores & viatores, atque illorum, omniumque possibilium creaturarum possibili affectu gratias ago, agamque æternùm pro ineffabili illo æternæ dilectionis excessu, quo me inter illos à tot peccatis, in quæ incidissem, clementer præseruasti; in tot quotidie toties labentem tam longanimiter tolerasti; tam misericorditer ad pœnitentiam lapsum exstimulasti; tam benignè pœnitentem in gratiam recepisti; insuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem resipiscendi, copiosam gratiam sanctiùs deinceps viuendi, & firmam spem perseuerandi, gloriamque consequendi, communicare hucusque dignatus es. Pro his aliјsque innumeris bonitatis tuæ beneficiјs, vtinam tota vita laudaßem Te, & gratias egissem! Vtinam Te infinito amore & honore dignissimum semper amassem & glorificaßem! Vtinam nunquam offendissem, nec offenderem posthac in æternum! Sed eheu quàm parum agnoui, amaui, glorificaui Te, ò Bonitas infinita; quid retribui Tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, præter innumeras offensiones, ingratitudines, negligentias? Doleo de his & de omnibus, & singulis totius *vitæ peccatis, ex animo, non propter supplicij metum, aut gloriæ detrimentum; sed purè propter Te* Deum *meum infinitè amabilem, quia Tibi quem diligo, diligamque æternùm, super omnia, displicent. Ardenter desidero, firmiterque propono emendare omnia peccata mea, maximè hæc* N. *cum gratia tua per hæc media, & nouo feruore me totum tuo impendere seruitio &c. Per eandem benignitatem & caritatem tuam infinitam, qua cum Pa-*

tre & Spiritu sancto, ò Bone Iesu, me ingratum peccatorem, & pœnitentes omnes toties oculis misericordiæ tuæ tam benignè respexisti, longanimiter tolerasti, in sanguine tuo dealbasti, & nunc respicere, tolerare, & dealbare non desinis, memento & miserere totius Ecclesiæ tuæ sanctæ, eiusque capitum & membrorum &c. O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei & Virgo, S. Angele Custos, SS. Patroni mei N. omnesque Electi benedicite, laudate, & superaxaltate Dominum mecum, & pro me, pro hoc alijsque beneficijs mihi, & vobis, omnibusque collatis & conferendis in æternum: gratiamque impetrate illum nunc perfectè glorificandi in via, olim beatè vobiscum in Patria; æternùm illi cum Cherubim & Seraphim accinentes: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus *Deus sabaoth. Benedictio & claritas &c.*

Alia formula excitandi affectus post Confessionem.

Ex eodem ibidem.

O Iesu, infinitè amabilis, vnde mihi tam vili terræ vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato seruo, tam Prodigo filio, tam infideli sponsæ tanta miseratio tantæ benignitatis! tanta dignatio tantæ Maiestatis! tanta dilectio tantæ caritatis! vt me totiès à te longè aberrantem oculis misericordiæ tuæ respicere, erroneum reducere, cæcum illuminare, lapsum erigere, & ad pacis osculum inuitare digneris? Sanctus, *sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Agnoscaris, ameris, & glorificeris infinitè, infinities ab omnibus, in omnibus, super omnia, gratis propter te, in æternum & vltra. Quomodò multiplicas super me hue vsque misericordiam, caritatem, & bonitatem tuam! Agnosco, veneror, amplector: omniumque creaturarum possibilium possibili affectu gratias ago, agamque in æternum. Quam parum & imperfectè te infinito honore, amore, obsequio, dignissimum redamaui, glorificaui, insuper quoties sic N. offendi? Agnosco, detestor ingratitudinem meam tantam erga Te, atque ex animo doleo propter te. Ignosce, supple per Te. Ex momento hoc Te, tuumque sanctissimum Beneplacitum brachijs dilectionis, & omni possibili pietatis affectu (licet me velles annihilare, aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet) arctissimè constringo, constringamque in æternum. Da vt sciam, velim, possim, id perfectè præstare, sicut scis & vis; & omnes meum per lacrymas, sudorem, & sanguinem tuum. Iesu Deus cordis mei, da gratiam omnia peccata, maximè hoc N. emendandi; in hac N. virtute proficiendi, hoc N. opus reformandi, in sancta vocatione perseuerandi. Fac, vt in Te viuam, in Te moriar, in Te perennem: sim obsecro totus tuus, & Tu meus, ò Iesu, in æternum per merita tua, B. Virginis, & omnium SS.*

Hìc pœnitentiam iniunctam persolue.

Similem gratiam, indulgentiam, misericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es, & pro quibus maximè orare teneor, & soleo, præsta ò bone Iesu,

per infinitam charitatem tuam, per lacrymas, sudorem, & sanguinem tuum, per merita B.Virginis Matris tuæ, & omnium Sanctorum. Defunctis requiem concedendo, vt à peccatis expiati, & in refrigerium educti, pro me ingrato peccatore, Te perfectissimè ament, laudent, & glorificent: Iustos in gratia constitutos conseruando, promouendo, adiuuando, vt in sanctitate & iustitia Tibi seruientes omnibus diebus vitæ suæ, eant de virtute in virtutem, donec beatè videaris ab eis in cælesti Sion. Peccatores omnes oculis misericordiæ tuæ benignè respiciendo, ad agnitionem, timorem, & amorem tui misericorditer conuertendo, vt & ipsi dealbati in sanguine tuo, misericordias tuas nunc in terris, olim in Cælis, cum Beatis omnibus decantent in æternum.

Orationem ante Missæ sacrificium habes *fol. 49.*

LIBER XII.

De Exercitiorum Spiritualium Fructu.

IN singulis autem Meditationibus, fructum semper exercitiorum initio propositum quærant; qui præsertim, in emendatione morum, in minimorum æstimatione, & in vitæ sanctioris ordinatione consistit, & speciatim in medijs prudenter excogitandis, quibus proposita omninò ad praxin reduci queant.

DISQVISITIO PRIMA.

In quo consistat fructus, siue scopus Exercitiorum, in Recessu quærendus.

429 FRVCTVM EXERCIT. INITIO PROP. Planè, vt cum viro erudito è Clericis Minoribus loquar, *Intendimus his exercitijs maiorem* Dei *gloriam, & animarum salutem, ac profectum promouere; atque Christianum virum, à mandatorum obseruatione deuium, in Dei timore stabilire; vel hominem religiosum ad exteriora deditum, tepidum, proprij instituti ac profectus negligentem, ad sui proprijque status cognitionem reuocare; vel denique virum feruentem & pium reddere feruentiorem.* Itaquè, quicquid aliquis exercitiorum spiritualium in recessu agit, totum id ea mente moliri debet, vt sibi de- *Dom. Flum. in Direct. instr. nu. 1 fol. 49.*

mum, auulsis radicitùs vitijs, atque insitis animo virtutibus, sanctiorem viuendi modum præscribat: vt qualis in morte vult inueniri, talis viuere instituatur. Ipso ergo secessus & recollectionis initio, & quotidiè cùm Meditationem obit, ac postremò cùm vitæ ratio stabilienda videtur, vt S. Pauli primi Eremitæ religiosi constituunt, *Finem proponat, in illo sancto exercitio, non sola solatia spiritus, sed profectum animi, vt peccata non tantùm mortalia, sed etiam venialia super omnia mala, quatenùs* Dei *sunt offensa, maximè detestetur, vitia extirpet, maximè sibi familiariora, passiones, amorem proprium, propriam voluntatem, ac Iudicium prorsus deserat, robur contra tentationes acquirat, virtutes solidas comparet,* Deo *se vniat, & ex amore Dei exerceat opera heroica virtutum erga Deum, proximum, ac se ipsum; denique vt se totaliter Deo resignet ad facienda illa, quæ* Deo *placere perspexerit, & tollenda aduersa ob honorem Dei, sine vlla determinatione, aut limitatione propriæ voluntatis.*

Rel. S. P. const. p. 1. cap. 11. nu. 7. fol. 20.

430 Vt autem hanc praxin clariùs exponamus, Fructus exercitiorum omnium, vti & quotidianarum Meditationum præcipuus, ex Nicolao Lancicio, in rebus consistit, partim agendis, partim vitandis, iuxta illud Psalmi; *Declina à malo, & fac bonum.* Et hæc quidem sunt

Lanc. cap. 13 num. 163.

FACIENDA.

I. Nunquam deinceps deliberatè peccare.

II. Raro peccare etiam indeliberatè.

III. Nunquam peccare in rebus ad diuinum cultum immediatum spectantibus.

IV. Nunquam incidere in peccata parua periculosa, per quæ facilis est progressio ad grauiores lapsus. Talia sunt, negligentia in cogitationibus impuris repellendis, aspectus feminarum, imaginum turpium.

V. Nullam Regulam, si Religiosus es, transgredi.

VI. De rebus spiritualibus, vel saltem Religioso ore dignis, semper colloqui.

VII. Fugere conuersationem cum ijs, qui sunt causa viuendi laxiùs. Hæc tamen fuga debet esse prudens & non furiosa, nec manifestum contemptum alterius præseferens; sed dextrè declinandi sunt tales, adhibito etiam Superioris auxilio, si aliter non poteris te à talibus te prensantibus extricare.

V*III.* Opera ordinaria quotidiana facere diligenter.

IX. A clamoribus, & cachinnis, & iocis irreligiosis, perpetuò cauere.

X. Conuersari cum magis spiritualibus.

XI. De nulla re conqueri.

XII. Nullius mores censurare, sed benè interpretari omnia.

XIII. Omnia quæ Superior iniungit, sine vlla excusatione exequi.

XIV. Nullum officium vel gradum eligere aut optare, sed pro vt sancta obedientia disponet.

XV. Non quærere speciosa, & promotiones ad altiora.

XVI. Post Communionem diu, saltem per mediam horam, cum Christo Domino colloqui, & postea spirituali lectioni saltem per horam vacare.

XVII. Extra lectionem, vel studium, intercedentia interualla temporis expendere in cogitatione de Deo, & pijs affectibus.

XVIII. Opera singula Deo offerre, & procurare, vt omnia quæ facis, sint meritoria, idque non ob tuum commodum spirituale, sed ob Dei gustum & gloriam.

XIX. Amare, & optare, & pati omnes aduersitates patienter, libenter, hilariter.

XX. Dare operam, vt opera tua correspondeant cognitioni, quam tibi Deus dabit de modo illa peragendi.

XXI. Sæpe renouare memoriam rerum æternarum, vt ad illas omnia tua dirigas, non ad humanos applausus vel gratiam hominũ.

XXII. Ita saltem curare progressum in virtutibus, sicut curas alia tuo corpori necessaria.

XXIII. Semper niti ad perfectiora, & Deo magis grata, & amori proprio magis insipida.

XXIV. Ob humanos respectus nil mali facere, nil boni omittere.

XXV. Sæpe se reflectere in operibus, vt singula sic facias, quomodo ea faceret aliquis Sanctus, cui præsertim afficeris; vel quomodo faceres ipse, si statim fores post eadem obiturus.

V I T A N D A.

I. Quærere occupationes honorificas.

II. Quærere mansionem in locis commodis, vrbibus, & cubiculis talibus.

III. Velle sua munia obire in locis honorificis, & frequentibus.

IV. Detrectare occupationes minùs honorificas, & loca incelebria, & minùs commoda.

V. Gradus altos expetere; & affligi, si eos non assequeris.

VI. Prensare eorum domesticorum gratiam, à quibus promoueri possis ad honorifica, & defendi.

VII. Conuersari cum talibus, eundem ob finem, occultè intentum, vel saltem apprehensum.

VIII. Fugere conuersationem cum personis minùs speciosis & vilibus, & deuotis, ac spiritualiter viuentibus.

IX. Conuersari libenter cum personis minùs spiritualibus, sed iuxta mundanum iudicium celebribus & honoratis, & potentibus, idque ob humanum aliquem finem.

X. Visitare frequenter eos, à quibus promoueri possis, & quidem hoc fine, vt promouearis.

XI. In non necessarijs confabulationibus, tempus extrahere, primùm cum ijs, quorum fauor prodesse potest, ad aliqua iudicio mundi speciosa.

XII. Quærere patronos ad impetrandum optata non necessaria.

XIII. Conqueri de Superiorum ordinationibus, circa se, & circa suos amicos, non ad suum gustum factis.

XIV. Commodiora omnia in victu, vestitu, habitatione quærere, & labores subterfugere.

XV. Frequenter è domo exire sine necessitate, tantùm ad vitandum tædium, & laborem occupationum bonarum.

XVI. In recreationibus nil spirituale proferre; sed iocis, & clamoribus, & cachinnis, etiam per ethnicos philosophos damnatis, eas inquinare.

XVII. Recreationes quærere nimias, idque non ob veram necessitatem, sed ob sensualitatem, & inclinationem ac ocium, & ad fugam laborum.

XVIII. Somno plusquàm sit opus indulgere.

XIX. Tempus malè expendere.

XX. Carpere, vel irridere alios.

XXI. Aliena dicta, vel facta, vel intentiones censurare, & sinistrè interpretari, mente & voce illis detrahere.

XXII. Contendere cum alijs.

XXIII. Exprobrare alteri aliquid contra se dictum alibi vel factum. Et his similia.

Lib. 12. Disq. 105.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quàm statuere debeat solitarius, diligenti se opera curaturum, vt tam in vitijs repellendis, quàm præstandis virtutum actibus, ipse omninò minima non despiciat.

431 IN MINIMORVM ÆSTIMATIONE. Spiritualium Exercitiorum insignior fructus est, vt qui secessit ita accuratè viuat in posterum, vt à peccatis venialibus & minutis (vt ita dicam) defectibus sibi caueat, B. Laurentij Iustiniani præclarum illud apophtegma sæpe perpendens: *Serui Dei non esse à magnis peccatis cauere (id enim esse secularis hominis) sed parua vitare, ne charitas refrigesceret.* Quod suis ipse Canonicis Regularibus inculcabat. Veréque S. Anselmus Cistrensis Monasterij Monachos edocebat, *certissimum esse, quod in multis Ecclesijs experimento didicimus, quia in Monasterio, vbi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inuiolabilis manet: ibi pax inter fratres; & in capitulo proclamationes conquiescunt. Vbi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur.* Conuenit itaque nos ipsum rerum omnium Authorem Deum imitari; qui maximus ac sapientissimus artifex, adeò minimis delectatur, vt ex Tertulliano, *animalia minutiora, de industria ingenijs, & viribus, ampliauerit.* Quin & Plinius; *Rerum Natura*, inquit, *nusquam magis, quàm in minimis tota est*: nec ob id à maximis abest. *Nihil in studijs paruum*, docet Quintilianus. *Nihil tutò in hoste despici. Nihil paruum esse ducendum, in quo gloriæ magnæ laus est*, Magnus Alexander aiebat. Ideóque sapiens clamat: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Et S. Basilius in 18. capite Regulæ inscripto, *de Minimis non contemnendis, sed corrigendis*, quærit num superior exigens à subditis pœnas singulorum delictorum paruorũ, carere misericordia censeatur; respondetque magna id fieri charitate, illius imitatione, qui venenum infusum latenter morsu serpentis educit è corpore, & inter alia hæc habet: *Cùm affirmauerit Dominus, quia iota vnum, aut vnus apex non transiet à lege, donec omnia fiant: & rursum definierit, quia de omni sermone otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij; nihil oportet contemni tanquam paruum. Qui autem spernit modica, paulatim defluit.* Idenque habet Autor libri de salutaribus documentis in tomo 4. S. Augustini, nos ad extinguendas prauas cogitationes adhortans, antequam adolescant: *Ne quæso permittamus in nobis cogitationes prauas, ne-*

Bern. Iustin. in vita B. Lau. cap. 9.

S. Ansel. ep. 6. ad Mon. Cist.

Tertull. lib. 1. aduers. Marc. c. 14.

Plin. lib. 11. cap. 2.

Quint. l. 10. cap. 3.

Q. Curt. l. 6. & 9.

Eccli. 19. 2.

Matth. 5. 18

Matth. 17. 36.

S. Aug. l. de salut. doctor. cap. 34.

que tanquam minima negligamus; quia qui minima spernit, paulatim defluit. Similiter Chrysostomus, in homilia de leuium peccatorum periculis, narrata Vxoris Loth historia, quæ quòd ad Sodomæ incendium oculos retorsit, in salis statuam est conuersa; *Neque*, inquit, *leue dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cùm scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit.* Et alibi hac similitudine est vsus: *Quando*, inquit, *parum deliquerimus aut etiam pigri ac socordes fuerimus, ne illud parum negligamus: citò enim neglectum fit magnum. Ita etiam vestimentum ab initio ruptum & neglectum, per totum producit scissuram: & tectum, si cùm paucæ tegulæ deciderint, fuerit neglectum, totam domum deijcit. Nos ergo hæc considerantes, parua nunquam despiciamus, ne in magna incidamus.* Sed inter Latinos antiquissimus omnium Cyprianus, seu potiùs Origenes, suadens non esse fœminam Clericis admittendam ad cohabitandum, hæc ait: *Omnes ergo rimæ, ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per vnum foramen castra omnia penetrentur: & vniuersa sunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum tota Ciuitas ruat; sicut Salomon repetit dicens: Qui spernit modica paulatim cadet.* S. Hieronymus, siue Paulinus Celantiam Matronam instituens; *Neque verò*, inquit, *eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimùm Dei mandata faciant; quæue quasi vilia & parua despiciant: nec metuunt, ne secundùm diuinam sententiam, minima contemnendo, paulatim decidant.* S. Augustinus idem commendans, dictum Saluatoris expendit de modico fermento totam massam corrumpente; tum ait: *Quid autem proferri manifestius de veteri testamento, contra istam dormitationem animi potest, per quam fit vt non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quàm illud quod à Propheta dictum est: Qui spernit modica paulatim decidet?* S. Gregorius Papa in morali expositione Iob propositionem hanc probat: *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.* Et in 3. parte curæ pastoralis hanc ait: *Qui peccata minima flere ac deuitare negligit, à statu iustitiæ, non quidem repentè, sed partibus totus cadit.* S. Anselmus hanc similitudinem affert: *Sicut pisces decurrente aqua viuarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur: ita omnis Religio monastici Ordinis funditùs perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum, paulatim à feruore suo tepescit; attestante scriptura, quæ dicit: Qui modica spernit, paulatim decidet.* Et B. Petrus Damiani alia similitudine vsus in eos Religiosos inuehitur, qui pecuniam veluti rem modicam apud se retinebant. *Si tenuissima*, inquit, *veneni stilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, esculentius licet, edulium prorsus abo-*

S. Chrys. ser. de pet. leu. pecc. & ho. 8. in 1. Cor.

S. Cypr. l. de singul. Cleric.

S. Hier. ep. 14. ad Cel.

S. Aug. l. de mor. Eccles. Cath. c. 24.

S. Greg. l. 20. moral 9. al. 14. & par. 2 curæ post. c. 34.

S. Ansel. l. similit. c. 122.

B. Petr. Da. apolog. c. 7.

minabile iudicatur? Si ergo perexigua mala largissima sæpiùs bona corrumpunt, quo pacto te de lenocinante conscientia iactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum priuata proprietate possideas. Nam iuxta Apostolum, modicum fermentum totam massam corrumpit; & alibi: Qui modica spernit, paulatim decidit. Deindè aliam similitudinem afferens, ait: *Si exiguus mus, vel quodcunque reptantium in quamlibet capacissimam tunnam casu decidat, nunquid non protinùs cum securibus hinc inde concurritur: totum quicquid illud erat effunditur; cunctisque excreantibus, vomitum minante stomacho nauseatur &c.* B.Pet. apol. cap. 7.

432 Et primum quidem axioma hac in re ex S.Dorotheo habemus sermone 1. *A paruis quidem ac minimis inchoandum est, vt iam summa cum requie, maiora & maxima præcidamus.* Et ex S.Gregorio in Ezech. *Nemo repentè fit summus: sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat.* Quod monitum in vitis Patrum senex ille solitarius seruabat, qui interrogatus, cur quædam puerorum opilionum contumeliosa verba, sæpiùs in se iactata non castigaret, respondit: *Si parum hoc non porto, quomodò si maior mihi tentatio aduenerit, portabo? Et ideò illis nihil dico, vt fiat mihi consuetudo portandi.* B. Petrus Damiani & si cupit interdum à Nouitio tentari maiora & difficiliora, vt minora, difficiliorum collatione, illi faciliora reddantur, receptam tamen doctrinam approbans, ait: *Neque hoc dicimus, vt non à minimis quis incipere debeat; sed hoc potiùs, vt dũ difficiliora tentantur, collationè quadam, hæc eadem minima leuigentur.* Et hanc industriam agnoscit adhibitam ab Apostolis in Concilio primo, in quo quarundam leuiorum rerum abstinentiam præscripserunt, vtpotè suffocati & immolati, vt ad maiora præcepta præpararentur. *Imponentes*, inquit, *minima non prohibuere maiora, vt qui nouæ doctrinæ duritia poterant deterreri, quandoque ad fortia conualescerent, præceptis minoribus inuitati: & à paruis ac leuibus, velut pueri adhuc lactentes inciperent, vt grauiora legis diuinæ mandata in perfecta postmodùm ætate valenter implerent.* Sic S. Dorotheus Dositheum tyronem instituit, vt, qui recens è seculo egressus sine vlla mensura capacissimum stomachum vsque ad satietatem explebat, sex comedens panis libras vnico pastu, primùm quartam partem panis, quæ libram pendebat, detraheret; qui modicum initio se famescere sentiebat. Post aliquot dies cùm Dositheus quinque libris assueuisset, ne esuriret ampliùs, selibram de dimenso illi demit: nec multo post aliquot vncias item relinquere iubet ex consueto. *Qui Dositheus cùm similiter fecisset, Deo adiũuante, sensim ac minutatim, ex sex illis panis libris, quas primò comederat, ad octo demum vncias deuenit.* Similiter

S. Greg. ho. 15. in Ezech.

Vit. PP. l. 3. §. 91.

B. Petr. Da. ep. 13. de perf. mon. c. 22.

Act. 15. 20. 29.

Vita B. Dosith. apud Doroth.

Simpl. c.17. in Ep.c.6. ter ex Simplicio habes hoc documentum. *Qui enim quater*, inquit, *in die cibum capit, si statim tota die ieiunare aggrediatur; & corpus subita illa mutatione perturbat, & ipse laboriosè ac molestè iniucundéque degit. Quocirca periculosa & infirma fit eiusmodi promotio. Quòd si, dum priùs quater, tum ter cibum capere incipiat, atque ita assuescat, facile, vt bis capiat, fuerit; & multo facilius, vt semel comedat, accommodabitur, tutiúsque ac firmiùs*. Idemque de temperantia in potu, docet S. Vincentius: *De potu*, inquit, *nescio tibi regulam ponere, nisi quòd paulatim te restringas de die in diem minùs bibendo: ita tamen quod non sitias nimis die ac nocte*. Eadenque industria D.Carolus Thomasius noster, qui nuper cum magna apud omnes sanctitatis opinione in Vrbe decessit, adeò paulatim in potu se temperauit, vt solo cibo contentus, nihil omninò vnquam aut biberet aut sitiret. Et per gradus se restringere in potu, à S.Carolo Cardinali didicerit, cui vt vultu ita moribus simillimus erat. De illo enim Carolus vitæ scriptor hæc habet: *Ad aquæ vsum annorũ cursu ita peruenit, vt uinum paulatim minuendo, aquam uerò addendo, stomachus demum aqua sola contentus eßet. Ita in ieiunio, quod multis annis, dierum numerum per hebdomadas paulatim augendo, fecit quotidianum: illudque prandij solius, nihil uesperi prorsus admittens. Ita in omni ferè obsonij genere reijciendo, ut primò carnem, mox oua, cæteraque sensim dimittens, ad panem solum cum aqua cibus redigeretur: simili usus in Quadragesima ratione, gradatim in angustius se se ficuum aridarum & lupinorum deducere curauit*. Eandenque rationem S.Bernardus in ascensu ad vitam vnitiuam suadet. *Nolo*, inquit, *repentè fieri summus; paulatim proficere uolo*. Docetque hos gradus in tribus osculis, quorum primum infigitur Christi pedibus cum Maria Magdalena, quæ ad Domini pedes lacrymis lota sordes peccatorum dimisit: secundum manibus Saluatoris, per illuminationem & bene viuendi gratiam: & tertium accipitur ab ore Sponsi, cui Sponsa per charitatem vnitur; quod cùm postularet, aiebat: *Osculetur me osculo oris sui*.

S.Vinc.tr.de vita spir.c.7

Car.Episc.in vita S.Caroli l.7.c.1.

Cant.1.1.

433 Alterum axioma est, vt nihil paruum aut leue, sed minima pro maximis æstimemus. S.Basilius in Reg. *Nihil*, inquit, *oportet contemni tanquam paruum*. Quod in sermone de rerum abdicatione sic explicat: *Nullum omninò sit erratum, quod paruipendas: esto quauis illud tenuissima bestiola minutius sit: potiúsque eo magis sedulò contende, ut per pænitentiam illud emendes*. S.Gregorius Nazianzenus id ipsum docet hoc carmine: *Nec uerò in uitijs quicquam paruíque leuisque ponderis esse putes*. Quod multis similitudinibus illustrauit. Et S.Chrysostomus cùm malorum initijs resistendum esse ostendisset; & ne suc-

S. Basil. in reg. Ruff. c. 18.& resp.4 in breuiorib.

S. Greg. N. carm. 3. ad Virg. nu.18.

S.Chrys. ho. 87.in Matth.

crescant, radicem criminum euellendam; pollicitus se mirabile quicquam & inauditum esse dicturum, ait: *Solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna uideri peccata esse euitanda, quantò parua & uilia.* Et rationem adiungit: *Illa ut auersemur, ipsa peccati natura efficit; hæc autem, hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia nostra.* B.Diadochus: *Anima si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiosè restinxerit, etiam ualde parua errata pro grauissimis ducens, lacrymas multas, cum multa gratiarum actione continenter Deo offert.* S. Dorotheus: *Idcirco fratres uidete ne parua ac minima contemnamus: uidete ne ita ea spernamus, ut uilia ac nullius pretij: non enim sunt parua.* Ex Latinis S. Hieronymus de B. Paula Romana in eius epitaphio hæc ait: *Quod inter seculi homines uel leue putatur uel nihil, hoc in Monasterijs grauissimum dicebat esse delictum.* Tum in epistola ad Celantiam docet esse vtile ad cautionem, *etiam minima pro maximis cauere.* S.Isidorus Hispalensis, *Si à torpore mentis*, inquit, *euigilauerit, ea quæ leuia existimabat, confestim quasi horrenda atque atrocia pertimescet.* S. Cæsarius Monachos Lerinenses ad perfectionem exstimulans, *Scelus est*, ait, *quòd interdum nobis leuia ac uilia facit peccata nostra, ipsa consuetudo peccandi: cùm certum sit nos sicut de bonis minimis augeri, ita de minimis negligentijs debere compungi. Non est enim minimum, uitia in uita hominum negligere minima.* Laudatque S.Odo Cluniacensis S.Geraldum Comitem, *quòd potiùs peccata, sine quibus humana conditio esse nequit, quæ nobis leuiora, illi uerò uidebantur grauia, ità semper præ oculis studebat agnoscere, ut remissionem impietatis cordis non ambigeret à Deo clementer percipere.* Neque dicas, minima peccata cum magnis numerare, esse Stoicorum errorem. Nam S.Hieronymus hanc calumniam & suspicionem abstersit. *Stoicorum quidem*, inquit, *est peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec ullum inter scelus & erratum discrimen facere. Nos uerò etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim faciliùs abstinemus à quocunque delicto, quanto illud magis metuimus: nec citò ad maiora progreditur, qui parua formidat.*

B.Diad. l. de perf. spir. c. 27.

S. Doroth. ser. 3.

S. Hier. ep. 27. ad Eustoch.

S. Isid. l. 2. sent. c. 10.

S. Cæsar. ho. 8. ad Mon.

S. Odo l. 2. vita S. Ger. c. 16.

S.Hier. ep. 14. ad Celãt.

434 Tertium axioma, vt traditur à Nigronio, est quòd à minimis neglectis periculum est in maxima prolabendi; quod S.Isidorus Hispalensis in viuendi norma sic habet: *Minora deuita, & ad maiora non deuenies.* Ideóque S.Ignatius, vt est apud Orlandinum, intelligens laxatam in quodam Collegio disciplinam, iussit Rectorem ad custodiam legum minutissimarum aduigilare. *Sentiebat enim, in his*

S.Isid. cap. 6.

Orl. l. 12. hist. S. 24.

violandis plus plerunque latere periculi, quàm in maximis: vt supra docuimus ex S. Chrysostomo. Et B. Egidius rationem reddens, cur se ab hominum conuersatione subduceret, dicere consueuerat: *Parua negligentia & exigua culpa, posse magnam amitti gratiam, quæ postea recuperari vix queat*. Sed ex Græcis Patribus hoc clariùs explicabimus. S. Pachomius, cùm accepisset, relatione Theodori, non fuisse in pistrino seruatum silentium, vti præscriptum erat, zeli plenus idem præceptum inculcans ait: *Existimant fratres humanas esse traditiones, non ignorantes, quòd vel pro minimis non parum imminet periculum negligentibus*. Similiter S. Ammon Abbas multorum Monachorum in Nitria Magister hæc habet: *Omnem turpem concupiscentiam, ac voluptatem carnalem etiam minimam detestare: caueasque aspectum hominis, nisi necesse sit: vt verè te ipsum obseruans, & in minimis te muniens, in grauiores molestias non incidas, neque prorsus tentationibus vincaris*. S. Gregorius Nazianzenus:

Sur. in vita B. Eg. §. Triduo, 23. Apr.

Metaphrast. in vita S. Pach. c. 79.

S. Am. Abbas c. paren. n. 3.

S. Greg. N. car. 3. ad Virg. nu. 18.

——— *Qui paruis obuius ibit,*
Is nunquam præceps scelera in grauiora feretur.

S. Chrys. in Gal. 1. vers. volunt. subuertere.

S. Chrysostomus: *Hoc ipsum est omnium malorum causa, quòd ob pusilla non indignamur. Ob id enim maiora scelera subierunt, quòd minoribus debita correctio non adhibetur*: Inscripsitque homiliam, *De leuium peccatorum periculis, vt maiorum peccatorum pernicies possit agnosci*. S. Dorotheus: *Vt enim pernoscatis, quòd ex minimis his, & natura vilibus, ad magna & prægrandia contemnenda perfacilè delabamur: cùm cœperit quispiam dicere, Quid refert, si verbum hoc dixero? quid refert, si modicum hoc comedero? quid refert, si in rem hanc intendero, & incubuero? Ex hoc enim, Quid est hoc, & quod est illud; quid refert hoc, quid refert illud, mala ac peruersa & amara consuetudo admittitur, & imbibitur: & datur initium, vt magna & grauiora contemnamus*. Similiter suos ab intempestiua comestione Esaias Abbas absterret: *Nequicquam*, inquit, *licet pauxillum sit, comede præter tempus; ne paulatim ex minimis ad deteriora prolabare*. Marcus Eremita: *Ne dimittas peccatum indeletum, tametsi existat valde modicum; ne te postea ad maius malum & vitium pertrahat*. Et S. Ioannes Damascenus: *Ob id maiora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent: quoniam ijs, quæ minora esse videntur, consentanea correctio minimè adhibetur*.

S. Doroth. ser. 3.

B. Esa. or. 27 13.

M. Er. c. de lege spir. n. 127.

435 Quartum est, quòd mala magna ferè omnia ex minimis principijs paulatim proueniunt. Et quidem S. Ephræm cohortans Monachos ad diligentiam etiam in minimis adhibendam; *Res*, inquit, *nullius momenti sæpe magnorum malorum causa efficitur: & ex parua negligentia, ingentia, atque incurabilia fiunt vulnera*. Et exem-

S. Ephr. t. 2. in doctr. de perf. Mon.

plum culicis minimæ volucris affert, saporem in vino corrumpentis: quemadmodùm tradit Ecclesiastes muscas morientes perdere suauitatem vnguenti. Exigui item vulneris similitudinem addit, quod neglectum, & non opportunè diligentérque curatum, magnum, vel lethale, vel insanabile euadit. Quam similitudinem ita S.Gregorius Nazianzenus adduxit. Eccl. 10. 1. S.Greg. Na. car. 3. ad Vir. nu. 18.

Quin & paruo liuescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt, cruciántque dolores.

Et Damascenus: *Vt in corporibus, qui parua vulnera negligunt, saniem plerunque ac mortem sibi ipsis accersunt: ad eundem modum etiam in animis, hoc vsu venit, vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, grauiora sibi inuehant.* Et S.Chrysostomus duobus in locis: *Quemadmodum in corporibus, qui vulnera neglexerant, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique: itidem & in animis, qui pusilla dissimulant, maiora inuitant.* Quamobrem in explanatione Epistolæ ad Romanos hæc ait: *Exhortor initio vt caueamus, vel pusilla fugientes mala. Nam magna ab his nascuntur. Etenim qui in vnoquoque peccato edoctus est dicere, non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia pessumdabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit: hoc ianuas reserauit prædoni: hoc Vrbis mœnia deiecit: nimirum quoties ad vnumquodque peccatum dicis, Non hoc magnoperè ad rem pertinet.* Et subijciens exemplum ægroti corporis, ait: *Sic & in ipsis corporibus vsuuenire videmus, vt magnæ ægritudines augeantur, quoties paruas negligimus.* Quod & tradit *hom.87. in Matth.* 27. (Et simile habes ex Seneca *ep.* 85.) vbi de Iuda disserens proditore, quem pecuniarum amor, in minimis numeratus, & non cohibitus, ad proditionem pertraxit: *Hac via,* inquit, *omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insiliјt. Habet quippè insitum quendam anima pudorem atque innatum, quem subito calcare atque proijcere non potest, sed sensim ac paulatim ex negligentia perit.* Quod & S.Gregorius Papa explicat Hypocritæ exemplo: *Nunquam quippè illic anima quò ciciderit iacet: quia voluntariè semel lapsa ad peiora pondere suæ iniquitatis impellitur; vt in profundum corruens, semper adhuc profundiùs obruatur.* S. Bernardus de gradibus humilitatis & superbiæ disputans ait: *Sicut nemo repentè fit summus, sed gradatim quisque ascendit; sic nemo repentè fit pessimus, sed paulatim descendit.* Et hoc demum Ricardus statua illa mysterijs plena apud Danielem ostendit. *Statua,* inquit, *quæ ex auro incipit, in testam desinit: puta quia nemo repentè fit turpissimus: sed qui minima negligit, paulatim decidit. Sicut quibusdam profectuum gradibus ad alta conscenditur, sic rursum gradatim ad ima descenditur.* Deindè obiurgatis

S.Io.Damas. vitæ SS.Barl. & Ios. c.19. S.Chrys. in Gal. 1. vers. & volunt subuertere Euang. & ser. de anima. S.Greg. l.31. moral. c. 9. al. 12. Dan. 2. 31. Ric. l.1. de eru. inter. hom. cap.23.

gatis ijs, *qui in initio conuersionis suæ, opus suum inchoant ex auro, & tandem consumunt luto*, ad rem nostram hæc ait: *Nec tamen qui huiusmodi sunt, statim se in infima demergunt: sed priùs de bono in peius; dehinc de minùs bono in malum; & demum de malo in deterius corruunt*.

436 Si huius rei rationem exposcis: hoc à natura corrupta prouenire innuit S. Isidorus Pelusiota, cùm dixit, Natura comparatum esse, vt à paruis oriantur magna peccata. Ideóque vel in primo libro de Cælo Aristoteles ait: *Modica transgressio à veritate discedentibus fit longè decies millies maior*. Et: *Quod in principio modicum est, in fine fit perquammagnum*. Et in quinto libro Politicorum: *Impossibile est ex primo errore in principio commisso non euenire ad extremum aliquid mali*: quia, *principium dicitur esse dimidium totius*. Et ex Caio Iurisc. *Cuiusque rei potissima pars principium est*. Et S. Chrysostomus hoc de risu exemplum adducit: *Consideremus si nimium quidam ac importunè risit, reprehensus à quopiam est: respondet alius nihil esse id mali. Quid enim est risus, aut quid vnquam è risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium; à turpiloquio operatio turpis profecta est*. Et alia post exempla concludit: *Sic à minimis ad maxima gradatim Diabolus ducit*. S. Dorotheus hoc in suspicione & curiositate demonstrat: *Ex eo*, inquit, *quòd parum esse putamus suspicionem aliquam aduersus proximum concipere ac fouere: ex eo etiam, quod dicimus, Quid refert, si audiero quid dicat Frater ille? Quid refert, si dixero verbum hoc? Quid refert, si videro quò Frater ille progrediatur? aut quid hospes ille faciat? Incipit mens nostra propria peccata, & errores proprios dimittere, ac negligere; & contra proximum nugari, ac futili loquacitate iocari. Hinc postmodùm illud nascitur, nempe quod proximum iudicamus condemnamusque*. Proindè S. Augustinus Matris suæ Nutricem commendat, quæ puellis extraordinarium aquæ potum interdicebat; ne postea in domibus Maritorum vinum intemperantiùs biberent: Et S. Carolus reprehendens familiarem Sacerdotem bibentem extra tempus, & excusantem se se, quòd os tantùm perlueret, dixit, licentiores fieri sensus, nisi coerceantur: hoc est ab oris ablutione progredi ad aquæ potum, inde ad vinum, & tandem ad ebrietatem. S. Iacobus, *Ecce*, inquit, *quantus ignis quàm magnam siluam incendit!* Et in Ecclesiastico Sapiens, ait: *A scintilla vna augetur ignis*. Et Vmbertus in epistola ad suos; *Sæpe*, inquit, *de peccatis minimis venitur ad maiora: sicut ignis validus nonnunquam surgit modica de scintilla*. Idenque Alexander Macedo in concione militum inculcabat. *Sicut in corporibus ægris*, inquit, *nihil quod nociturum est Medici relinquunt; sic nos quicquid obstat Imperio recidamus: parua sæpe scin-*

S. Isid. Pel. l. 3. ep. 159. Ar. l. 2. Cæli t. 33. id. l. 5. polit. c. 1. 4. & sect. 1. probl. 35. L. 1. ff. de orig. Iuris. S. Chrys. ho. 87. in Matth. 27. S. Dor. ser. 6. S. Aug. l. cõfess. c. 8. Iac. 3. 5. Eccl. 11. 34. Vmb. ep. de tribus votis c. 56. Q. Curt. l. 6.

rilla contempta magnum excitauit incendium. *Nihil tutò in hoste despicitur: quem spreueris, valentiorem negligentia facies.* Auctor libri de singularitate Clericorum sub nomine S. Cypriani, thesauros, Castra, Vrbes, exinaniri, capi, & expugnari docuit, nisi vel minima rima foramenque obturetur diligentissimè: nec rarò legimus in historijs munitissimas arces & Vrbes, altissimis septas mœnibus, per cuniculum, aquæ ductum, angustúmque foramen, ab hostibus clanculum irrepentibus, occupatas atque direptas. S. Chrysostomus in concione ad populum Antiochenum tres similitudines habet: *Sæpius nanque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, vnius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis idem euenire quis cernere possit. Etenim parua in illis facta scissura, nec resarcita, magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties euenit. Etenim & illi si vel minimùm ceperint ingressum, totum introducunt fluentum. Itaque & tu, licet te vndique munieris, si tamen aliqua pars immunita dimissa est, hanc etiam diabolo obstrue, vt sis ab omni parte firmatus.* Et de prima similitudine Salomon ait: *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* Quem Cassianus locum explicat & illustrat. S. Augustinus in psal. 66. considerat in nauis sentina minutissimam rimulam, qua neglecta nauis submergitur. Et scribens ad Seleucianam, *Quid*, inquit, *interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem atque submergat?* Ac retulit in Decreta Gratianus hunc locum. B. Esaias Abbas de rima in dolio hæc ait: *Quemadmodùm si qua in dolio rimula existat, defluit vinum, antequam Dominus sciat, si negligens est: sic qualibet res quanuis exigua fructum excutit hominis negligentis.* Idenque S. Anselmus in piscina vel viuario obseruat: quod rima non obstructa exhauritur; & tunc pisces in fundo sicco relicti vitam amittunt. S. Gregorius Nazianzenus; *Paruo*, inquit, *lapide submoto, flumen totum in pronum trahitur: eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimique uix potest.* Et in armato milite ferreis armis; *si per tenuem aliquam rimulam*, inquit S. Ephræm, *telo aditus patefiat, strenuo militi mortem affert.*

S. Chrys. ho. 19. ad pop. Ant.

Cassian. coll. 6. c. 17.

S. Aug. ep. 108.

B. Esa. or. 12

S. Ansel. l. de similit. cap. 122.

S. Greg. Naz. or. 1. nu. 24.

S. Ephr. t. 1. ser. de morbo linguæ.

437 Altera ratio periculi, & lapsus in grauiora ex minimis est, quia minimè ijs remedium adhibetur, vel quòd non cognoscitur damnum, vel quòd ob paruitatem contemnitur: vt supra diximus, ex S. Chrysostomo, cui similis est sententia S. Gregorij Papæ monentis eos, qui in minimis frequenter excedunt: *Vt solicitè considerent, quia nonnunquam in parua deteriùs, quàm in maiori culpa peccatur.*

S. Greg. p. 3. past. cura c. 34.

Vbi non grauiùs peccari dixit, ſed deteriùs, hoc eſt periculoſiùs & damnoſiùs. *Maior enim quò citiùs, quia ſit culpa agnoſcitur, eò etiam celeriùs emendatur. Minor verò dum quaſi nulla creditur, eò peius, quò & ſecuriùs in vſu retinetur. Vnde fit plerunque vt mens aſſueta malis leuibus, non grauiora perhorreſcat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ, per culpas nutrita perueniat; & tantò in maioribus contemnat pertimeſcere, quantò in minimis didicit non timendo peccare.* Quamobrem S. Catharina Senenſis à tepidis Religioſis exiſtimat perfectionem interdum difficiliùs quàm à frigidis comparari: propterea quòd hi, qui grauium peccatorum veneno frigefacti ſunt, faciliùs peccatorum ſuorum grauitatem agnoſcunt, cùm illis diuinitùs oculi aperiuntur: eamque exhorreſcunt, & ex horrore concipiunt odium, & propoſitum emendationis arripiunt. At tepidi, qui peccata grauia in ſe minimè deprehendunt, illaqueati venialibus, quæ paruifaciunt, ijſque aſſuefacti tolerandis, & committendis, niſi vim ſibi generoſo animo inferant, inueteraſcunt in ſuo tepore, nec cogitant de perfectione aſſequenda. Vide Caſſianum *coll.* 4. *cap.* 19. vbi illud Apocalypſis pertractat: *Vtinam frigidus eſſes aut calidus &c.* Tertia ratio eruitur ex S. Chryſoſtomo: *Habet quippè inſitum quendam anima pudorem atque innatum, quem ſubitò calcare atque abijcere non poteſt: ſed ſenſim ac paulatim ex negligentia perit;* vt ſupra diximus. Leuia ergo peccata, vt Iacobus Aluarus notat, innatam nobis verecundiam tollunt, quæ nos ſæpe à peccando reuocat: & hac ſublata faciliùs in grauia ruimus.

S. Cath. in dial. c.16.2.

S.Chryſ. ho. 87. in Matth. 27.

438 Quiſquis itaque in Receſſu vitæ ordinem ſibi ſtatuit ac deſcribit, Thomam Sanchez apud Ioannem Crombetium imitetur, in ſecundo libro de ſtudio perfectionis, vbi ſic habet: Diſrumpar potiùs, quàm aliena referam, aut diuulgem delicta: neque alijs eadem quamuis leuia & ioco referentibus aurem præbebo. Si quando congregatos aut circumſpicientes videro, non ſubſiſtam, nec contuebor, vt quid fiat videam. Per domum ita defixis oculis in terram incedam, vt dumtaxat tranſeuntium vultus agnoſcam, honoris exhibendi gratia; præterea nihil. Refectionis tempore, ne lancem quidem ipſam aſpiciam, niſi quando oblata à me ſumenda erit. Quicquid mihi oblatum fuerit, eo ſolo veſcar, nullo adiecto, aut oleo, aut aceto, ſale, aut condimento. Quoties abſque cenſura nouiſſimum obtinere locum in Refectorio potero, lubens occaſionem captabo. In obedientia accuratiſſimus ero, etiam litera inchoata relicta. Folium arboris in horto non contingam; non decutiam vel vnum perſicum: filum vnum abſque facultate aut tri-

Cromb. cap. 32.q.12.

buam, aut accipiam nunquam. Vide alia multa, quæ nos omittimus. His ſimilia ſunt exempla leuiorum quorundam tentationum, quarum depulſionem S. Dorotheus vtiliſſimam eſſe docet acquirendæ perfectioni. *Obambulat*, inquit, *quiſpiam, & aliquid forte conſpicatur: ſuadetur actutum à cogitatione, vt illud aduertat. At is, ſi ſapit, cogitationi, & ſuaſioni illi repugnat: ſeque auertit, & dicit, Certè non aduertam, neque id penitùs conſiderabo. Rurſus offendit quis aliquos nugis, & varijs rumoribus occupatos, & ait illi cogitatio cordis ſui: Dic & tu verbum aliquod, immiſce te huic turbæ. At ille negat id ſe actûrum, & voluntatem ſuam abrumpit prorſus. Iterum dicit ei cogitatio: Adi coquum, & interroga quid paret obſonij. At ille non adit, nec voluntati illi ſuæ obtemperat. Item cernit fortaſſe quidpiam: ſuadetque illicò cogitatio, vt interroget, quiſnam illud attulerit. At ille negat: & voluntati ſuæ repugnat, appetitum comprimit, nec percontatur omninò.* S.Dor.ſer.1.

439 Cæterùm vnuſquiſque leuiſſima quæque peccata perquirat in ſe quotidie diligenter: deprehenſa excutiat & expendat: tum doleat deleatque. *Neque peccata*, inquit S.Chryſoſtomus, *quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus: ſed quotidiè à nobis rationes repetamus, & verborum, & ſpectationum: & pœnas de nobis ipſis ſumamus, vt nos à futuro iudicio liberemus.* Audi S.Gregorium: *Sancti viri tantò ſe ſubtiliùs in cogitatione conſtringunt, quantò à ſuperno Iudice diſtrictiùs conſiderari conſpiciunt. Mentem quippè diſcutiunt: inuenire ſi qua deliquerint, quærunt; vt tanto fiant irreprehenſibiles Iudici, quanto ſemetipſos quotidie & ſine ceſſatione reprehendunt.* Hoc autem diligenter præſtandum eſt: quoniam culpæ ipſæ veniales *obſcurant animam*, vt ſcripſit Ricardus. Et vt Bernardinus Roſignolius addit: *Animam viri iuſti ſua turpitudine fœdant: obſcurant conſcientiæ lumen: minuunt charitatis ardorem: tanquam compedes retardant proficientem in via perfectionis, & quaſi vincula retinent, ne ruat in amplexum Chriſti: ſunt denique veluti quidam amari ſucci, quibus aſpergit Satanas cibos menſæ Chriſti, vt ne guſtent proficientes, quàm ſuauis eſt Dominus, & inde in ſalutem creſcant.* Ex Ludouico Granatenſi, *auferunt deuotionem: turbant conſcientiæ pacem: extinguunt feruorem Charitatis: infirmiora faciunt ad bonum corda: mortificant animæ vim: remittunt vitæ ſpiritualis vigorem: & tandem modo ſuo reſiſtunt Spiritui ſancto, eiuſque actionem in nobis impediunt.* Sed & culpa venialis ex Ioanne Buſæo, *obligat hominem ad pœnam huius vitæ, vel futuræ in Purgatorio luendæ: animam ſordidiorem reddit: imminuit charitatis feruorem: vires animi debilitat: retardat Gloriam æternam: minuit meritum & vitæ æternæ gloriam: diſponit ad peccatum mortale: obſtaculum aliquod ponit augmento gratiæ: impedit deuo-*

S.Chryſ. ho. 60. in Gen.

S.Greg.l.21. moral. c. 4. al. 5.

Ric. Vict. c. 35. in Cant.
Roſign. l. 2. de diſcipl. c. 5.

Granat.in Duce pecc.l. 2.p.1. c. 12.

Buſæus V. peccat. ven. remed. 6.

tionem in orando; & in vita spirituali progressum: displicet Deo & Angelis: placet Dæmoni. Seruatius Monachus Præmonstratensis in Optica comparat venialia peccata plumbeis calceis, quibus non planè impeditur, sed retardatur progressus. Vt igitur ea perspicere ac corrigere valeamus, perpurgandus est oculus mentis. *Nam quemadmodùm oculi nostri corporis*, inquit B. Diadochus, *cùm sani sunt, cuncta cernere possunt; etiam culices in aere volitantes: cùm verò turbati sunt, aut humore quodam suffuso septi, si quid in eorum aspectum occurrat grande, hoc tenuiter cernunt: minuta verò non sentiunt; sic anima si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiosè restinxerit, etiam valde parua errata, pro grauissimis ducit.* Quod Ricardus Victorinus de anima seu sponsa loquens ita declarat: *Plus illuminata, plus defectus suos cognoscit, & melior facta plus sibi vilescit. Damnat tunc paruos defectus, quos priùs tolerabat: & tam in verbis, quàm in cogitationibus, multa se commisisse peccata intelligit, quæ minùs mala ante reputabat.* Nec S. Bonauenturæ similitudinem prætermittam, id egregiè insinuantis. *In domo*, inquit, *quam subintrans solis radius illuminat, quantumque licet fuerit præmundata; atomi nihilominus diligentiùs intuenti apparent: sic & cor radijs gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit, & maiores causas humiliationis inueniet.* De culpis ergo venialibus plurimùm dolere debemus. & cur non displiceat nobis commisisse, quod certò scimus Deo displicere? Ideóque definit Angelicus S. Thomas, sine actu pœnitentiæ peccata venialia non dimitti: quia in his quoque voluntas deordinatur per immoderatam conuersionem ad bonum creatum, quam pœnitentia tollit: habitualem displicentiam non sufficere, sed saltem virtualem requiri: illorum detestatione opus esse vel explicita, vel saltem implicita: tum propositum abstinendi à singulis adiungi oportere. Ideò enumeratis modis periculosis quibus nos venialia præparant ad mortalia, clamat Cardinalis Caietanus: *Propter quod frequentiùs contritionibus, non superficie tenus, singula secundùm suas species distinguenda sunt.* Et vnusquisque, vt S. Thomas inculcat, *debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cùm desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.* Demum cum S. Gregorio Papa Disquisitionem concludo: *Quantò ergo electus quisque maiori sanctitate præeminet, tanto magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet.*

B. Diad. l. de perfect. spir. c. 27.

Ric. c. 34. in Cant.

S. Bon. p. 1. spec. par. 2. c. 3.

S. Th. 3. p. q. 87. ar. 1. & 2.

Caiet. 1. 2. q. 88. art. 3. in fine.

S. Th. 3. p. q. 87. ar. 1. ad 1

S. Greg. in psal. 2. pænit.

DISQVISITIO TERTIA.

Quomodò ratio sanctioris vitæ sit ordinanda.

440 IN VITÆ SANCTIORIS ORDINAT. Vbi ad vltimam diem, & exercitiorum finem, peruentum erit; proposita è singulis meditationibus elicita relegat iterum Solitarius, & expendat: tum modum aptiorem excogitet, quo illa executioni mandentur: & si videbitur, quæ vigilantiori cura opus habent, ab alijs segregabit. Mox iterum vitæ suæ rationibus, iuxta ea quæ proposuit, ordinatis, tempora singulis quotidianis operibus impendenda, ex æquo distribuat: eo animi robore, ac firmitate, vt statuat omnino, se non passurum, vt nisi magna vrgeat necessitas, aut aliter Superior iusserit, disposita semel operum series euertatur. Quæ etiam vitia extirpanda, & virtutes acquirendas sibi esse constituit, sedulò iterum ac distinctè notabit, ex ordine quem Director suaserit, vt singillatim ineat ipsorum certamen. Sed Clericorum Minorum praxin hìc audiamus: *Vltimo recessus die, facta super se reflexione, fructum, quem ab exercitijs, & recessu reportauit, considerabit. Auctori omnium bonorum* Deo *debitas agat gratias, pro tot fauoribus, gratijs, & luminibus vbique, & præsertim in eo loco exhibitis. Ab eodem Patre luminum instantissimè efflagitabit, vt quas inspirationes, & gratias sibi infundere dignatus sit, semper conseruet, & in veros & permanentes habitus confirmet. Lumina item, & Spiritus sancti influxus colligat, eaque pro futuris temporibus scripta conseruabit. Et qualis deinceps cum* Deo, *cum Superioribus, proximis, & se ipso futurus sit, cogitabit, & quod vitæ genus tenere debet, cum Instructore conferat diligenter.* De ritu verò hæc stabiliendi secum, probarim à Nicolao Lancicio propositum, hunc in modum. Ne caput diuturniore lectione fatiget, sedendo, vel deambulando, secum veluti colloquatur familiariter, cum summa simplicitate, & candore: Eia anima mea, ego nunc facio exercitia, vt per ea ad sanctitatem excitemur, & post ea, vt sanctè viuamus, & non erubescamus Euangelicam perfectionem: Quid ergo debes facere? quid debes emendare? quod perficere? ò Domine Iesu adiuua me: vellem esse bonus, & totus tuus! O Beatissima Virgo, ora pro me. O sancte Angele Custos, succurre mihi. Qualis debet deinceps esse mea ad meditationem præparatio? Qualis meditatio? qualis recreatio? cum quibus conuersatio? Hæc non simul omnia, extra tempus meditationis examinet & scrutetur;

Dom. Flum. in Direct. instr. n. 17. fol. 53.

ſed vno die vnam occupationem, altero die alteram. Ita ſine tædio, cum fructu, totum tempus tranſiget. Vltimo tamen die receſſus cuncta iterum vigilantiori cura diſcutiat.

Barry ſeu Michael Cuuelier interpres in Trid. Hagioph. ſub finem paucis immutatis.

441 Propoſita autem in eo receſſu concepta, ſi non quotidie annotauerit, eccum à Paulo de Barry deſcripta. Fas mihi modo ſit aſſequi diuinando, quid ſtatuerit; aut dicere, quid ſtatuere ipſum oportuiſſet. Habe ergo, Director, & ea fac ſolitarius diligenter euoluat, ſed opere ipſo diligentiùs exequatur. *I.* Cum gratia dilecti mei Saluatoris, seriò volo renouationem meam eſſe eximiam, & vt hæc complectatur omnia bona deſideria atque propoſita, quæ vnquam aliàs habui: quare ad ſucceſſum fortunatiorem, eadem, prima cuiuſuis menſis Dominica, à communione mane perlegam, neque hæc ſolùm, verùm etiam alia quæcunque, aliquando, in arcanos commentariolos à me relata. *II.* Mori malim millies, quàm me minimo peccato lethali obſtringere. quoad veniale, illi deliberata voluntate non conſentiam: & ſi contingat in illud aliquando me prolabi, ipſe mihi pœnam indicam, aut oſculi terræ infigendi, aut legendi brachijs expanſis Angelicam ſalutationem. *III.* Præcipuum meum ſtudium erit & cura, in exercitationibus meis ſpiritualibus ritè peragendis, & vt Deo dem, quod illi debetur. Quapropter non negligam vnquam Meditationem matutinam, & veſpertinam, Chorum, Orationem, Sacrum, Lectionem piam, Examina conſcientiæ, præſertim particulare, eas quas mihi indixi Venerabilis Sacramenti Viſitationes. Hæc, cùm tempus aderit, reliquis omnibus anteponam. IV. Quicquid temporis erit vacuũ liberumque ab occupationibus ratione muneris mei & officij obeũdis, impendã Orationi ſiue mentali ſiue vocali: idque, quantũ fieri poterit, coram auguſtiſſimo Sacramento. V. Quotidie legam, ex Laur. Scupolo, & Thoma Campenſi, vnam circiter pagellam, quæ fortuitò occurrerit, & quidem flexis ad Oratorium genibus, vt tantò maiori animi ſubmiſſione Deũ audiam, ex hoc aureo libello, me inſtruentem. VI. Scelera mea apud Confeſſarium ſemper deponam, tanto candore, ſinceritate ac contritione, quaſi poſtrema foret Confeſſio: atque in Confeſſario meo, perſonam Ieſu Chriſti, cuius ille vices obit, fidei oculis intuebor. *VII.* Sacram Synaxim etiam ſumam ea religione, qua illam ſumerem, ſi foret vltima: & recipiam Creatorem meum, quàm potero creberrimè, quotieſque id mihi permittetur: nihil ægriùs ferendo poſt offenſas quæ in Deum meum committuntur, quàm, vti me docet Chryſoſtomus, hac eſca priuari. VIII. *T*entationibus maximè moleſtis à vanitate, ab amore proprio, à paſſione mihi fa-

miliari, respondebo, occupatum iam esse locum: Iesum cordis possessionem iam adijsse; nolle illum alteri, præterquàm sibi patere isthuc aditum: adeóque ad primum occursum similium ineptarum cogitationum, illicò recipiam me, non attendendo illis, neque disputando: contemptu optimè depellentur. IX. Nolo quicquam agere ob respectus humanos, vt placeam creaturis: uni Deo satisfacere volo, & conscientiæ meæ, nulla habita ratione propriorum meorum emolumentorum, aut oblectationum; ita tamen vt quisquis viderit actiones meas, easdem possit approbare, quanuis hinc nullam ego laudem, aut aliud quicquam, præter meram Dei gloriam consecter; ob cuius amorem agam, quicquid agam. X. Nolo ampliùs curare, quid agant alij, quid rerum in orbe geratur, qui rumores circumferantur; ne de ijs quidem, quæ domi, aut in familia, in qua dego, fiunt: viuere volo exclusa omni curiositate, & solùm attendere mihi, munerique meo, & si quid aliundè imperetur. XI. Inter vicissitudines negotiorum, tempestatum, & euentuum, vtcunque fluant, non obstupescam, sed eodem vultu & animi tranquillitate, quicquid acciderit, excipiam, Deo constanter & adorandis eius dispositionibus adhærescens. XII. Vt vbiuis locorum, & in quacunque oblata occupatione, eundem modestior, compositiorque, frequentissimè mihi sistam præsentem Deum: hinc non loquar sine necessitate, nullo pacto me excusabo, in sermone ero suauis; & quicquid aggrediar, erit ex stimulo diuini amoris, & sine anxietate. XIII. Nihili pendam hoc miserum corpus meum, moderatam curam, & rationabilem geram de eius valetudine, vt Deo seruire, eiusque gloriæ promouendæ operari possit, quod ad sensuum oblectationes attinet, eas despicatui habebo; oblatis opportunitatibus, me vincam, subtrahamque oculis, & gustui, & auribus, modicas suas, sed perniciosas delicias: & tum vesperi, sub examen, inibo numerum victoriarum de me relatarum, ad referendas Deo laudes, & gratiarum actiones. XIV. Si Deus mihi immiserit humiliationes & contemptus, illos de ipsius manu lubens suscipiam; non detrectando opprobria, sed tolerandi facultatem à Deo postulabo. XV. Si labar in vitia paululùm grauiora & præter morē meum, grauibus iniurijs me impetam, atroces pœnas mihi comminabor, si fortè recidam, meque admissæ culpæ coram Venerabili, quàm citissimè, cum debita demissione & contestationibus accusabo. XVI. Non proferam sensa animi mei, nec iniurias vndecunque acceptas, querendi aut murmurandi studio, sed mihi sufficiet illas obtulisse meo Redemptori; neque tum quidem, cùm innocens reprehendar, pro me dicam

aliquid, sed gaudebo, mihi istam à Deo fieri gratiam, quòd culper sine culpa. XVII. Non mirabor si meas alij actiones in partem deteriorem interpretentur, quandoquidem id acciderit operibus mei Iesu, & si sanctissimis & à Deo ipso exercitis: pro fructu erit solatium, quòd illi sim similis. XVIII. Nulla in re vnquam ero singularis, nisi in amore, dando operam, vt plus cæteris Deum amem, & hac in parte nulli concedam. Cæterùm sectabor morem & ordinem Communitatis, neque quicquam peculiare mihi procurabo. XIX. Non obsequar inclinationibus meis, & constanter insistam illi proposito, quo decreui omnes priuatas amicitias familiaritatesque deuitare. XX. Si instituti mei ratio exigit, Paupertatem ita colam, vt nulli rei affigam animum; nihil donem aut acceptem, sine moderatorum facultate; neque ad vsus meos, aut in cubiculo, aut alibi, quicquam superfluum patiar. XXI. Ita studebo Castitati, vt nihil sit, de quo me, in hac materia, apud Confessarium accusem; accuratissimè obseruando omnia, quæ ad tuendam hanc Angelicam virtutem ab illius amatoribus præscribuntur atque commendantur. XXII. Tam ero obediens, vt nihil me prætereat eorum, quæ præcipientur, quod non promptè iuxta ac hilariter exequar, modò absit peccatum; & præsagire conabor voluntatem eius, qui me regit, vt etiam nutus minimus sufficiat: eodemque pacto perficiam omnia, atque si Deus ipse mihi coram & verbis suis imperaret. XXIII. Cum gratia Dei mei, aliam, quàm hactenus, viuendi rationem inire volo; atque immobili constantia vacare meæ saluti atque perfectioni: & vt recentior crebriorque eius rei vigeat apud me memoria, quotidie mane, post salutatum Venerabile Sacramentum, exhibita Saluatori meo reuerentia, priusquam me recipiam, dicam: *Dulcissime mi Iesu, stabo hodie illis propositis, quæ in vltimo meo secessu concepi.*

DISQVISITIO QVARTA.

Quomodo è solitudine, post Superioris veniam, exeundum.

442 AD PRAXIN ETC. Actis Deo ac Deiparæ gratijs: tum Dei ope, ac B. Mariæ Virginis, & Tutelaris Angeli patrocinio iterum imploratis, Solitarius è recessu, ad suum cubiculum vadat: & si id ante non fecerit, ipsum diligenter euoluat, vt tollat superflua, religiosæ paupertati ac perfe-

ctioni non consentanea, & statim ad Præpositum deferat. Nam communiter, hanc cubiculi excussionem, primis exercitiorum diebus instituendam suadent: vt cunctis acriùs inspectis, quæ nostram professionem haud decent, grandia vel leuia, promptiori animo, rescindantur. Ad hæc, monent Carmelitæ Discalceati, vt *Secessurus ad Exercitia, eisque postmodùm absolutis, Cœnobium repetens, Benedictionem Superioris accipiat.* Sed si plures in solitudinem se receperint; laudo Fr. Antonij Dazæ è Minor. Obseru. monitum in hæc verba: *Absolutis exercitijs, congregentur in Eremitorio omnes: & in gratiarum actionem, sanctissimæ Virginis Conceptioni, recitent Antiphonam, versiculum, & Orationem quam diximus: mox vnà omnes ad Superiorem pergent, vt Benedictionem accipiant.* Nicolaus tamen Lancicius, post Exercitia, vt carptim huc exscribam aliquot eius verba, sic monet: *Communica, accepta licentia: & eam Communionem offer Diuinæ Maiestati, in gratiarum actionem, pro ijs, quæ facienda & vitanda agnouisti, & ad impetranda efficacia diuinæ gratiæ auxilia, quibus fretus, deinceps viuas iuxta bona proposita à te in exercitijs facta, & ne cedas vllis tentationibus internis, & ne impedimentis externis retraharis à benè inchoata viuendi ratione. Accepto deindè sanctissimo Sacramento, postquàm solitas deuotiones cum Christo Domino peregeris, offer in vnione meritorum eius, ei, tua proposita: gratias age pro eis factis, pete gratiã constanter ea exequendi semper in occasione omni. Postea adeas Superiorem tuum, vel Confessarium, eique præcipua proposita à te facta communica* (si hoc ante in secessu non peregisti) *vt tibi sit frænum quoddam, quo retinearis, ne relabaris in priores defectus, & sit calcar, quo exstimuleris ad constantem eorum executionem, saltem metu & pudore adactus, ne tibi exprobret Superior, vel Confessarius inconstantiam in benè cœptis: nam & talibus motiuis secundariò te iuuare debes, quæ apud tyrones & imperfectos sæpe maiorem vim habent, quàm alia motiua purè supernaturalia & præstantiora.* Clerici autem Minores exercendorum instructionem hoc modo claudunt: *Postremò, instructor ipse* (idem de Superiore dicendum) *pro qualitate personæ addat monita, quæ animæ illius salutaria, & proportionata iudicabit. Et Religiosis quidem in genere commendabit votorum & regularum suarum obseruantiam: exteris verò frequentiam Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, Præceptorum custodiam, curam domus & domesticorum, orationem mentalem, & ut quotidie Missæ sacrificio intersint.*

Car. Instr. ad ex. c. 7. nu. 8. fol. 61.

Daza in exerc. S. Frãc. fol. 25.

Lanc. lo. cit.

Flam. in Direct. inst. nu. 18. fol. 54.

443 Ex hac ergo spirituali quiete in qua te ipsum inspexisti, desideria sopita excitasti, proposita confirmasti, cum Deo ceu alter Iacob ad accipiendam Benedictionem pugnasti; *Exibis*, ex Aluaro, *ut Moyses facie splendida ex consortio Domini, & anima roborata, ut pos-*

Iac. Alu. de vita relig. instit. lib. 5. c. 11.

sis sine tui detrimento alijs prodesse, imò & cum virtutum augmento animas generare, & Deo thesauros saluandorum acquirere. Si habuisti tamen aliquos socios, qui tibi antea erant vel causa vel occasio liberè viuendi, in primo cum eis congressu, manifestè te illis declara, quòd te resolueris ad mutandam pristinam viuendi irreligiosè rationem: quòd si non viriliter, sed frigidè facias, semper in vitio claudicabis. At, *Quid faciam, inquit aliquis, apud necessitatem inducentes?* (Verba sunt S. Ioannis Chrysostomi) *Qualem necessitatem, ò homo? Discant omnes, quòd omnia malles pati, quàm legem Dei transgredi; & ab inferenda necessitate desistent.* Ideò frangenda est, vt dicitur, prima glacies; & externo etiam corporis habitu, quòd alius euaseris, palam omnibus ostendendum. Vt etiam scripsit S. Isidorus Pelusiota; quémadmodùm pudica mulier castitatis notas in facie gestans, eorum qui impudicos in eam oculos conijciunt, expectationes reprimit; eodem modo, pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes exscindit. Quisnam enim huiusmodi oculum, suauitate & ingenuitate temperatum, conspiciens, propiùs accedere audeat? Quisnam autem linguam, quæ honestatis & grauitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem ad congressum illicitum interclusum arbitretur? Quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animaduertens, præposterum consilium dare non pertimescat?

S. Chrys. ho. 7. ad pop.

S. Isid. lib. 3. epist. 287.

Lanc. n. 238.

444 Pergit Lancicius: Ad hæc; quolibet mense, & quidem (ne pia hæc consuetudo è memoria excidat) primo die mensis, totam meditationem institue, circa bona proposita præcipua, in exercitijs & aliàs facta, repræsentando ea Deo, & innouando, instar renouationis Votorum: & videndo, quomodò ea serues: & acriter incusando te coram Deo, si aliquod non seruasti: & motiua ad ea exequenda, siue vetera, siue noua ponderando: & inuocando diuinam opem ardenter, pro eorum constanti executione in posterum. In colloquijs quoque menstruis cum Patre Spirituali, vt bonorum Religiosorum est mos, proderit ei manifestare, quomodò te geras in executione bonorum propositorum. Et valde etiam prodest, si constituas socios probos, morum tuorum censores, vt te moneant. Hoc nedum Chrysostomus *ho. 27. ad pop.* sed etiam Ethnici suadebant. Audi Plautum in Trinummo.

Sed ex amicis certis mihi certissimus.
Si quid me scis fecisse insciè aut improbè,
Si id non accusas, tu ipse obiurgandus es, scio.

1. Igitur tua præcipua studia erunt.

1. *Abnegare te ipsum.*
2. *Extirpare vitia*] *tam in te, quàm*
3. *Plantare virtutes*] *in alijs.*
4. *Tibi mundoque mori.*
5. *Amare Deum.*
6. *Proximo benefacere.*

II. Necessaria ad animi tranquillitatem.

1. *Infima petere.*
2. *Silentium custodire*
3. *Non contradicere.*
4. *Te ipsum non ingerere.*
5. *Indifferenter omnia de manu Dei accipere.*

III. Assiduè te exerceas.

1. *In Humilitate, & Charitate.*
2. *In Patientia, & Mortificatione.*
3. *In Lectione, & Oratione.*
4. *In Meditatione vitæ Christi.*
5. *In Communicatione cum Deo.*

IV. Tibi in primis fugienda.

1. *Familiaritas Mulierum.*
2. *Singularitas, propriumque Iudiciũ.*
3. *Voluntas, Amorque proprius.*
4. *Otium, ventrisque studium.*
5. *Superbia, vanaque gloria.*
6. *Cupiditas, & abundantia terrenorũ.*

V. Tibi domi agenda.

1. *Cogitare Deum præsentem, omniaque videntem.*
2. *Resistere suggestionibus inimici.*
3. *Legere & studere ad bene agendũ.*
4. *Orare ad te inflammandum.*
5. *Armare te ad tutò utiliterq; exeũdũ.*

VI. Si Superior es, studeas.

1. *Omnes æqualiter amare.*
2. *Religiosæ disciplinæ attendere.*
3. *Bono exemplo omnibus prælucere.*
4. *In spiritu lenitatis omnes instruere & corrigere.*
5. *Pro omnibus Deum orare.*

VII. Si subditus es, erga Superiorem, debes.

1. *Illum amare, vt Patrem.*
2. *Honorare vt Dominum.*
3. *Audire vt Doctorem.*
4. *Obedire vt Christo.*
5. *Pro illo Deum orare.*

VIII. Erga fratres, debes.

1. *Omnes in Domino amare.*
2. *Omnes tibi Superiores reputare.*
3. *Illos ex charitate admonere.*
4. *Patienter supportare.*
5. *Bono exemplo ædificare.*

IX. Summo mane debes.

1. *Stato tempore citò surgere.*
2. *Te mox diuino conspectui & seruitio sistere.*
3. *Pro custodia noctis gratias agere.*
4. *Bona proposita concipere.*
5. *Ad eadem exequenda auxiliũ & gratiam petere.*

X. Circa Orationem seu Meditationem debes.

1. *Prius animum & materiam præparare.*
2. *Alienas cogitationes expellere.*
3. *Constanter perseuerare.*
4. *Ductum S. Spiritus humili corde sequi.*
5. *Pro admissis defectibus dolere, & pro bono successu gratias agere.*

XI. In Oratione tibi frequẽter tractanda.

1. *Cognitio tui, & dolor de peccatis.*
2. *Quatuor hominis Nouissima.*
3. *Beneficia* Dei.
4. *Vita & Passio Christi.*
5. *Conuersatio cum* Deo, *& Sanctis cius.*

XII. Obseruanda circa Confessionem.

1. *Conscientiam bene examinare.*
2. *De peccatis vehementer dolere.*
3. *De peccatis integrè confiteri.*
4. *Emendationem seriò proponere.*
5. *Pœnitētiæ iniūctæ mox satisfacere.*

XIII. Circa sacrum Missę Officium, debes.

1. *Consciētiam per Confessionem priùs purgare.*
2. *Corde humiliato & contrito accedere.*
3. *Illud cum reuerentia & deuotione, ad gloriam Dei, pro te & Ecclesia offerre.*
4. *Cum fame spirituali & charitate communicare.*
5. *Cum gratiarum actione recedere.*

XIV. Post sacrum, debes.

1. *In corde cumChristo te abscondere.*
2. *Te totum Christo offerre.*
3. *Tuas aliorúmque necessitates Christo explicare.*
4. *Pro te alijsque multa à Christo petere.*
5. *Ad æternam Beatitudinem aspirare.*

XV. In recitatione Diu. Officij debes.

1. *Cor ab alijs cōgitationibus purgare.*
2. *Deuotionem procurare.*
3. *Ad sensum, Deúmque attendere.*
4. *Verba integrè proferre.*
5. *Ad finem non properare.*

XVI. In Choro debes.

1. *Manibus pedibusque bene compositis assistere?*
2. *Oculos ad psalterium habere.*
3. *Alios non aspicere.*
4. *Sedili aut parieti non inniti.*
5. *Quæ tui muneris sunt solicitè gerere.*
6. *In voce ac pausa Superiori te attemperare.*

XVII. In Examine consciētiæ debes.

1. *Lumen à Deo petere.*
2. *Pro Beneficijs gratias agere.*
3. *Conscientiam discutere.*
4. *De peccatis dolere.*
5. *Emendationem proponere.*

XVIII. In eodem Examine attendas.

1. *Transgressionibus Votorum.*
2. *Tepiditati in Dei seruitio.*
3. *Distractionibus mentis.*
4. *Prauis animi motibus.*
5. *Detractioni ac murmurationi, quia vtraque illis familiaris.*

XIX. In Refectorio debes.

1. *Tacere.*
2. *Studere mortificationi.*
3. *Sobriè comedere & bibere.*
4. *Lectioni attendere.*
5. *Animum spirituali cibo reficere.*

XX. Extra Domum debes.

1. *Portas sensuum diligēter custodire.*
2. *Religiosam grauitatem & modestiam seruare.*
3. *Rebus uanis ac nouis non attendere.*
4. De *rebus spiritualibus loqui.*
5. *Breuiter te expedire, citóque Domum redire.*
6. *De proximi vitijs non inquirere.*

XXI. In lecto debes.

1. *Deo, Sanctis Patronis, Angeloque Custodi te commendare.*
2. De *morte & sepulchro cogitare.*
3. *Contra inimici insidias te munire.*

4. *Quoties euigilas, ad Deū recurrere.*
5. *Vltra necessitatem in lecto non manere.*

XXII. In Theatina Domo Recessus, debes.

1. *Exercitia primò spiritualia, & Confessionem Generalem obire.*
2. *Nihil eorum quæ alibi fiunt vel inquirere vel referre.*
3. *Silentium omninò tenere, & cùm expedit submissè loqui.*
4. *Extra Claustrum nunquam exire.*
5. *Nullas vel dare vel accipere literas.*
6. *Deuotè cum Deo in cella perseuerare.*

XXIII. Si ibidem reclusus es, debes.

1. *A carnibus abstinere, & priuatim oleribus vel leguminibus vesci.*
2. *Nulli loqui præter Superiorem aut Directorem.*
3. *Extra Eremitorium non vagari.*
4. *Solus statis horis in tuo Oratorio psallere.*
5. *Vna cum alijs, nisi ad Capitulum, & Collationem, non conuenire.*

445 Cæterùm dum viuis,

Annos Æternos in mente habeas. Ps. 76.

O Æternitas, quàm rarò versaris in mentibus hominum! *Vide Drexel. l. de æternit.*

Iterum dico, quàm rarò versaris in mentibus nostris!

Æternitas. O Æternitas! Heu Æternitas!

Quid dicam, aut quomodo dicam? Quis exprimat? quis concipiat,

Quid sit Æternitas? Cogito mille annos: cogito millies mille annos.

Cogito tot annorum millia, quot sunt momenta in toto tempore, à condito mundo, vsque ad eius consummationem, & de Æternitate adhuc nihil habeo.

O Æternitas! Heu Æternitas!

Quis poterit par esse Æternitati in tormentis?

Volo dicere, & nescio dicere:

Quandiu Deus erit Deus, tamdiu durabunt tormenta.

Quamdiu hoc erit? Æternitas! Æternitas! Æternitas!

Non est effari, non est concipere, non est inuenire istud quamdiu.


Æternitas! Heu Æternitas!

O Deus hìc vre, hìc seca, modò in æternum parcas.

Laudetur SS. Eucharistiæ Sacramentum: & benedicta sit semper ab omnibus B. Marię V. Puritas, & Immaculata Conceptio.



FINIS.



INDEX RERVM,

QVÆ IN PRIMO ET ALTERO VOLVMINE Continentur.

*Actus Adorationis ad SS.Trinit.*484. *Amoris in Deum* 480. *Amoris erga Deum & proximũ* 483. *Contritionis* 117. *Delectationis* 488. *Fidei* 481. *Gratiarum Actionis* 486. *Laudis & Gratulationis* 485. *Oblationis* 486. *Protestationis* 480. *Resignationis* 487. *Spei & confidentia in* Deum 482.

Ad quid veneris in Religionem, quàm expendere debeas 377. *in solitudinem* 378.

D.*Alexander Peregrinus C.R. quo secessu ad mortem se præparauerit* 92.

Alphabetum Eucharisticum 149. *Marianum* 181. *Passionis* Dominicæ 124. *spirituale* 355.356.357.358. *à Nouitijs addiscendum* 8. *à Concionatoribus* 66. *à Sanctimonialibus* 25.

B.Andreas Euangeliorum partitionem transcripsit 440. *quid* Vinc.*Scarpatum edocuit* 147.

D.Antonij Orefice C.R. industria cùm secederet 251.

Auctoris oratio ad Deiparam 299. *epistola ad P.D.F.Carafam Gen.*300. *Admonitio ad lect.*303. *Qualis Auus ac Pater fuerit* 241.

Bartholomæi Magij, Patris Authoris, laus & secessus 241.

Beneficiati Exercitia spir. obire debent 71.

D.Bernardini Scotti Card. C.R. secessus 92.

S.Caietanus Eremiticas Domos *quàm adamauit* 237. *Octonas horas orabat* 398. *quo ritu ad mortem se compararet* 122.

Caroli de Cedron præparatio ad mortem 122.

D.Carolus de Thomasi C.R. quid à Clemente IX. impetrauerit 212. *eius à potu abstinentia* 504. *laus & mors pientissimè obita* 273.

D.*Catharina Palmeria quid prædixerit* 86.

*Cellulæ Eremiticæ Carmelitarum Exc.& aliorum Relig.*259.

Certamen quomodò cum vitijs ineundum 433.

D.Clementis Alontij laudabilis exitus 112.

Clerici cur Exercitia spir. obire debeant inter studia literarum 14. & *antequam sacris initientur* 30.

Concionator vanus quomodo ad bona frugem adduci queat 65.

Confessarij Exercitia spir. obire debent 71.

Confessio Generalis quo die ab solitarijs obeunda 424.

Confessio spiritualis in præparatione ad mortem habenda 106.

Conformatio nostræ uoluntatis cum Diuina quanti referat 120.& seq.
Cubicula apta ad Exercitia spir. 238. in Ordine Prædicatorum 239. 250.
Dauid Rex Exercitia spir. obibat 211.
Decem dierum Exercitia communiùs vsurpantur 223. Paulus V. indulgentijs auxit 397.
Decretum Capituli Gen. de Exercitijs spir. 1.
Diligentiam in nostris operibus quam habebimus 366. quibus in rebus est adhibenda 370. de ea regulæ aliquot 374.
Director à quo eligendus 312. cur sine eo Exercitia nunquam obiri debent 313. an Directore omnes indigeant 314. cur eo præsertim indigeant iuniores 316. cur etiam docti & experti viri 319. lucra quæ ex Directoribus hauriuntur 322. quàm sui ipsius directio noceat 325. quàm facilè sine directore decipiamur 329. quomodò pendere ab eo debeamus 334.
Director obiturum Exercitia quomodò ad solitudinem ducet 343. eius ingenium explorabit 345. meditationes quomodò tradet 348. quomodò solitarium instruet 349. qua hora visitabit 352. quod illi alphabetum elargietur 355. quomodò illum Dei præsentiam edocebit 360. ordinem Exercitiorum præscribet 397. corporis afflictationes 400.
Electio quomodò facienda 2.
Episcopi quid expendere debeant 67. qui nam secessum coluerint 113. 221. 242.
Eremicolarum Sanctimonialium institutum quomodò acceptum sit 271. Quomodò eæ solennem professionem emittant 272.
Eremitarum aliquot vitæ & exempla 273. & seq.
Ethnicorum libri non legendi 393.
Examen conscientiæ quomodò obeundum 427. à cunctis bis saltem quotidie instituendum 429. per particulare examen certamen cum vitijs ineundum 433.
Examinis particularis tabella 435. quomodò dies & hebdomadæ conferantur 436. materia particularis examinis 437.
Exercitia quotidiana horis suis obeunda 395. eorum vicissitudo quàm iuuet 396.
Exercitia spir. cur ita dicantur 208. & 305. qui ea tradunt quomodò nuncupandi 309. quàm valeant ad hominem colligendum 228. ad hominem componendum 229. ad morum reformationem inducendam 230. ad incendendum animum 231. quàm conducant ad profectum Christi fidelium 232. Exercitiorum spir. tempore quot horis orandum sit 397.
Euangeliorum codex cur olim gestaretur à nostris 440. cur idem mos apud veteres esset 441.
Formula emittendæ Professionis à Virg. Eremitis 272.

D. Francisci Carafæ C.R.P. Gen. Ordinatio 304.
D. Franciscus Olimpius C.R. quomodò Gregorium XV. adierit 85.
Gentilium libri legi non debent 393.
P. Gregorij Areylza Ord. Prædic. laus 250.
D. Gregorij è Stratis C.R. in secessu industria 251.
Hieronymi Vellij laus 109. secessus 241.
Horologium Dominicæ Passionis 457.
D. Iacobi de Stephano lætitia in morte 121.
D. Iacobi Torni iunioris exitus admirabilis 109.
Ieiunium sextæ feriæ quàm colendum 147.
S. Ignatius Soc. Iesu Auctor quàm secessum coluerit 86. quàm propagauerit 236. eius Meditationes 468.
D. Ioannes Marinonius C. R. inflictæ Christo alapæ ictum quomodò expertus 128. eius adoratio ad Christi vulnera 148.
D. Ioannes Petrus Carafa Theatini Ord. Confund. Euangeliorum partitionem edidit 440. Eremiticas Domos quàm adamauit 237.
D. Iosephi Caraccioli C.R. lætitia in morte 121.
Iosephi Perronij Laici laudabilis exitus 105. dum animam ageret, quid auctori contigerit ib.
Isaac secedebat meditandi gratia in agrum 210.
Iter longum habituri Exercitia spir. obire debent 83.
Libri à solitarijs legendi 409. quomodò illarum lectio vsurpanda 411. profani legi non debent 393.
D. Mariæ Magdalenæ Vrsinæ Antistitæ Theatinæ Horologium Pass. 457.
Meditatio quid sit 469. quæ eius partes 470. quid præparatio remota & propinqua 471. quid proxima 472. quid repræsentatio & consideratio 473. quid petitio aut colloquium 476. quid retractatio 478.
Meditationes habendæ à Theatinis in solitudine 444. 467. à Fuliensibus 461. à Benedictinis 463. à PP. Societatis Iesu 463. à Clericis RR. S. Pauli 461. à Clericis Minoribus 462. à Dominicanis 465. pro secularibus & Nouitijs 6.
Mortis tempore quæ obeunda sit recollectio 118.
Necessitas petendæ solitudinis 305.
Negotium in secessu obeundum 83.
Nouitij spir. Exerc. obire debent ante quàm admittantur 2. ante susceptionem Habitus 6. ante Professionem 12. tempore Aduentus & Quadrag. 114. qua distributione temporis vti debent 10.
Oblatio Deo quotidie facienda 367. in spir. exercitijs 270.
Officium Diu. quomodò à solitarijs persoluendum 419.
Operandi perfectè modus 365.

Oratio ante Missam habenda 49. ad singula Iesu C. membra 468. ad B. Virg. 459.
Oratio Latina habenda in Capitulo Gen. 62. 63.
*Ordinatio P.*D.*Caroli Pign. P.G. 1. 257. 304.*
Ostio clauso quomodò orandum 252.
Parochi quid perpendant 67. Pastores ib.
Paulus III. hortatur ad Exerc. spir. 1.
Paulus IV. secessu ad mortem se præparauit 92. promouit aliorum Ordinũ secessum 89. Cardinalis exoptat 90.
Paulus V. hortatur Religiosos ad Exerc. spir. 1. 2.
Persecutionum tempore secedendum 90.
Peccati venialis damna 511. de eo quàm dolendum 512.
D.*Petri Algariæ C.R. mors 119.*
D.*Petri Auitabilis C.R. ad Vrb. VIII. aditio 85. secessus ante mortem 92.*
D.*Petri Iardinæ meditationes pro secessu 467. fenestris clausis orabat 252.*
P. Placidus à S. Teresia nostram Eremiticam Domũ quàm exoptarit 248. pretiosa eius mors 249.
Pœnitentiæ ab solitarijs obeundæ 400. sine Directoris *approbatione non licent 404.*
Prædicatores secedere debent 58. & cum Missionem Apostolicã obeunt 60.
Præparatio multorum ad mortem 122. per secessum instituenda 91. quomodò obiri debeat 94. quomodò in Recessus Domo *habeatur 95.*
Præsentia Dei *quomodò cogitanda 360.*
Praxes recolendæ Dominicæ *Passionis 146. Deum glorificandi 20. adorandæ sacratissimæ Eucharistiæ 180. B. Mariæ V. 206.*
Procuratores secedere debent 71.
Quæstores secedere debent 71.
Recessus Domus *PP. Theatinorum à Clem. X. approbata 244. à P.*D.*Carolo Pignatello laudata 246. Messanæ desiderata 247. Neapoli prædicta 248. in eam obiturus exercitia quomodò excipiatur 267. quod Votum edere potest 271.*
Reclusio quomodò instituenda 259.
Reclusi quomodò vescantur 421.
Recollectio vnius horæ quadrantis 212. vnius diei 213. tridui 215. quatriduì 217. quinque sex septem dierum 219. octo ib. & 220. octo vel decem 220. 221. 222. quindecim 222. 224. quadraginta dierum ib. cur communiùs decem dies in illa impendantur 223. cur non omittenda 224.
Regulæ electionis habendæ 2. Diligentiæ *374.*
Religiosi ad aliud Monasterium secedant 243.
Sacerdotes cum secessu hebdomadarij munus obeant 41. ab ipsa V. Euchari-

stia

stia Religiosæ vitæ modum perdiscant 43. quos in Missæ celebratione fines sibi præfigent 46. quomodò Missæ sacrificium obibunt 54. quomodò Deo *gratias referre debeant 57. cur Exercitia spiritualia obire 29. in quæ præsertim incumbent 40.*

Salutatio ad Iesu C. membra 458. ad membra B. Virginis 459.

Sanctimoniales Exercitia spir. obire debent 17. Romana Monialis quænam obierit 17. 18. an deceat ad eas, quæ lecto decumbunt, quotidie Confeßarium ingredi 226. Antistita quomodò subditas adhortabitur spir. Exercitia obituras 342.

Scholastici Exercitia spir. obire debent 15. quem in ijs sibi scopum præfigere 32. quam modestiam obseruabunt 32. quam libertatem cauebunt 33. risus parum modestos 34. æmulationem 35. loqui debent de rebus spir. 36. 37. curam minimorum non omittant 37.

Secessus quàm necessarius 207. quotannis instituendus 112. tempore Aduent. & Quadrag. 113. tempore mortis 118.

Seculares viri quomodò secedere debent 241. quomodò à Religiosis excipiantur 242. quænam exercitia obibunt 399.

Solitudo quomodò iniri debeat 307.

Solitarij quomodò in Eremitorium includantur 259. tempore Quadrag. 260. quàm ibi vitam instituant 261. quomodò soluant Diuini *Officij pensum 262. quomodò vescantur 262. visitentur 263. an possint aliquid lucubrare 264. 407. quandò vna cum alijs conueniant 265. quid quotidie scribere debeant 416. quomodò debeant vesci 420. num alicui loqui possint 422. an scolasticis lectionibus interesse 423. quo die Confessionem Gen. obire debeant 424. & quo ritu 425.*

Studia literarum quem teporem ingenerent 15.

Superior subditos adhortetur in solitudinem abituros 341. quomodò eos ad solitudinem ducet 343. spir. Exercitia obire debet 71. quotidiéque secedere 73. quid considerare debebit 74. quod alphabetum discere 78.

Testamentum hominis Christiani in morte obeundum 123.

Testamentum spir. in præparatione ad mortem 103. breue aliud quotidie instituendum 106.

Theatini Ordinis Conditores quàm secessum coluerint 86. quàm in alijs probauerint 89.

Vaticinium de Pastore Angelico 87.

B. Virginis Mariæ sub auspicio secedendum 253. in eius Puritatis honorem 255. & Prouidentiæ 256.

Virtutum studium ad literarum studium adiungendum 379. multæ hoc similitudines probant 380.

M. Vrsula Benincasa quid de Domo *Receßus prænuntiauerit 86.*

ILL.

CELEBERRIMA DEIPARÆ EFFIGIES,
Quæ Panormi in Templo sancti Ioseph est dicta,

S. MARIA PROVIDENTIÆ,

ET IN COEMETERIO PP. CLERIC. REGVLARIVM
Quarta quaque feria frequentissimè colitur,
NEAPOLITANÆ ILLI, CVI NOMEN AB ARCV,
Perquamsimillima;
Aliquot Scriptorum Elogijs Illustrata.

Sanctissimo Patriarchæ Ioseph, B. Virginis Deiparæ Sponso,
& Iconis (vt piè creditur) S. Mariæ Prouidentiæ Autori,

Huiusce Opellæ Auctor se humillimè D. D.

E*cce Tibi, Beatissime Ioseph, Potentissimæ Mundi* Dominæ, *Gloriosissimæ hominum & Angelorum Reginæ, Purissimæ* Dei *Matris Effigiem: ecce speciosam Imaginem Pulcherrimæ Sponsæ tuæ; quam Tu ipse ad nos attulisti, nunc à me aliorum Elogijs illustratam. Porrò hæc vt à nobis in Templo, tuo Nomini sacro, adorari maluit; sic literis & elogijs expressa, etiam (vt conijcio & spero) gaudet opusculo, Tibi tuoque Numini nuncupato, quem amat, aliorum oculis exhiberi. Age ergo Tumetipse, qui olim Imaginem manu dederas, foue & tuere Libellum; & Fidem adstrue Historiæ, quam narramus. Planè vt id ego olim à puero ab ipso etiam Vincentio, sene candidissimo, didici: ita me post reditum in Patriam, à multis fide dignis, & iuratis testibus accepisse, qui ab ipso iam Vincentio audiuerant*, S. Mariæ Prouidentiæ simulacrum, tua ipsi olim manu delatum, *etiam Sacramento contestor: & Te, sanctissime Ioseph, & eandem Prouidentiæ* Dominam, *Sponsam tuam, humillimè appello: vt tua ope peccatorum meorum à* Deo *veniam exorem, & gratiam: vt mores corrigam; vt ad religiosam perfectionem euadam: vt in morte, per Christi Sanguinem, & merita, per tuæ Sponsæ intercessionem, ac per tuum iuge patrocinium & auxilium, saluus fiam.*



ELO-

ELOGIVM PRIMVM.

De Origine celeberrimæ Imaginis Gloriosæ Deiparæ Mariæ Virginis, Panormum miro modo delatæ; quæ Neapolitanæ illi, ab Arcu dictæ, quàm simillima est.

Ioseph Silos to. 2. Histor. lib. 6. An. 1610. fol. 268.

INter hæc, quæ de Vincentio Scarpato hactenùs memoraui, illud præstantius, cuius gratia maturare, atque anticipare eius vitæ descriptionem volui. Dixi, Saluatorem Ferrarium in eo totum esse, vt Mariano Seruorum Sodalitio, quod tanto cum populorum fructu instituerat, insignis quædam Magnæ Matris Imago contingeret: ea nimirum artis excellentia, vt inflammarent sodalium studia pulcherrimi, spirantesque ab accurato lineamentorum ductu vultus. Interea temporis hoc ipsum agitabat Vincentius. Nam qui Beatissimæ Virginis clientelæ addictus intimè erat, in id curas animumque adiecerat, vt eximius aliquis pictor inclytæ Reginæ Effigiem, quanta maximè venustate gratiaque posset, sibi efformaret; curabatque præcipuè, vt illi omninò similem exprimeret, quæ Nolano in agro prope Neapolim, insigni gentium concursatione, ac pietate colitur, cui ab Arcu nomen. Imaginem non mediocri planè studio plerique delinearunt: sed cùm longiùs, à pulcherrima, quã is Ideam conceperat, distarent, gratificando bono seni, aggredi opus celebrioris famæ pictor voluit: qui quidem, excitato supra communem modum ingenio, cælestem quandam Marianæ pulchritudinis formam sibi proposuit; expressitque ad vnguem argutus color, planè, vt nihil effingi formosius, ac concinnius potuisse videretur. Verùm, vt cæteræ, ita & hæc etiam Effigies, Vincentij votis, minimè respondit. Ergo, quem peracre eius rei desiderium vellicabat, periclitari & alterius artem in animum induxit suum. Dum iret ea mente, dat sese illi in conspectum honestissimo vultu, ac præclara quadam specie, Senex. Quò pergeret? interrogat. cùmque consilium votumque aperuisset Vincentius, explicato ille pallio, hilari quadam fronte, Deiparæ Imaginem, cuius in complexu diuinus Puer, ac similem omninò Virgini ab Arcu, depromit: & Habe, inquit, hanc tibi Effigiem, Vincenti. Ea est, quæ beneficia, nec quidem parcè, mortalibus depluet, excitabitque populorum venerationem, ac famam: proindéque præcipuo illam studio cole, ac serua. Planè ea erat ab Deiparæ vultu tabula, vt nihil delineare pul-

chrius

chrius quæsitissimæ artificum curæ potuissent, spirabatque à diuino quodam penicillo incredibilis Virginea in fronte maiestas, ac dignitas; quam dum attentiùs contemplatur, sibique intimè gratulatur Vincentius, euanuit, qui deprompserat, Senex. Quo monitus est, non quempiam è mortalibus, sedè Diuorum numero aliquem, senem illum fuisse: ac persuasum habuit, ab oris specie, à peculiari sui patrocinio, ab alijs item ab ea manu beneficijs, Beatum *Iosephum* Augustæ Virginis Sponsum, id muneris attulisse. Quo quidem, quæ eius erat humilitas, indignum se putans, ea statim Centurionis verba intimo cordis affectu protulit: Domina, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Scilicet, supra sui, suæque cellulæ conditionem, excellentem, ac diuinam Imaginem ratus, nobiliore quidem in loco, ac bono in lumine collocari oportere, existimabat. *Itaque*, cùm probè sciret, Saluatorem Ferrarium tum quidem in id maximè intendere, vt initiatis Mariano seruitio Sodalibus, Dei Matris Icon quàm pulcherrima contingeret, optimum factu putauit, hanc illis cedere. Fore namque, vt in confertissima pientissimaque eius Sodalitij celebritate sua staret Virgini obseruantia, ac veneratio. Ferrario, vt illam arcano cœli ac Diui *Iosephi* munere accepisset, quo sibi commendata studio fuerit, quid subindè beneficiorum sperandum ab ea esset, aperuit: tum locum pretiosiore illo quauis gemma donario locupletauit, ingenti cum Sodalitatis gratulatione, splendoreque, ac fructu. Neque verò facilè dictu est, quantus illicò in præclaram Effigiem pietatis ardor fuerit excitatus, & quo statim gratiarum affluxu præsto fuerit opem implorantibus Virgo. Curata persæpe pertinax morborum vis; sedatæ pelagi minæ, explicati claudicantium gressus, exturbati ab humanis corporibus rebelles genij, aliaque id genus prope infinita: vti beneficiorum testes, ac indices pro parietibus tabellæ testabantur, quarum deinde pars maior excidit, quo tempore transferri opportuniorem in locum Sodalitium contigit. Huiusce verò Marianæ *Imaginis* dignitatem, cœlestemque Originem, non modò Saluatori Ferrario Vincentius, sed prout augendæ in Virginem pietati opportunum sibi videbatur, & alijs etiam cùm nostratibus tùm exteris significauit: ea tamen conditione, vt quoad ipse superstes esset, tacerent. *Inter* quos fuit Hieronymus Pilus, egregia virtute Sacerdos ex nostris, qui dum supremo spiritu laboraret, afferri sibi Diuæ Virginis Effigiem voluit, expirauitque in eius conspectu, postquam eiusdem Deiparæ præsentia complexuque frui meruit. Ex his postea plerique, elato Vincentio, cùm Panormitanæ Ciuitatis Vicarij nutu de Icone ipsa,

eiusque admirabilitate ritè inquireretur, pro testimonio dixere; accessitque momentum planè ingens, ac firmitudo, communi pietati, ac famæ, quæ per aurium traduces propagabatur. Atque hæc de Sodalitio Seruorum Virginis, quod à rete nuncupant, à Saluatore Ferrario excitato, ac de sacra ibi imagine non manufacta.

Narrat hoc ipsum, in suis Beniaminis Marianis, vbi de Vincentio Scarpato agit, P. Hippolytus Marracius, è Congr. Cler. Regularium Matris Dei, *vir, non minùs eruditione, quàm pietate, & studio præsertim in Virginem, adeò insignis, vt quicquid lateat in omnium Religiosorum Ordinibus, & cuncto penè Orbe dispersum, quod tamen ad excitandam in* Deiparam *fidelium deuotionem conducit, ipse vnus studiosissimè exploret, è tenebris eruat, stylo excipiat; & magna omnium vtilitate, emittat in lucem. De eadem scripsimus & nos.*

In mirac. Deip. Prouid. cap. 1. 2. 3. à fol. 4.
In 1. to. de sacris carem. opusc. 1. disq. 8. fol. 51.
In Vit. F. Alipij August. Disc. *cap. 1. fol. 9.*
In serm. S. Caiet. ser. 10. cap. 2. fol. 388.
In secessu ad Exerc. spir. fol. 308.
In Crucifixo Panorm. cap. 4. fol. 87.

Neque mirum videri debet, seni illi Vincentio, erga Deiparam *ab Arcu, flagrans adeò studium exarsisse: cùm idem P. Silos, de altero socio B. Andreæ, etiam sene Laico, cui Nomen Vbaldus Pellizzarius erat, post descriptam vitæ innocentiam ac pietatem, hæc habeat:* Qui in omni pietatis, atque innocentiæ laude vixit, mortuus deindè est pijssimè. Instare iam transitum ea quidem constantia affirmabat, veluti superiore quadam luce collustratus sciuisset. Adire omnes, petere, veluti mox abiturus, demissè veniam; eaque potissimùm pronuntiabat: Venit hora mea. Adire hac item vicinioris fati persuasione ædem Deiparæ ab Arcu, sex circiter mille ab Vrbe Neapoli passus, voluit: idque pedes profundi vir senij: nempè vt dimissionem à Deipara impetraret. Quibus peractis decubuit. Redemptoris è Cruce pendentis imaginem eius vitæ comitem postulauit: tum ad dæmones abigendos lustralis aquæ vas apponi iussit, ac librum afferri ad laborantis animæ subsidium. Nec mora: expiatus ritè sacris, ea, qua diximus, animi securitate ac quiete, spiritum posuit. *Hæc ille. Et mihi facilè persuadeo, quòd ab ipso B. Andrea, quem imitari studebant, Vbaldus & Vincentius eius socij, erga B. Virginem ab Arcu, eximiam pietatem acceperint. Testes verò, qui cum iureiurando cælitùs Vincentio datam Deiparæ imaginem affirmarunt, quamplurimi numerantur, quorum verba alibi cum fide retulimus. Sed de B. Virgine ab Arcu, nostro primùm Or-*

Silos par. 2. hist. lib. 7. fol. 346.

Vide lib. de Deip. Prouid. cap. 1. fol. 12. 13. & 14.

dini

dini à Clemente VIII. Pontifice destinata, qui consultò curam hanc recusauit, scripsit Episcopus Acerrarum *in hist. cap.* 67. *fol.* 262. *Ioseph* Silos *par.*2.*hist. lib.*1.*fol.* 40.41. *&* 42. Ludouicus Marracius *in vita Ven. Serui* Dei *Ioannis Leonardi lib.*2.*cap.*4.*fol.*155.

ELOGIVM SECVNDVM.

DE PROVIDENTIAE Nomine, quod eidem Beatissimæ Virgini, in magna populi frequentia, solennissimè inditum fuit.

*Vener. Dei Seruus, D. Carolus Thomasius, in Exercit. præsentia Diuæ MARIAE, Dominæ PVRITATIS, & PROVIDENTIAE, fol.*22.

EXtat Panormi, in Aedibus S. Iosepho sacris, celeberrima & verè cælestis Imago Mariæ V. Deiparæ, quã Vincentius Scarpatus, B. Andreæ Auellini socius, sanctæ vitæ ac mortis fama longè clarissimus, Sodalitati Seruorum B. Virginis dono dedit; annis elapsis, à P. D. Francisco Maria Maggio, qui Sodalitio præerat, propter ipsam (insperatò acceptæ) Iconis originem, & ob innumera admiranda quibus inclaruit, cum magna celebritate, quam illustrissimus & Reuerendissimus D.D. Didacus Garzia de Trasmiera, Apostolicus Inquisitor, sacris ibi solenniter operatus, & concionatus, adauxit: dum plerique Vrbis Dynastæ, & multa Procerum capita, ac magna vis populi circumstarent; S. MARIA PROVIDENTIAE, nuncupata est: eoque titulo, ab omnibus, nomen, & venerationem accepit; quæ adeò excreuit, vt, quarta quaque feria, ad eam passim populi supplicationem instituant; & multi etiam nudis pedibus, atque cum lacrymis accurrant; Confessionis, & Communionis obeant Sacramenta; argentea deferant vota, & alias eleemosynas offerant: cùm vicissim Beatissima Virgo, & ipsa non dedignetur, iuxta cuiusque necessitatem, prospicere omnibus affluenter.



Idem Prouidentiæ Nomen, Vlyssippone, Marianæ AEdi excitatæ, nostri etiam homines indiderunt.

ELOGIVM TERTIVM.

De sanctæ Mariæ Prouidentiæ festo die, altera post Epiphaniam Dominica, non humano consilio, celebrato.

Sodalitas seruorum B. Mariæ Virginis lib. de Orig. Iconis S. Mariæ Prou. cap. 4.

INstante igitur Aragoniæ Principe, viro cum paucis natalium luce atque animi dotibus comparando, à Reuerendissimo D.D. Francisco Salerno, qui illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Ferdinandi de Andrada, Archiepiscopi, Panormo absentis, vices gerebat; D. Franciscus Romanus, Vtriusque Iuris, & S. Theologiæ Doctor, ac Panormitanæ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus deputatus, vna cum alijs administris, venit in sancti Iosephi Templum, ac Cœmeterium: vbi inspecta primùm Icone, eiusque pulchritudinem demiratus, his statim vocibus exclamauit; Quid opus testibus? Ipsa mihi rei veritas satis constat: Tantam huius Virginis Deiparæ speciem, ob ingentem eius in ore decorem ac maiestatem, cæleste opus dixerim, non humanum. Et sensim, qui aderant, in sententiam eandem iuere. Mox quæstione ritè instituta, plures acciti, & ad examen vocati, testimonium de Iconis origine, non sine magna omnium admiratione, dixerunt. Ita res, complurium fide dignissimorum testium Sacramento comprobata, Illustrissimis & Reuerendissimis violatæ fidei in Regno Siciliæ Quæsitoribus est exposita, vt, ad eam benè firmandam, ipsorum pondus & authoritas accessisset. Interim rei rumor, & antiqua in eam Virginis Imaginem pietas, iterum ac vehementiùs excitata, omnium corda, & ora compleuerat: præsertim, quòd ipsa Icon à miris, quæ continuò eadem in Vrbe patrauerat, sancta Maria Prouidentiæ, est appellata; ideóque, per octo dierum spatium, insignis solennitas est indicta; annuente ipso Aedium Præposito, D. Francisco Marchesio, viro docto; qui desperata à Medicis vita, hoc voto à Deipara salutem acceperat, vt permitteret, ab eo, qui sodalitium temperabat, omnem operam poni, in Prouidentiæ Domina quàm solenniter celebranda. Illud autem admiratione, & omnium seculorum memoria, in hoc Prouidentiæ titulo, dignum obtigit, quòd indicta illius diei festi celebritate, vel in Christi Natali, vel in Magorum aduentu; nunquam tamen, per Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Didaci Garziæ de Trasmiera, Apostolici Inquisitoris, tum

ſacris operaturi, & concionaturi, occupationes & negotia licuit, niſi ſecunda poſt Epiphaniam Dominica, feſtum agi. Sed quod ægrè admodùm ferebamus, præter omnium opinionem, & vota, veluti importunum, & inſolens, ac minus tempori congruum, accidiſſe; porrò diuinitùs, & myſterio inſigniori dilatum fuit: ea quippè die, quod nemo noſtrum aduerterat, ſanctæ Mariæ Prouidentiæ ritè olim ſolennitas inſtituta: cùm nimirum conuiuis, Dei Mater, in Canæ Galilææ Nuptijs, vino carentibus, inſperatò abundè prouidit. Sic totam hebdomadam, cum magna ad Deiparam populorum frequentia, & Vrbis lætitia, celebrauimus. Ipſe verò Quæſitor, primo die feſto, poſt ſacrum ſolenniſſimè actum, & ſermonem diſertiſſimè habitum, ſua manu Proceres ac Nobiles Matronas, ad Virginis Aram, cunctos in Deiparæ famulos, & ſeruas adſcripſit. Itaque, poſt Octauas de more actas, cùm populorum frequentia non deeſſet, & omnes aditum ad Virginem poſtularent; conuenit inter nos, vt ſemel in ſingulas hebdomadas, omnibus ad expoſitam Prouidentiæ Dominam pateret acceſſus. Sic, quarta quaque feria, ſtatim ad eam à deuotis viris, ac feminis, ſupplicationes indictæ; quæ, à ſummo mane, ad vſque primam noctem, niſi facto à ianitoribus quandóque ſtrepitu & impetu, non ceſſabant. Et planè, D. Hieronymus Clodinius, qui, inter Quadrageſimæ Conciones, eodem in Templo habitas, quarta quaque feria, de ea Deiparæ Imagine ſtudioſiſſimè diſſerebat, populorum pietatem in Virginem mirificè adauxit: excoluítque diutiùs D. Petrus Platamonius, vir ſacra & inſigni etiam eloquentia præditus; qui, collato piorum ære, Deiparæ Aram nobiliorem, & auguſtiorem extruxit.

ELOGIVM QVARTVM.

De Aqua ſaluberrima, qua Panormi, ſub Ara ipſa, S. Mariæ Prouidentiæ ſcatet.

Ex lib. S. M. Prouid. cap. 3. fol. 43.

QVI Prouidentię titulum, ac nomenclationem Iconi illi Panormitanę impertierat, inſtitit plures annos, enixè rogans quotquot Sodalitio prçerant, vt ſub Aram Diuę Virginis tellurem effoderent: nam ſpem animo ſuo conceperat, quod manantem inde ſalutiferum Laticem inuenirent. Sed nemini hoc arride-

bat: imò omnes veluti piaculum audirent auersabantur: & multa passim obijciebant. Accidit tamen, vt, è viuis illo sublato, qui sodalitium temperabat, & aquę perscrutationem non approbauerat, ipse rogaretur & à sodalibus, & à Patribus, vt hanc omninò curam susciperet: adeóque precibus vel à Pręposito ipso coactus fuit, vt prouinciam minimè detrectauerit. Sed primò omnium, cùm Sodalitium est ingressus, humillimè se Deiparę mancipauit, sermonemque habuit ad sodales, ipsos exstimulans, & inflammans, ad Diuę Prouidentię aquam cum lętitia perquirendam, quę facilè cum Dei ope morbos expelleret, ac curaret. Et quanuis plurimi à dęmone exciti vehementer obstarent, vicit tamen Patris authoritas & constantia, lapicida euocato, qui sub Aram rupem ipsam scalpro excideret ac cauaret. Anno itaque 1668. Sabbato die 7. Ianuarij mensis, non sine magno labore, rupes intimè ad vndecim ferè palmos excisa est: & cùm fortasse omnes exitum desperarent, statim ac vespertinum Angelicæ Salutationis signum insonuit, è rupe ferro percussa, ingens sanè fluuius emanauit &c. Aquę verò conditiones ac mira libellus, qui tunc Panormi typis impressus est, & hoc Distichon indicabat:

Huc ægri, huc inopes: scatet, vndâ en Virginis Ara;
Quæ facilè morbos, & mala cuncta fugat.

ELOGIVM QVINTVM.

De S.Mariæ Prouidentiæ Imagine, Syracusis exposita; & de Equitum Columbæ Societate, sub eius auspicio solenniter instituta.

Ex Diario M. S. Domus S. Andreæ Syrac. an. 1650. 51. *&* 52.

CVM S.Mariæ de Prouidentia Simulacrum, Panormi, in Templi S.Iosepho sacri cœmeterio expositum, quarta quaque feria, magno omnium ordinum concursu, ac frequentia coleretur; mira, quæ ab eo, crebris populorum votis, ac supplicationibus implorato, longè fama lateque diffusa patrari audiebantur in dies, Patrum hìc degentium animos excitarunt, vt præter S. Mariæ Puritatis Iconem, cui sacellum, ex Comitiorum Decreto, dicatum erat; anno Iubilei, ad principem Templi aram, vetustam alteram B.Mariæ Virginis Effigiem exposuerint: vt nimirum fideles, Dominica

qua-

quaque die, eiusdem Prouidentiæ titulo, & auspicio illecti, ad poscendum ab ea præsidium & opem accurrerent. Neque rei euentus Patrum spem ac pietatem fefellit: cùm subinde Deipara, ipsorum votis, ac piorum hominum precibus, annuere videretur. Itaque, vt Virginis Prouidentia, & Patres iterum vrgeret, & Proceres, in procurandum Dei cultum, morum emendationem, Sacramentorum frequentiam, patriæ opem, & pauperum leuamen, incumbere; anno insequenti, celebris Sodalitas, ante eandem S. Mariæ de Prouidentia Iconem, ipso S. Caietani peruigilio, solennissimè est instituta. Et ritus institutionis hic fuit. Sodalitatis necessitate, Excellentissimo Domino, qui totius Regni administrationem faustè sanctèque susceperat, per literas iteratas exposita: & venia, vt tanti Præsulis, imò & Principis, authoritas non deesset, à Patribus exorata; Templum S. Andreæ, plurimo lumine auctum, aulæis, peristromatis, & stragulo conuestitum, ingens populi ac nobilium matronarum turba compleuerat. Cùm eò Proceres, ex Aula Pontificia, ad vnum omnes, longa serie celeberrimè deduxerunt illustrissimum & Reuerendissimum D. Ioannem Antonium Capiblancum, Episcopum. Hic, ante Deiparæ Virginis Aram, & Beati etiam Caietani, Patrum Fundatoris, Effigiem, Hymno *Veni Creator Spiritus*, pijsque alijs precibus decantatis, vt Diuinum Numen, maturiùs imploratum, præsens operi annueret; surrexit Pontifex, & illustri paludamento ac syrmate quo erat indutus, Clericis atque Proceribus hinc inde dispositis, ante Aram assedit. Tum, è pyxidicula argentea, vbi omnium nobilium Nomina, descripta in schedis, asseruabantur, confusis primùm pro more sortibus, vt fortuitò obtingerent, viginti Procerum siue secularium, siue Sacerdotum Nomina & Cognomina extraxit: quæ, post explicatas, & lectas publicè schedas; & tubarum clangore, & ahenis tinnitibus, & explosis tormentis, vniuersa penè Vrbs, in lætitiam & plausum effusa, consalutauit. Itaque, hi omnes, & Pontifex, in Aediculam quæ Templo adiacet, submota hominum multitudine, conuenerunt. Vbi lectis & expositis Institutis, rogauit Antistes, an liberet inposterum ea simul omnia constantissimè profiteri? Et cùm nemo non annuisset (edita etiam Deo Deiparæque Prouidentię Oblatione à Sodalibus) Pręsul primùm, mox Prępositus, & omnes qui aderant, super Virginis Aram, ex ordine Codici subscripserunt. Instituta, quę pollicebantur, hęc erant. Posthac, impensiùs Deum amare: tueri vel vsque ad effusionem sanguinis eius fidem: Dei cultum, venerationem sanctissimi Sacramenti, ac fidelium deuotionem in Virginem,

omni

omni opera & conatu quo poterant, excitare: aliquot verò Sanctorum celebritates, tenuiter haberi solitas, exaugere: ita colere Sacramentorum frequentiam, vt quotidiè ipsorum aliquot, vicissim, Communionem obirent: sic addictos esse Deiparę, vt eam sibi Dominam & Patronam adsciscerent: percolerent eius festa; eam, singulis horarum ictibus admoniti, salutarent. Ita verò perpetuę orationi studere omnes, vt horis diei singulis, aliquot ipsorum mente, vel ore, siue longioribus, siue breuibus, & Iaculatorijs precibus, assiduè saltem ingeminatis, à Deo, peccatorum remissionem, emendationem morum, Fidei propagationem, & Mundi Innouationem, exposcerent. Ad hæc, Sodalitij Sacerdotes, cùm suaderet opportunitas, varias Missiones obire; Confessionem & Communionem Generalem, prę̨sertim ad portum appulsis triremibus, & rudioribus in villis, indicere; Christianam Catechesin pueros edocere; publicè per Templa & plateas sermonem ad populum instituere; & passim omnes, ad vitiorum odium, ad studium virtutum, ad Deiparę affectum, ad Dei amorem & obsequium incitare. Equites verò, ad quodcunque publicum Vrbis malum, prę̨sertim Incendium, Famem, Pestem, Seditionem, Bellum, vel periculum Fidei (quod Deus auertat) propulsandum arcendumque, accurrere omnes, vt Patriam, etiam cum vitę discrimine, liberarent. Interim quotidie omnes, ternos, quaternos, aut quinos, dare operam in Xenodochio decumbentibus; binos saltem inuisere carceres; singulos domi certatim peregrinos excipere: semel etiam in hebdomada à duobus cum linteo pecuniam corrogari, ad pauperum inopiam subleuandam: & cuiuis Vrbis calamitati, semper opportunè in diem prospicere omnes. Sed Sacerdotes & Equites, quotannis, secedere ad spiritualia seorsim Exercitia minimùm quinque dies: ab Ascensione verò Domini, vsque ad Pentecosten, per eos decem, solito feruentiùs in orationem incumbere; & arctissimo Sacramento, per sancta Dei Euangelia edito, in manu Antistitis, ante omnia, Fidem suam, in Deum, & in Catholicum Hispaniarum Regem, obstringere tenebantur. Quamobrem, in sodalium & Equitum censu, Regium Ministrum D. Albertum Iordanum Armorum Ducem, vt aiunt, prę̨cipuè numerarunt; virum, quem ob morum integritatem, animi modestiam, & prudentiam singularem, nemo non eximiè commendabat. Sodalitas, à Diuino Amore appellata: vt, nimirum, instaurari ea nunc ipsa denuò videretur; quam, olim Romæ, in SS. Siluestri & Dorotheæ Templo, primi Clericorum Regularium excitauerant. Sodalitij stemma, Columba candidissima erat, & quæ

alis

alis hinc inde auolans explicatis, Crucis cornua referebat; vt vno hoc insigni, & Diuini Amoris titulum, & Ducem Christum, & Patronam Deiparam, & prouidam pietatem in proximum, & sinceram Sodalium fidem, tum in Deum, cùm in Catholicum Regem Hispaniarum, quotquot adscripti erant, exprimerent; *Columbæ Equites* etiam imitati, quos Ioannes, primus Castellæ Rex, anno 1390. inter Hispaniæ Proceres, & Aulicos, instituerat. Verùm, ad alterius cuiusdam Sodalitatis discrimen, quæ Columbam inter lilia gestat, stemmati Oleam addiderunt: vt etiam, hac tessera, & symbolo, vberem misericordiam ac prouidentiam ostentarent; & nouam, Orbi, vel suæ saltem ipsorum Vrbi, morum Reformationem auspicarentur. His & similibus Institutis à singulis, vt iam dixi, subscriptis, monuit Pontifex, vt aliquis ipsorum, omnium caput & Princeps eligeretur: & in D. Marium Aretium, Targiæ Dynastam, (Propaginis Magni Cardinalis Aretij dignum ramum) cui facilè primas, & generis & opum splendore, ac robore animi, concedebant; singulorum suffragia conuenerunt. Porrò, mirum admodum fuit, quòd gentilitium eius stemma, à nemine ante consideratum, cum Columba & Oleæ Ramusculo sit inuentum, addita subscriptione, *Merentibus*. Quod, vt casu accidit, præter omnem opinionem sodalium; sic euulgatum, nemini admirationem non excitauit. Illi proximè adiuncti sunt D. Pompeius Columna, Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus, & D. Nicolaus Danielius, Baro Canigatinesis; qui genus & indolem, mira morum suauitate, humanitateque, atque alijs animi dotibus, cumularunt. Mox reliquis Officijs, iterum omnium suffragio distributis, sua cuique Orationis hora, dies Communionis & inuisendi carceris, dies ægris in Nosocomio ministrandi, omnisque obeundi muneris, à Pontifice per schedulas, est indicta. Itaque, vidisses Equites, miro omnibus exemplo, solito crebriùs expiare noxarum confessione animas, vt Christi epulo pascerent; pauperumque inopiam explorare, vt opportunè leuarent. Vidisses nobiles ac delicatos, sine pallio, sine galero, sed solo ense præcinctos, vilium famulorum in morem, quotidie Xenodochij ægrotis cubilia sternere; languentium ori, manu sua cibum ac potum admouere, & omnibus quam poterant opem ferre. Vidisses ipsum Hispanum Armorũ Ducem, imò Antistitem ipsum, stata hora primum omnium ad ægris ministrandum accurrere; & omnia Equitum munia, mira animi alacritate sedulitateque, subire. Vidisses qui aderant, ob tantam Episcopi & Procerum humilitatem attonitos, cohibere vix lacrymas; & statim pallio & galero proiectis, eadem pie-

tatis officia studiosissimè amplecti. Vidisses feminas nobiles, aut Patrum monitis, aut virorum suorum exemplo excitas, ita se in hebdomadas singulas ex ordine distribuere, vt quotidie inuisendis ægrotis mulieribus, leuandæque pauperum certatim puellarum inopiæ, non deessent. Sed proh hominum infelicitatem, rerumque inconstantiam! Hæc, dum sedulò gererentur, vt Dei cultum ac gloriam plurimùm exaugebant, sic Dæmonis adeò inuidiam incitarunt, vt per satellites suos funditùs Sodalitatem euertere, ac cunctos perdere, cogitauerit: eò sua fraude collimans, vt non Sodalitas modò, sed ipsa fermè Nobilitas, vno ictu concideret vniuersa. Syracusana Ciuitas, vt perantiquo elogio ac titulo audit, *Deo ac Regi suo fidelissima*, sic auiti decoris tenax, non facilè nouos aut exteros nobiles in syllabum suorum adscribit; suis contenta dumtaxat Aretijs (serie alphabetica loquor) A Valle, Bonannijs, Bonaiutis, Borgijs, Celestrijs, Danielijs, Deamantrijs, Falconijs, Grauinis, Grimaldis, Landolinis, Montaltis, Platamonijs, Requesenijs, Romæis, Salonijs, Scamachijs, & alijs eiusdem notæ familijs, quæ, vt Syracosium nomen, sic satis Sodalitium illustrabant. Id ergo negotium facessiuit, vt ex suis ipsa, quos alit, sæpe æmulos & inuidos sit experta: qui, nimirum, vt liuori litarent, ipsam turpissimè insimularunt. Cùm itaque per leges Sodalitij non liceret, exceptis Sacerdotibus, quos, dum probitate & doctrina pollerent, ex omni genere hominum admittebant, vt in album Sodalium nisi nobilissimi referrentur: nonnemo hoc numero exclusus, & à Diabolo præstigiatore deceptus, scripsit Panormum, vt vigilantissimo Principi insusurrarent, ad hoc Syracusis Sodalitatem inuentam, vt eius rei architecti flagitiosissimum aliquod facinus ausu impio adorirentur. Porrò, ea est temporis huius acerbitas, vt inter summa scelera hominum, etiam in piorum gestis, si aliquid Sycophantæ deferant, facilè suspicio oboriatur. Et cùm malorum initia præcidere, & illicò vires opprimere doceamur; dum sodalium fama longè latèque manaret, & miris omnium laudibus inclarescerent; Princeps, ingenti hac criminatione coactus, quæ erat eius prudentia, statim Sodalitium interdixit: reique serie, quam Panormi acceperant, ad Catholicum Hispaniarum Regem delata, extrema omnia plurium capitibus imminerent. Vt rei rumor in dies de more percrebuit, facilè obloquentibus fuit, alias calumnias & fabulas serere; quas cordatus quisque non audiebat, cuius statim in Syracusanos iræ non exardescerent, dignosque eos nobiles putarent, qui, vel supplicio, vel saltem exilio, punirentur. Interim Sodalitatis Autores, qui suam

ipsi

ipsi fidem, & conscientiam nouerant, nihil minis, nihil ipsi Dæmonum commentis exterriti, ad commune asylum adeuntes, S.Mariæ Prouidentiæ auxilium implorarunt: vt quæ operi præerat, tueretur ipsa quæ poterat Sodalium innocentiam. Audiuit Deipara has preces, & suo ipsa præsidio statim adfuit. Cùm vis enim persecutionis ingrueret, & eidem qui cœperat integrum esset, mala in sodales officia ingeminare; Excellentissimus Dux Infantadus, B. Virgini addictissimus cliens, qui nouus Roma Prorex aduenerat, fausta omnium acclamatione, totius Siciliæ Regni administrationem iniuit: & vt Regiam stirpem, quam trahit, mira sapientia & prudentia exornat, facilè à se nouit merissimam imposturam. Ergo nostrum Antistitem, qui Panormum, gratulationis ergò ad ipsum accesserat; mira humanissimi animi significatione, ac beneuolentia excepit; illumque, & proceres, nouo semper in dies amoris indicio, ac beneficio, cumulauit. Nec post multò, cùm nequissimorum hominum calumnia, Regis adhuc offensio timeretur; Dominica die, qua S.Mariæ de Victoria festum agitur, omnes insignem victoriam reportarunt: Regio Diplomate, nostro ab Antistite, Syracusis, accepto, quo nimirum, Catholica Maiestas, & institutam ab illo *Spiritus sancti*, vt nominat, Sodalitatem probaret; & Sodales, *Equites* diceret; & eius zelum ac fidem, quam diu ante penitissimè nouerat, nunc efferret. Regias verò literas, Regis ipsius manu subscriptas, Petrus *Columbus*, Regi à secretis, fausto sui cognominis auspicio, dederat. Nec ludimus, sed verum narramus: Cæli etiam plaudentis indicium, huic Regio Diplomati, affulsit. Visus quippè, luce decima octaua Mensis Decembris, eiusdem anni 1652. præsertim in Sicilia, & Romæ, Cometes fuit, siue, vt alij malunt, insignis astrorum nexus; qui, vt D.Io. Baptista Hodierna, Palmæ Archipresbyter, Astronomiæ scientissimus, scripsit, *albedine & magnitudine, Columbæ speciem referebat*. Idem etiam de eodem Comete discursum edidit, *Columba volans* inscriptum; quem cùm Autor inspexisset, statim ad Pontificem nostrum misit, & hoc Distichon addidit. F. M. M. C.R.

Nata Syracusis, te authore, micantibus alis,
Ecce vbi conspicitur nostra COLVMBA VOLANS!

Eandenque P.Hippolytus Marraccius Equitum institutionem (originem eius referens ad Ioannem I. Castellæ Regem) ita describit: Ioannes Primus Castellæ Rex, paulò ante vitæ finem, in honorem Deiparæ Virginis, quæ Columba est immaculata, Ordinem Militarem instituit: & Columbæ effigie ex torque aureo Equites insigniuit. Quorum *P. Hippolit. Marrac. in Regib. Marianis cap.9. §.6.fol.143.*

fidem, religionem, & cultum, erga Deiparam, Syracusani aliquot Proceres, & Equites imitati, Columbam candidissimam exhibent: vt hoc insigni Virginem Dei Matrem Societatis Patronam, & Tutelarem ostentent. Nec solùm contra Pestem, Famem, Bellum, Incendium, ac Hæresim vigilant: sed sancitis, iuratísque legibus obligantur, ad singula Horarum signa, Deiparam, aperto omnes capite, venerari: celebrare insigniter eius festa: Communionem Generalem ad eius honorem pluries instituere: inuisere carceres: peregrinos excipere: alere inopes: & vicissim quotidie in Xenodochio decumbentibus, cubilia sternere, ac fercula ministrare. Catholicam verò Fidem, ac sanctissimam Christi Matrem semper immaculatã, contra omnem Paganorum nequitiam, & Hæreticam prauitatem, quoties opus sit, vsque ad sanguinis effusionem tuentur. Et quasi spirituales Ciuitatis Excubiæ, quotidie per horam in orbem, omnes orationi, aut mentali, aut vocali, aut iaculatoriæ sic insistunt, vt nulla sit diei omninò particula, quæ Marianos alumnos, vicissim saltem, vt dixi, ad obsequium, cultúmque Deiparæ non inflammet. Quam porrò Equitum Sodalitatem, ab Aretijs, à Valle, Bonannijs, Bonaiutis, Borgijs, Bouuijs, Cælestrijs, Columnijs, Danielijs, Deamantijs, Grimaldijs, Landolinis, Platamonijs, Scamachijs, & his similibus clarissimis, ac Deiparæ studio addictissimis Familijs illustratam, Ioannes-Antonius Capiblancus, Syracusarum Antistes, sexta die mensis Augusti Anni 1651. in Ædibus S. Andreæ Apostolo sacris, ante Aram sanctissimæ Virginis Mariæ de Prouidentia erexit: & Philippus IV. Hispaniarum Rex, datis Literis die 1. Augusti Mensis Anni 1652. amplissimè comprobauit. Regium verò Diploma, à Petro Columbo Regi à secretis conscriptum, & subscriptum à Rege, post varias dæmonum oppugnationes, ac penè desperato iam exitu, Syracusas, die S. Mariæ de Victoria sacro, perlatum est. Et interim Cælo Cometes, omnium oculis spectabilis emicuerat; quem ab albedine ac figura, quam placidè referebat, COLVMBAM VOLANTEM Astronomi appellitarunt: vt hoc Deipara indicio, erga Fidei vel Columbæ Equites, felix omen, ac susceptam protectionem ostenderet. Mortalem autem sarcinam deposuit Ioannes Rex, primus Ordinis Equitum Columbæ in honorem B. Virginis institutor, Anno Sal. 1390. *Hactenùs P. Marraccius. Eadenque scripsit, ac luci dedit* Franciscus à Longobardis *in Cent. fol.* 123. *Et nos fusè in libro, cui titulus*, *COLVMBA VOLANS*, *Romæ impresso Anno* 1657.

ELO-

ELOGIVM SEXTVM.

De virtutibus Venerabilis Vincentij Laici, à quo prima olim Effigies S. Mariæ Prouidentiæ accepta est.

Ios. Silos par. 2. histor. lib. 6. fol. 264.

CVrabat Ferrarius, vt (in præclaro seruorum Deiparæ Sodalitio) insignis quædam Augustæ Reginæ Effigies communem obseruantiam exaugeret. Dum hæc ipse cogitat, allata ex insperato, ac cælesti manu Icon Fratri cuidam ex nostris Laicis, viro insigniter probo, cuius vitam, ac mores, attingendos hìc breui ducimus, vt noscat lector, eiusmodi fuisse hominem, qui meruerit diuina hac beneficentia, gratiaque honestari. Vincentius Scarpatus, hoc illi nomen, in Vico Aequensi natus, educatusque à modicis pijsque parentibus. Pudicitiæ præsertim à prima ipsa ætate adeò studiosus fuit, vt eorum testimonio, qui eius diutiùs conscientiam temperarunt, delibari pulcherrimam virtutem, nunquam permiserit. Id illi in feruentiori æuo accidit. Nam cùm acriùs aliquando admorderet sensus, repellendam vim vi duxit: arreptoque ferro, secretiores sui partes ita præcidit, vt Beatissimæ Virgini adscripserit, quòd non illicò concidisset exanimis. Nempe rudis adhuc Christiani officij, persuasum habuit, licitum esse, vel cum corporis vitæque dispendio, Virginitatis florem tueri: ostenditque nihilominùs errore illo præclarum quendam ad virtutis honestatem impetum. Religiosi deinde instituti mentem cùm concepisset; Neapoli, in Paulina domo, exceptus à B. Andrea Auellino fuit, cui destinatus postea socius: & qui pronior ad omnem disciplinam erat, ab assidua tanti viri consuetudine, nimium quantum expolire suæ vitæ rationes, atque inflammare eximia in Deum caritate pectus, visus fuerit: planè vt cùm in re domestica, tùm in interna sui exercitatione, admirationi exemploque esset omnibus. Constituendæ Panormitanæ coloniæ, cum primis destinatus Vincentius, agente præsertim Auellino, qui nouerat peridoneum præclaræ domus rudimentis virum. Is verò ità Panormum velificauit, vt incredibili quodam animi sensu auelli ab sanctissimo sene significaret: quanuis ea spes tristitiam leniret, qua in digressu animos fecerat Andreas, fore nempe, vt receptus olim cœlo, ac Deo propior, ipsius esset potissimùm memor. Nec fefellit promissum. Exutus namque mor-

tali-

talitatem Auellinus, vt ostenderet, non excidisse animo Vincentium, illi se se non semel obiecit inspiciendum, ea quidem gloria, ac luce, vt ardere tergemino sole vultus videretur. Quibus ille ostentis, atque amantissimi Patris illecebris, admoueri sibi peracres ad perfectionem stimulos sentiebat. Quæ duo pugnare secum videntur; nempe externus labor, atque interioris hominis mentisque recollectio, innexuit ipse egregiè. Opsonatorem diu egit; quo quidem officio nihil operosius: inuolabatque simul in alia domi opera, incredibili quadam spiritus ac virium alacritate: vt nullis vnquam fractum laboribus, ac nunquam feriari virum, mirarentur plerique omnes. Planè, cùm alioqui comis, vt vultu, ita & moribus esset, subirasci nihilominùs, atque inflammari videbatur, quoties interquiescere ex fratribus Laicis aliquem, aut optare curarum intercapedinem aduerteret: scilicet, laborum tolerantissimos perinde & amantissimos, hoc est, sui similes sodales cupiebat. Illud omnino ab Auellino expressum: nempe, vel implicitum morbo, occupationes atque officij sui munus pergere. Visus non semel, cùm maximè sæuiret malum, surgere, adesse coquo, domo egredi: veluti laxamentum aliquod, aut remedium morbi esset labor. Accidit aliquando, vt laboriosum quoddam opus perfecturus cùm esset, fatisceret à præsenti valetudine corpus; nihil tum illi molestius, quàm ea imbecillitas. Numen ex animo implorat. Mirum planè dictu; ita confestim vegetari confirmarique vires sensit, vt perindè quasi nulla diuexaret morbi vis, ad multas horas conficiendo operi desudauerit: quo deinde expleto, redijt imbecillitas ac languor. Cum hac verò externorum operum assiduitate, affixa semper Deo mens erat. Quicquid à domesticis ministerijs supererat temporis, precibus dabat. Vnica illi ac iucundior à corporis defatigatione quies, oratio. Nunquam deprehendere illum in cellula erat, nisi genibus nixum, orantemque. Noctu præsertim, precibus prolixiùs incumbere: compensabatque diurnas curas, nocturna mentis exercitatione. Nec sine diuinorum sensu, supernisque illustrationibus, preces erant. Quas ipse illustrationes ac sensus referre quotidie in commentaria accuratè solitus erat: vt alloquentis Dei monita ac impulsus, opere subinde exequeretur. Porrò, ab orandi assiduitate, callum genubus ea quidem magnitudine obduxerat, vt conspici post eius mortem sine ingenti omnium admiratione minimè potuerit. Hinc frequens ac familiaris sermo de Deo, quem ob oculos semper habebat. In foro, in officinis, cum omni mortalium genere, adhortationes ac monita salutis serere; vt iam in summa omnium veneratio-

ne

ne ac laude esset. Nec mediocris sanè à forensibus eiusmodi alloquutionibus prouenire in dies fructus cernebatur: præsertim, quòd correctionibus, cùm zelo opus esset, non parceret. Feminam ita iræ obnoxiam, vt indigna Christiano ore verba erumperent, monuit aliquando peracerbè, comminatus insuper diuinam vindictam, ac fore, nisi blasphemijs furorique temperaret, vt mulctaret acriter linguam læsum Numen. Non paruit fœmina. Nec mora: vsque adeò illi intumuit lingua, vt horrendum in modum exerta, fœdum visu spectaculum exhiberet. Adfuit Vincentius, qui pœnam denunciauerat; cùmque pœnituisset iam illam, eoque supplicio reuocatam ad frugem agnosceret, fusa ipse ad Deum prece, linguæ incolumitatem ac vsum impetrauit. Non viarum longinquitas, non temporum iniuria, non imber æstusque absterrebat, quominùs fratrum commoda accuraret. Atque huic quidem caritati comprobandæ non defuere ostenta ac mira. Semel pisces communi mensæ frustra in foro quæsiuerat. Vellicabat proinde caritas, dolebatque vehementiùs, deesse annonam Patribus: cum ecce tibi graui quodam aspectu Senex, qui eum de nomine compellans: Ecquid, inquit, petis, Vincenti? tùm ex insperato lectissimi piscis cistam protulit; ac dum soluere Vincentius pretium parat, euanuit bonus Senex, quem fuisse D. Iosephum, cui ipse cum primis addictus, persuasum habuit. Aliàs, domo egredi prouecta iam nocte oportuit, sæuiente hyeme, ac cœlo fœdis imbribus. Non hæc illum incommoda morantur. It, redit, cadente nimirùm vberiùs pluuia. Sed dum putant profundè immaduisse, aduertunt, intactum omnino imbribus... Accidit præcipuè, vt illum grauiter aliquando ægrotantem Carolus Thomasius, Sacerdos ex nostris spectatæ virtutis inuiseret, piaque adhortatione consolaretur. Quæ ille verba auidè excepit; sed mox vultu quidem quem egregius ardor animi accendere videbatur, ea ipse vi ac facultate dicendi de diuini Amoris excellentia loqui cœpit, vt materiam hanc omnem, & quæ præcipua in ea sunt capita, insigni quadam facultate, ac supra vulgarem hominis conditionem doctrina explicauerit, versaueritque, admirante vehementiùs Thomasio, qui à vultu ac dictione flagrantissimum quendam à Seraphico Ordine spiritum intueri, atque audire, sibi videbatur. At sensa hæc nullus planè expresserit, nisi qui intimè conceperit, vsuque prius didicerit: probatque sanè in Vincentio cordis flammam linguæ ardor. Hinc illi in Christi Domini supplicia, quæ præcipua quædam ipsi diuini Amoris monumenta videbãtur, peculiare quoddam studium. Adhortari alios solitus erat, vt

quo-

quotidie patientis Dei amorem, aliqua ærumnarum perpessione, compensarent. Quo ipse in exercitio assiduus erat: ita vt perdidisse diem reputaret, quo non aliquid asperi pro Deo tolerasset. Hinc deposcere precarique sibi pœnas, contra quàm plerique mortalium faciunt, consueuerat: impetrabatque à Deo facilè, vti tunc potissimùm accidit. Nam cùm nocte ante cubitum preces de more in templo funderet, animumque ac cursum diei recognosceret, aduertit, nihil duri ea die tulisse pro Domino. Quo circa ne veluti ignauus ac inglorius miles, sine præclara aliqua tolerantiæ laude, transegisse diem, videretur; è vestigio se in Redemptoris è Cruce pendentis sacellum contulit: ibique certis precibus recitatis, id ex animo orauit, vt tum quidem, antequàm somno se daret, aliquo pœnarum genere dignaretur. Cellam deinde petijt: quo tempore Præpositus impetu quodam propelli se diuinitùs sensit, ad Vincentij patientiam periclitandam. Itaque ex improuiso illum conuenit; adductoque supercilio, ac prætextu quodam adornato, ea verborum acerbitate ac vehementia increpare illum cœpit, ac si grauissimam admisisset noxam; factoque eo periculo, abijt. Verùm, cùm re ad examen reuocata, duriùs æquo egisse cum illo, sibi videretur; compensare illicò intempestiuam acerrimamque verborum asperitatem, comitate, ac blanditijs, voluit. Redijt: nec quidem subita ea procella perculsum ac subtristem sed veluti à prosperiore quodam successu lætum reperit: agnouitque lætitiæ causam; quòd orata præsenti vexatione, voti compos in vestigio temporis fuerit. Nempe vt diuinæ caritati par pari referret, nihil opportunius ac iucundius reputabat, quàm pati fortia. Quò etiam respiciebant quotidianæ sui corporis afflictationes: adpressa nempe membris cilicia, repetitæ sæpius diuerberationes, somni mensura infra naturæ necessitatem, ieiunia, ciborumque cùm parsimonia tum vilitas. Nam & hoc etiam Andreę Auellini documentis didicerat, vt mensę reliquias, aliorumque reiectamenta, delicias putaret. Vinum item proscripserat: vt libasse, piaculum duceret.. Humilitas in aspectu ipso, cultuque, ac gestu omni elucebat. Adduci nunquam potuit, vt coram Sacerdotibus caput operiret. Inter fratres Laicos vltimum se putare: quæ inter domus officia viliora erant, veluti sibi vni deberentur, mira quadam alacritate obire.. Quendam ex Sodalibus affectata quadam mundicie coquinæ instrumenta ac vasa attrectantem, veluti ministerium dedignaretur, refugeretque fœdare vestes, ac manus; contineri minimè potuit, quin peracri quodam zelo ardoreque corriperet: Ecquid, inquit, metuis? ne isthæc inquinent? an

igno-

ignoras, idem esse, hic sordescere, ac fulgere cœlo, nostrasque maculas abire in stellas? Ea propter dicere solitus erat, ex Laicis eum quidem esse legitimam veramque Religionis Sobolem, qui à puluere, & à sordibus squaleat; contra verò mundiciæ studiosos, adulterinos, ac spurios; ita vt non quidem ad lucem, sed ad sordes probet filios suos Religio. Hinc vrgere ad vilissima quæque fratres: & quos destinatos aut Ecclesiæ, aut sacrarij ministerio nouerat, conuenire consueuerat, ac monere: putarent, se specioso muneri commodatos; eoque ita se gererent, vt meminerint, repetituros postliminio, quæ propria sui status essent, nempe fullonicam, panificium... Et Vincentius quidem, cùm apud nostrates, tùm apud exteros, in summa existimatione erat. Panormitani illum hilari semper vultu, aut pia recitantem, aut monentem obuios quosque officij cùm offenderent, virum quidem sanctum videre sibi videbantur, eiusque sese certatim precibus commendabant. Piscatores præsertim, cùm ad mare pergeret, vt cymbis, retibus, ac sibi ipsis benè precaretur, rogabant: fore namque largiorem à mari prędam sperabant, si eius preces accederent. Semel quis plusculas horas, ac patientiam ipsam, infeliciter piscando, consumpserat; fortè illac pertransijt Vincentius, quem vt ille inspexit, prolixiùs rogare, vt fausta prece hamum fortunaret; pollicitus, fore, vt si quid caperet prædæ, ex æquo vna diuiderent. Comiter de more bonus Senex lineam benedicit: & dum abit, ecce tibi correptus hamo piscis, ea quidem magnitudine, vt laboraret vehementer à pondere ac mole arundo. Compellare confestim ille Vincentium: accurreret, impetraretque precibus, ne longè maior ac fortior tenui filo piscis euaderet. Oratum. Nec mora; educta è mari ingens præda non minus pondo triginta; planè vt excederet oculorum fidem, potuisse tantum piscem exiguo hamo trahi. Ipse in primis piscator propiorem miraculo rem obstupuit: ratusque piaculum, partem eius rei sibi arrogare, quam pijs Vincentij precibus cerneret diuinitùs tributam, integrum piscem dono illi dedit; bona spe fretus, fore, vt reliquus dies, eiusdem scilicet oratione ac ope, opportuna item sustentandæ familiæ à mari commoda afferret. Hæc autem hominum opinio, ac passim honor, molestissimus viro modestissimo erat; declinabatque veluti excitatas à dæmone machinas; vt egregiam animi virtutem ac humilitatem gustų quodam inanis gloriæ corrumperet. Nouerat quippè inferni veteratoris artes Vincentius, cui assidua ac familiaris cum eo lucta. Impetere siquidem illum mali genij consueuerant, vt à solidæ mentis statu dimouerent, ac transuer-

ſum agerent. Hinc formas longè turpiſſimas, vultuſq; horrificos perſæpe induere, eoque aſpectu obijcere ſe ſe illi ad horrorem. Interdū, quæ res ob oculos erant, præſertim pecunias, quarū tunc vſu opſonator indigebat, ex improuiſo auferre, vt patientiam excuteret. Miſcere aliquādo cellulam. Semel dū noctu quieſceret, ceu defuncti cuiuſdam cadauer in lectum, perturbando viri animo, immittere; aliaq; id genus plura cùm molirentur, præclaro quodā cùm animi tùm oris habitu, ille excipiebat, triumphabatq; æquanimitate, ac precibus. Atque hoc quidem tenore vitæ hiſque virtutū exercitamentis, ad ſummam vſque ſenectutem peruenit Vincentius, emenſus ætatis annos octo ſupra octuaginta, æquauitque æuo, vti ſæpius prænuntiauerat, Magiſtrum ſuum, nempe Andream Auellinum, quē caſtimoniæ laude, laborum tolerantia, vitæ aſperitate, regularis obſeruantiæ zelo, precandi ſtudio, religioſaque paupertate fuerat imitatus; migrauitq; in cœlum anno voluentis ſeculi ſexto & quadrageſimo, exeunte Auguſto menſe, cū excellentis virtutis opinione: vt ſint, qui impetraſſe à Deo beneficia, inuocato eius nomine, ingenuè teſtentur.

Caterùm ad Te, S. Maria Prouidentia, meam orationem conuerto: & vt finiam, hic iterum cano, quos Tibi olim verſus ſubſcripſi, cùm Tuam Sodalitatem adminiſtrarem.

Me puerum Genitor ſemel haud deduxit ad Aram:
Munus vt offerrem, Prouida Virgo Tibi.
Cœtui & is præerat, curamque hanc ſæpe gerebat,
Cùm genuit, cùm me & tradidit ipſe Tibi.
Heu recolo, & miror lacrymas & gaudia fratrum;
Cùm Tibi in æde darent, ore canente, preces.
Tuncque decennis eram: nunc me grauat ægra ſenectus.
Tunc ſuberam, nunc ſum præſes, & agmen ago.
Ipſe Tuam Effigiem tulerit quod ab Arce Ioſephus
Æthereà expoſui, nec ſine teſte, typis.
A me Tu titulum, quo Prouida proſpicis Orbi;
Ac ſacrum Laticem, quo haurit & æger opem.
A me ritè preces, vti plebs Tibi poplite flexo
Concinit, ac offert munera, Mater habes.
Qui malè at ipſa dies duxi, à Te poſco dolorem
Cunctorum ſcelerum; ac ritè piéque mori.




ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D.

D. MARCO ANTONIO VICENTINO,

FVLGINATI EPISCOPO,


SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS PAPAE X.

Neapolitano hoc in Regno Apoſtolico Nuntio,

FRANCISCVS MARIA MAGIVS, C.R. felicitatem.



ILLVSTRISSIME ANTISTES.



ANTA ſapientia, & prudentia, ac integritate animi polles: eoque decore ac zelo, ne dum ſacri Præſulis & Antiſtitis, ſed & Apoſtolici Nuntij munus obis, vt & Romanæ Eccleſiæ Maieſtatem, Dignitatemque, quam præfers, inſigniter ac peregregiè tuearis: & magna apud omnes exiſtimatione,ſiue dotibus animi, ſiue virtutum radijs, ſic effulges, vt Te quotquot experiuntur ac norunt, paſſim deprædicent, & extollant, ſperentque breui, ad altiores gradus & apices, pro virtutum merito, euectum iri, inter Romanos Patres, non ſine Beatiſſimi Pontificis laude ac plauſu, conſpiciendum. Cùm ſatis igitur tua Benignitate omninò conſiderem, & acerrimum quo præſtas Iudicium magnoperè demirarer; Tibi primò omnium exhibenda mea hæc Volumina exiſtimaui; vt palam oſtenderem, quanti faciam ſapientiam tuam, meámque erga Te reuerentiam publicè omnibus indicarem: & Tu de ipſo hoc Opere, quo ſoles animi candore, ſtatueres: veluti rude & incomptum, blattis ne ac tineis addicendum, num aliqua ſaltem luce donendum eſſet. Idque arbitratus ſum eò te libentiùs inſpecturum, quòd ſpiritualibus in ſeceſſu Exercitijs (vti mos eſt ho-

die

dic tui similium Antistitum) plurimùm oblectaris: & depromptas ex sanctis Patribus, vel ex probatis, hìc, Autoribus, Institutiones expositas, iucundissimè (vt arbitror) intueberis. Præsertim, cùm hìc sermo passim occurrat de sacris Pastoribus & Episcopis, & de sacris Monialibus ac Virginibus; quarum Asceteria ac Gynæcea, insigni vigilantia & cura, per Reuerendis. Tui Vicarium D. Ioannem Vernuccium, Virum quidem ornatissimum & integerrimum administras. Et quanuis Tibi nullum penè otium sit, grauissimis curis, horis singulis, occupato; pro studio tamen, quo erga Eminentissimum Card. Palutium Alterium flagras, & erga proximum cuius vtilitati semper inuigilas, quicquid hoc est oneris haud ægrè subibis, ne quid illi per inscitiam indignum exhibeatur. Cæterùm, si cognouero meum abs te qualecunque hoc Opus non improbari, alterum, quod in lucem quamprimùm edam, si Numen annuat, tuo amplissimo Nomini nuncupabo. Ipsumque Deum Optimum Maximum impensè precabor, vt Tibi Gratiam suam, & omnem incolumitatem & felicitatem elargiatur.

AVTORIS ADMONITIO.

Lector aduerte, in Elogijs Virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatẽ ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cùm vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorũ manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia itẽ in miseros mortales eorum intercessione diuinitùs collata; demum, nonnullis, sanctimoniæ videor appellationẽ tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam quæ à sola suorum Autorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationẽ eiusdẽ Decreti à Sanctissimo D. N. D. Vrbano PP. VIII. Anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis inducere, seu augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocunq; longissimi tẽporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eũ, qui S. Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione & actione dirigi.

Ego D. Franc. Maria Maggio C. R.